Digitized by Google

C.30.g

Digitized by Google

ad usum S. Raymundi à Mre Dei
et pro Conventu S. Mariæ de Victo

BIBLIOTECA N.C.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

FLOSCULI
HISTORIARUM
IN AREOLAS
SUAS DISTRIBUTI,

PER QVOS DESIGNANTVR
rerum euentus clariſſimi, ab orbe condito, ad annum huius ſæculi ſexageſimum.

Auctore JOANNE DE BUSSIERES
Bellijocenſi è Societate JESU.

Editio ſeptima aucta & emendata.

Cui accеſſerunt haud pauca, in aliis Editionibus omiſſa.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI,
Sumptibus JOANNIS GIRIN;
& BARTHOL. RIVIERE,
in vico Mercatorio.

M. DC. LXXVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUGUSTISSIMÆ

MUNDI REGINÆ

MARIÆ VIRGINI

DEI MATRI.

PUDET *ab his Titulis, Regina Augustissima, tenuissimi muneris quod offertur; sed tanti est videri Tuum, ut id audeam vel Majestatis tuæ dispendio: quanquam, si te novi, Majestati tantæ nihil detrahitur, cùm Bonitati cumulus additur. Ad hanc igitur*

Digitized by Google

unam me applico, & qui totus ſum muneris tui, qui beneficentiæ tuæ totum me adſcribo, non putavi decorum minus amplitudini tuæ futurum, ſi profiterer quæ tibi debeo, clementiæque tuæ appenderem, quæ cùm ſint ab ea profecta, non ideò data ſunt ut ſileantur. Habes itaque, Mater optima, non Floſculos meos, ſed ipſum fundum unde decerpti ſunt, ſed induſtriam quâ conſerti, uno verbo ipſum me, qui beneficio tuo vivo & ſpiro. Vnde ſpero ignoſces audaciæ, ſi quam in omnem vitam Magiſtram & Dominam tam olim opto quàm modò ſentio, eam

te

te Libello ducem ſelegerim. Nec ignoſces modò, ſed quæ bonitas tua eſt, & amabis, quòd ignoſcendi anſam præbuerim.

I. D. B. S. I.

AD LECTOREM.

AMice Lector, Floſculos damus, cùm ad ferendos fructus tenuitas noſtra non aſpiret. Decerptos habes ex Hiſtoria, quæ tamflorum quàm fructuum ferax, ita jucunda eſt ut utilitates maximas pariat. Dices hujus hortos à Coronariis jam diu luſtratos; nihil admodum nobis ne ad ſertum quidem unum ſupereſſe. Dijudicabis id utrùm ita ſit; tametſi veriùs poſſum aſſerere, in eo meam qualemcumque operam poſitam, ne paſſim ab aliis dicta exſcriberem, Floreſque marcidos emendicato fuco adornarem. Unum moneo, ad Chronologiam quod attinet, ne me ad pugnam voces; alieni ductus me eſſe volui, nolui ſpinas inſerere Floſculis, Salianum & unum alium è noſtris ſequutus, cujus ea in re lucubrationes exſtant accuratæ; eos ſi quid contentionis

nis oritur, prouoca, non existimavi vel à voluptate vel ab utilitate detractum iri, si uno fortè anno vel altero in designando tempore aberratum sit. Alia multa sunt quibus ignoscas in hoc Opusculo, nescio an quæ laudes; sanè ut alienam laudem à me repudio, ita & culpam; si qua tamen in tantos viros conferri possit.

INDEX

INDEX
AREOLARUM
SEU CAPITUM.

ROSÆ. AREOLA I.

APRIMO mundi Anno ad diluvium. pag. 1.

IRIDES. AREOLA II.

A diluvio ad Abrahamum. 7

TVLIPÆ. AREOLA III.

Ab Abrahamo ad Mosem. 12

CROCVS. AREOLA IV.

Ab Mose ad Samuëlem. 21

CARIOPHILLI. AREOLA V.

A Samuële ad Imperium Babylonicum. 33

TVBEROSÆ. AREOLA VI.

A Babylonico Imperio ad Persicum. 48

NARCISSI. AREOLA VII.

Imperium Persicum. 65

ANEMONES. AREOLA VIII.

Ab Alexandro ad Perseum. 103

FLORES

Digitized by

FLORES IMPER. AREOL. IX.
A Perseo ad Christum natum. 128
VIOLÆ. AREOLA X.
A Iesu nato ad ejus obitum. 150
MARTAGONES. AREOL. XI.
A Christi obitu ad Constantinum. 162
HELIOTROPIA. AREOL. XII.
A Constantino ad Odoacrum. 210
FLORES MALI GRANATI.
AREOLA XIII.
Ab Odoacro ad Carolum. 250
GELSOMINVM. AREOL. XIV.
A Carolo ad Fridericum. 284
CALTHÆ. AREOLA XV.
A Friderico ad Henricum Magnum. 337
LILIA. AREOLA XVI.
Ab Henrico magno ad hunc annum. 404

SVMMA

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII Regis.

CAVTVM est authoritate Regis, ne quis in Regno suo aliisve locis suæ dictioni subjectis, Librum cui titulus est R. P. JOANNIS DE BVSSIERES è Societate JESU, *Flosculi Historiarum*; absque Auctoris consensu imprimat aut divendat; in decem proximos annos, à die absoluti operis, mulcta indicta, qui secus fecerit; prout fusius in Diplomate Regio continetur. Datum Parisiis die 27. Septembris 1670.

De Mandato Regis,

LE COQ.

FLOS

Digitized by Google

FLOSCULI HISTORIARUM.

ROSÆ.

AREOLA PRIMA.

A primo Mundi Annō ad Diluvium.

Spectabis in hac Areola effulgentes Roſas, ardenti cocco, vivoq; murice; ſed immiſtæ ſpinæ, quiq; pungant aculei. Scilicet amœniſſima illa & roſea Paradiſi voluptas, deflexit in ſpinas, poſtquam in noxam Adamus deflexit, contraxitq; turpiſſimam maculam, longè in poſteros propagandam. Heu Roſetum! quàm

brevis flos! heu ſenticetum! quàm perennes ſpinæ!

Adami creatio.

PRIMO Anno Mundi, ante Chriſti ortum quater milleſimo quinquageſimo ſecundo, Cœlo, Terra & Animantibus conditis deſignaturus dominum Deus, formavit Hominem; corpus ex luto fictor novus effingens; Animam ex nihilo: ut jam ab ortu ſi quid ſuperbiæ regnum affricaret, id origo ſtatim elueret: nam quid intumeſcat cœnum & nihil? Adamum appellavit, & Regem orbis inauguratum in amœniſſimo loco collocavit; nudum tamen ſine tecto, ſine ſatellite, ſine pompa, ut agrum coleret, exemplum poſteris, non purpura Reges, non auro fieri, ſed in regnum cura & ſtu-

& Evæ. dio. At quia parum erat imperare brutis maximum Principem, adjunxit ſociam quæ Rege dignos ſubditos pareret. Mirum! è viri coſtâ eduxit fœminam, ne amandi cauſæ plures deeſſent, dum is conjuges, qui & fratres & parentes, amor connecteret: & qui antè corpore unum fuiſſent; unum & animo in poſterum eſſent.

Adami culpa & pœna. Fortunati, ſua bona ſi noſſent, Principes; dum ambiunt noſſe ſupra quàm poſſint, in calamitatem ultimam incidunt. Nudi, pavidi, regno, capite, & quod deteriùs, innocentiâ diminuti; rerum omnium præter peccatum inopes; ex otio, riſu & voluptate,

ad

Digitized by Google

ad laborem, ærumnas & lacrymas deturbati; ſpinis, tribulis, doloribus; ipſâque morte, ut ſatellitio culpæ, damnati; animo & corpore miſeri ignominiam nepotibus antequàm ortum conferunt. Nunc eant homines, & peccatum ament, quo perditi ſunt nedùm nati.

Anno Mundi 2. naſcitur Caïnus, impiorum Anteſignanus, futurus poſteris exemplum criminum: peccati non Adami ſobolem dixeris, ita ex Patre præter peccatum nihil contraxerat. Sed forte peccantis Evæ partus Caïnus, ſanè fuit Abel pœnitentis: ita Deo providente poſteris; ne deeſſent tot inter vitia formæ virtutum. Quid futurum erat humano generi, ſi peccare tantùm didiciſſet? *Caïnus, Abel.*

Anno Mundi 130. Caïnus perditorum ille coriphæus, quaſi vulgarium tæderet ſcelerum, palmarium fecit. Abelem fratrem (primum ab invidia facinus) in agro ſeductum ferro interemit. Præjudicabat rebus mortalium Deus, ut vitio virtus obnoxia foret, pietatis dos adverſitas eſſet, datumque ſanctis pro patrimonio, *Pati.* Sed nec impunè fuit fratricidæ, cui & terra imbuta ſanguine fruges negavit; & ipſe, vagus, tremens, ac profugus, agente conſcientiâ, quocunque ſceleris fama pervenerat, portavit & pœnam; ut jam metus homines malum dedoceret. *Caïnus fratricida.*

Aliquot poſt annis primam omnium urbium, dictam Enochiam ab Enocho filio, condidit; *Enochia urbs.*

condidit; ut se homicida à talione defenderet, & prædator latrocinia tutò reponeret. Hæc civitatum origo, hæc causa; ut pudeat nos tanti facere quod ortum à scelere, in tutelam scelerum coaluerit.

Seth natus. Adamo interim in Abelo Caïnum lugenti, Sethum, qui duceret Piorum agmen, substituit Deus; à quo Enos, ab Enoso Enoch viri sanctissimi, qui ad religionem & virtutem omnem prælucerent: jam inde Sanctis ex Martyris sanguine pubescentibus.

Caïni mors. Anno Mundi 688. Caïnus in Sylva pro fera habitus, per imprudentiam à Lamecho abnepote occiditur: pœnâ licet claudâ reum assequente; quæ à filio, ut esset gravior; velut in feram, ut justior, fratricidium parricidio vindicavit.

Jubal, Tubalcain. Sub hæc tempora Jubal instrumenta Musica, Tubalcain arma invenerunt, vitam hominis providentiâ in belli pacisque studia partiente, ut in hac jucundiùs ageret, in illo tutiùs. *Noëma.* Et Noëma mulier lanificium commenta, eumdem hominem texit honestiùs; & præivit sexui, qua in arte proferre ingenium deceret fœminam.

Adami mors. Anno Mundi 930. ipsi mundo coævus Adamus moritur; familiæ pater, quæ orbem impleret, pœnitentiæ documentum ingens, de suo, hoc est, humano genere, tam benè quàm malè meritus, dum ad veniam erudit quos ad pœnam gignit; dierum, id est luctuum plenus, ut ab hoc posteri vitam miseriis metiremur. Nunc quid hujus spatium

arctum

arctum conquerimur; calamitatibus noſtris parcitum eſt. Anno pòſt altero amantiſſimum conjugem Eva ſequuta eſt; quæ ſe, heu dilectam nimis quoties luxit! quoties formam incuſavit ut ream! quoties placuiſſe diſplicuit! ſi amaſſet minùs conjux, ſervabamur. Quis ſexum non timeat, qui adhuc innocens necat, vel placendo? *& Evæ.*

Anno Mundi 987. Henochus ille ab Enoſo ſanctiſſimus; poſt vitæ annos 265. novo mortis genere, vivus deſiit in vivis agere; ad ultima ſervandus tempora, futurus teſtis Deitatis Chriſti, in ignotas plagas tranſportatur; in quibus vitam in corpore, ſed expertem corporis degens, extra neceſſitatem alimenti & malignitatem peccati poſitus, licet nedùm ut homo vixerit, vivit ut Angelus. *Henoch translatus.*

Circa hæc tempora Gigantes, impiiſſima Caïni ſoboles ſæviebant, qui ſtaturam ſuperbiâ, deformitatem impuritate, ferociâ vires adæquantes; ſcelerum immanitate monſtroſi, tam animorum portenta quàm corporum, in nefas omne ruentes; ut poſteros vitiis, quos virtutibus nolebant, vincerent, nihil intentatum mali reliquêre. *Gigantes.*

Anno Mundi 1057. Ne funditus tot inter crimina mortalium genus interiret; futurus Averruncus divini furoris, Noë juſtiſſimus, ex Lamecho Sethi, non illo Caïni nepote naſcitur. Qui deinceps virtutibus ut annis auctus, ſcelerum ultorem Deum verbo & opere reis intentavit. Nam nova interminandi ratione, Arcam extruxit, poſtquâm *Noë & Arca.*

Digitized by Google

diu verba fuerunt irrita, navem molitus eſt centum annis : efficaciùs nunquam monuerat, ſi minùs homines juviſſent crimina, ſed quibus peccantibus callum obduruit, priùs mortem quàm mollitudinem mentis induxeris.

Diluvium. Anno Mundi 1656. ante Chriſti ortum 2397. cùm ſexcenteſimum Noëmus ageret, ulturæ Dei contumelias aquæ, in ſceleratum rebellant hominem; in imbres aër effuſus ſolvitur; exundant amnes, irrumpunt maria, ipſa terra, alumnos exoſa jam in pœnas ferax, immenſos gurgites effundit utero, tota undis ſtagnat, ne miſeris pateat vel ad ſepulchrum. Nimirum puduit tot ſubſterni ſceleribus, fœdiſſimas ſordes exhorruit, ut ſe elueret advocavit elementa conſortia. Proh peccati virus! naturam rerum ab uno homine totam infecerat, petendum fuit ab univerſa Antidotum, flammæ libidinum aquis reſtinguendæ : benè eſt, quòd ante periit orbis quàm periret; undis periit ne periret igne. Quæ tempeſtas, quæ humanum genus naufragum fecit? Agite poſteri pietati Noëmi gratias, in ipſo ſinguli ſervati eſtis. Navigabat in ruina mundi ſecurus, & à morte per aſſerem tutus, quam nec muri nec turres excluſerant; Deo gubernante per ſyrtes, per ſcopulos, per naufragia ſalvus enatabat.

IRIDES.

IRIDES.

AREOLA II.

A Diluvio ad Abrahamum.

Iridem videbis in Iride, plectentem Deum atque condonantem. Ut Irides placem colorum varietate mirifica, ſic cœleſtis Arcus plures pingit. In hac dum ambulabis Areola, cogita quod mortalium funera ſalutem paucorum præceſſerint.

ANNO Mundi 1657. ſubſidentibus aquis, detumeſcente penitùs pelago, terra aperta eſt. Tunc rediit ſua facies Elementis; ſerenitatem aëri, certum aquis ſitum, fœcunditatem terræ Sol conciliavit; novus nitor effulſit ſyderum, & inſtaurata rerum natura triſtitiam hilaritate mutavit. Admittimus clementiæ pignus, Deus immortalis: triumphalem benignitatis Arcum ſuſpicimus, utinam ut pœnæ, ſic & culpæ immunes in poſterum. Sed erit dies, cùm diluvio bonitatis mundum inundabis; minùs parceres, ſi peccaſſet minùs. *Mundus reparat.*

Digitized by Google

Noë arca egreditur.

Interea octo illa capita, humani generis novi Phœnices, ad incolendam terram prodeunt arcâ : at obstupescunt deformatam agrorum faciem, lugent affinium deplorandam sortem ; & imagine mortis attoniti, vix spem ullam vitæ concipiunt. Donec Dei jussu : promisso, & fœdere confirmati, tunc se demùm servatos fassi sunt, cùm timere ultrà desierunt.

Vinea.

Statim ergo ad culturam terræ se convertunt ; nec enim sponte victum sufficeret : & Noëmus primus omnium ex uvis consitis vinum expressit ; vel infirmitati vel hilaritati Deo consulente. Sanè bonus senex liquore novo se liberaliùs proluit, ex potu inexperta ebrietas, ex ea somnus, ex somno nuditas inhonesta : dein irridens filius, nepos maledictus, ut à primo meri vel innoxio haustu, tot malorum fonte, discant homines parcere, cui si indulgeant, transit in toxicum.

Divisio terrarii.

Anno Mundi 1788. Noë liberos multiplici sobole supra modum auctos, ut concordes faceret discordes effecit : iis universum orbem partitus est ; Semo, Asia ultrà Euphratem ad Indicum usque Oceanum data ; Japheto, Asia reliqua cis Euphratem, cum Europa ad Gades usque ; Chamo, Syria cum Arabia & Africa tota concessa : Quis Regum Noëmo patrefamilias opulentior? Trophea sua Pompeij conferant ; triumphos Cæsares, Alexandri victorias, Galli colonias ; ad Noëmum quid ; contenderunt illi de partibus, hic totum dedit.

Anno

Anno Mundi 1909. antequam ſpargeretur in diverſa mortalium genus, civitatem quæ potentiæ monumentum eſſet, ad Euphratis ripas poſuerunt. Quale opus! quod ab omnibus inceptum hominibus, quod annis viginti duobus nondum abſolutum, quod imperfectum regni ſedes fuit, cujus ex fundamentis primum orbis miraculum ſurrexit Babylon: Et in ea Turrim erexerunt, quæ cœlo, ſi ſuperis placet, par eſſet: quæ ſtultitia, cœlum expugnare ſaxis & cæmentis? non iis machinis ſydera ſcandimus. *Turris Babel.*

Anno Mundi 1931. disjecta tandem eſt ſuperba illa ædificantium vanitas: linguis diviſi ſunt; non graſſatus eſt fulmine Deus, non ignibus: pœnam inflixit acerbiſſimam ſuperbis, contemptum. Idioma unum in ſeptuaginta duo diviſum, miram peperit perturbationem? dum loquerentur omnes, pauci perciperent, ſermonis inopiam copiâ nimiâ faciente. Quis credat? penetravit in animos vocum diſcordia; tantus eſt ſermonem inter & mentem conſenſus, in regionem ſuam quique, profecti ſunt; nec ſe meminerunt, heu nefas! uno Patre natos, bella cum fratribus geſſerunt in poſterum, & eos homines obliti plerùmque, quaſi beſtias in uſum, vel belluas in cædem rapuerunt. Ite nunc Docti, intumeſcite linguarum peritiâ, quæ dividentes orbem, perdiderunt. *Confuſio linguarum.*

Anno Mundi 1932. ante Chriſtum 2121. Nemrodus ortum dedit regno Babyloniorum ſeu Aſſyriorum, quod poſtea ſtetit per annos *Nemrod ſeu Belus.*

Digitized by Google

1401. Hic primus omnium Regum, proximam à Deo potentiam, uſurpavit, & cæteris gentibus in diverſa loca diſtractis, Babylone jam principatu digniſſima ſubſtitit. Idem qui & Belus tanti nominis apud ſcriptores; militari audaciâ & civili prudentiâ clarus qualis decuit Principem conditorem imperiorum. Nec enim obvium eminere in æqualibus; & quos pares naſcendo habueris, tibi regnando impares facere.

Sicynoiorum regnum.

Anno Mundi 1966. Regnum in Europa vetuſtiſſimum fundabat Ægialeus, Sicyone Peloponneſi urbe, ab Iſthmo non procul; parvis, ſi Babilonico compares, incrementis ſed tutioribus.

Ninus.

Anno Mundi 1997. cùm ſuperiore Nemrod ætatis anno 300. deceſſiſſet, Ninus ejus filius Babylonicum capeſſivit imperium; cui & Aſſyrium modicis ſeptum finibus, ab Aſſure Semi filio conditum adjunxit. Nec eo contentus, ſeptemdecim annis continuis, Ægyptum & Aſiam univerſam victoriis peragravit, germana Patris ambitioſiſſimi ſoboles. Cæteris mortalium ad inauditum belli nomen expaveſcentibus: adeò difficiliùs eſt, propulſare injuriam, quàm inferre, dum hinc audacia, illinc timor; nec vinci pudeat cùm honeſtum putent à fortiſſimo viro ſuperari.

Ninive.

Idem Ninus Ninum ſeu Ninivem ſibi cognominem urbem ad Tigrim amnem in Aſſyria poſuit, ad felicitatis oſtentationem. Quam civitatem vir ingentis animi, & nihil

hil modicum capientis, pro modo gloriæ tam amplam effecit, ut capaciorem, poſteriora tempora nullam agnoverint. Sed, ô vana mortalium ſtudia! tanti monumenti nullum veſtigium, de cujus loco ne conſtat quidem, memoria ſin minùs periit, ad contemptum reſtat. Quantò præſtat ſileri, quàm cùm ignominia celebrari? & odioſum eſt, non eſſe quod fueris.

His temporibus de Deo Optimo peſſimè meritum eſt genus humanum; cùm Idololatria, quo nullum ſtultius vel gravius ſcelus per terrarum orbem invaluit. Ninus in cauſa, qui ſe non auſus mortalis adhuc, Deum effingere, quod proximum fuit, ſe Deo natum exhibuit: Belum itaque, quandò ſe non poterat, Deum fecit (inſana liberalitas, id largiri quo careas) geſta commendavit, immortalem dixit, ſtatuam oſtendit, huic divinos cultus attribuit, & ne quid ad improbitatis effectum deeſſet, voluit ſupplices, quod à Deo peterent, optare à ſtatua & impetrare. Hic & Belus, qui Saturnus Gentibus, Hebræis Baal, humanis ad contumeliam generis placatus hoſtiis; juſtâ tamen pœnâ, ut qui hominem per ultimum nefas in Deum haberent, ipſi mactati in abjecta bruta haberentur. *Idololatria.*

Anno Mundi 2606. Noëmus ſanctiſſimus orbis reparator jam impletis annis 950. vitæ pertæſus, eam depoſuit; quam calamitatibus penè continuis, recens Nepotum flagitium præcipitaverat. Parum erat ſeni juſtiſſimo concoxiſſe *Noëmi obitus.*

concoxiſſe Gigantum ſcelera, interfuiſſe mundi naufragio, luxiſſe linguis diviſos liberos, perſpexiſſe per mutuas clades triumphantes; niſi ad incrementum ſummum moleſtiæ, Deum quaſi regno, ſuorum animis depulſum videret, nihilque actum pœna Diluvij, ni ut præcipitantiùs in majora ſcelera ruerent. Sed ne quis Imperia nimiùm arderet, privatus obiit Noë ſanctiſſimus; Belus Rex deceſſit, ne quid pejùs dicam, omnium primus.

TULIPÆ.

AREOLA III.

Ab Abrahamo ad Moſis ortum.

Tuliparum miſtura nihil inter flores venuſtiùs, elegantiùs nihil. In Patriarchis quantæ ſortis vices! ſanè in Joſephi veſte polymita, & mutatione fortunæ, Tulipam ſpectabis. Sed memento citò defloreſcere humana gaudia, & eſſe Tulipas, quidquid ſtabile & immotum putas.

ANNO

ANNO mundi 2039. ante Chriſtum 2014. in Ure, Chaldææ urbe natus eſt Abrahamus, ex Thare Patre, cùm priùs Aramum & Nachorem ſuſcepiſſet. In quem cœlo deplúent dona tam immenſa, ut ad unam magnificentiam Dei conditum dixeris. Salve mortalium lux, phoſphore gentium, Beatorum Dux; debebit, tibi Hebræus innocentiam, ſalutem mundus, incolas cœlum. Ex natu minimo, quis tanta ſperaret? quis ex Idololatra Patre cœleſtem filium? nempe major eſt à contempto virtus; & ſumma pietas cœlo debebatur. *Abrahami ortus.*

Anno Mundi 2044. celeberrimum bellum Ninus geſſit in Bactrianorum Regem Zoroaſtrum. Hic loci ſitu, quia in aſperrimis montibus Bactra, & ope demonum, præter fortem animum, fretus (nam primus Magiæ ignorandæ ſcientiæ auctor infamis) cùm pro ſe, montes & Inferos ad pugnam armaſſet, à Nino victus eſt: & in acie ferro cæſus, vel ab ipſa ſtatim de cœlo tactus eſt. Artem deteſtabilem in Auctore puniri par erat, ne haberet æmulos, & ſi quos haberet, ad eos cum arte pœnam tranſmitteret. In eo bello Semiramidem famoſam illam fœminam Ninus invenit, & adamatam in conjugem duxit; quantâ poſt ſexus vel gloriâ, vel infamiâ! Is quarto poſt anno è vivis abiit, ſuſcepto ex Semiramide Ninya; vir ſuprà fidem magnus, niſi major fœmina, prioribus fidem comparaſſet. *Zoroaſter.*

Anno Mundi 2049. Aſſyriorum Imperium adivit

Semiramis. adivit Semiramis. Prima mulier quæ domesticam administrationem mutavit publicâ, ac prævertens regnum sexus obsequiis, naturam quæ muliebre corpus compegerat, virili animo emendavit. Dotes ingentes maculavit ingentibus vitiis; ita plerumque in excelsis mentibus summa omnia sunt. Nam operum magnificentiâ & belli gloriâ Ninum, hoc est mortales retrò omnes superavit. Mediam, Ægyptum, Lybiam armis perdomuit; & cùm in orbe suo deesset hostis, quæsivit in alio, apparatu quàm maximo penetrans in Indiam, bisque victrix vicisset tertiùm, si pares Elephantis Cameli fuissent. Opera porrò quæ & quanta perfecit? Marito; dignum Rege & Urbe Ninive tumulum erexit, præter aquæductum in Ecbatanis, imaginem suam Bagistonio monti insculptam, saxa, rupes, montes explanatos ad vias; quantum est, quod in miraculis orbis enumerat, Babylonem opus à mortalibus tentatum omnibus tandem absoluisse! In qua præter muros, quibus nihil simile fama dixit, horti & luci palatiis impositi, geminæ Arces ad Euphratis ripas, ipse amnis dum cuniculus foditur aversus alio, animum ad mundi regimen natum ostendunt.

At per has dotes, libidinosa suprà quam credi honestum sit mulier, ne qua in re modica esset, crudelitate etiam insignis, perimebat Amasios, materiam odij juxta ac amoris; mortuisque ingentes aggeres excitabat,

tabat, ut illuſtrior crudelitas eſſet. Nec cauſa mortis deflexit à vita, à Ninya filio, quem de inceſtu appellaverat, interfecta: ſi tamen filio credi æquum ſit parricidium flagitio matris excuſanti.

Agebat in vivis hoc tempore Sara. Semiramide haud paulò clarior, ſi vera claritas à virtutibus arceſſenda ſit: hæc patruo nupſit Abrahamo; cujus laudes impleat, qui capacem tanti conjugis dixerit. *Sara.*

Anno Mundi 2091. Semiramidi ſucceſſit Ninyas, aptior otio quàm negotio, qui frui partis contentus, nihil maternum habuit præter voluptatem; & quaſi ſexu cum matre mutato, aſſiduo pellicum & Eunuchorum contubernio, nulli alij temerè viſus, degeneravit in fœminam. Et ut proclivè eſt ſe applicare ad peſſima, de cæteris Aſſyriæ Regibus ſemel dictum ſit; eos ad regnum natos, turpiſſima tamen fuiſſe mancipia; cùm nulli ſerviatur turpiùs quàm voluptati. *Ninyas.*

Anno Mundi 2114. Abrahamus Deo jubente, ex Meſopotamia in Chananæam profectus eſt; fidei & obſequij miro ſpecimine; ipſo Deo in præmium pollicente numeroſiſſimam ſobolem orbo Patri, & hancce terram longè uberrimam, ne agrum ad ſepulchrum quidem poſſidenti. Ita Cœlum centeſimas pendit in mutuum.

Anno mundi 2118. egregiam de Perſis reportat adoream Abrahamus: qui cùm duce Chodorlahomore Pentapolitas jam corruptiſſimos vitiis, prælio victos in ſervitutem *Abrahã in Chananeam pergit.*

tutem abducerent, ſimúlque Lotum pravi conſortij pœnas luentem; Abrahamus ut nepotem reduceret, collecta ſervorum expedita manu, ſopitos Perſas & à victoria ſecuros aggreſſus, in fugam egit, prædam & captivos recepit; decimamque partem Melchiſedeci, hoc eſt Deo dedit, vel reddidit; nec enim is dat, qui totius unde accepit particulam reddit.

Sodomæ incendiũ.

Anno Mundi 2138. contigit horrenda illa clades Pentapolitana, qua urbes quatuor conflagrarunt, Sodoma, Gomorrha, Adama & Seboim; execrabilia in poſteris nomina: Segol ad receſſum Loto condonatum: ita ſemper Deus vel in ſeveriſſimis pœnis clementiam amat. Supereſt in flagitij deteſtationem pœnæ veſtigium; aquæ fœtentes, ſolum emortuum, mare ſulphureum. Nam & ſupplicium quàm horrendum, quod vel ſpectaſſe, in uxore Loti crimen fuit.

Iſaac natus.

Sequenti anno Iſaac natus eſt; ad ſanctiſſimorum Parentum ſummam lætitiam; eò majorem, quò ſperatam diutiùs. A riſu dictus eſt; cujus cauſæ cumulatiſſimæ, cùm præter humanas poſteritatis & nominis, divinæ accederent ſalutis omnium.

Iſaac immolãdus.

Anno 2163. Abrahamus in monte Moria incruentam victimam immolavit. Admirabile ad ſtuporem temporum facinus! divinis nutibus ſævam orbitatem, ſpem Nepotum, charitatem patris poſthabere; eodem ferro quo filium, ſe mactare; imò crudeliùs quia ſupereſſet; animi fuit ſuprà terrarum victores ſurgentis.

ſurgentis. Quantulum eſt Macedo, quod in orbe non totò viciſti? in Iſaaco plures mundos vicit Abrahamus. At benè eſt quod agnovit Deus immolantem, tam ſacerdoti pepercit quàm victimæ: nempe obedientiâ, ſi mactat, ſuſcitat: ſi perdit, redimit; nec dat in pericula, niſi ut ſervet.

Anno 2199. ex Rebecca, Iſaaco naſcuntur Eſaü & Jacob, ita diſſimiles mente & corpore, ut verè Gemini, vix in ullam rem unquam conſenſerint: nam quomodò miti & facili cum importuno & temerario conveniret? Et hoc anno cœpit Argivorum regnum ab Inacho; quod deinde Mycenas Perſeus tranſtulit. Nec dubium, quin & alibi regna quàmplurima, ſed felicior Græcia, quæ ſcriptorum ope, ſua vel aperuit, vel effinxit.

Eſaü & Jacob.

Argivorum regnum.

Anno Mundi 2213. Abrahamus poſt annos vitæ 175. ex ea deceſſit. Vir revera virtutum omnium, qui per adverſa, proſpera meruit: Dei nutibus ita mancipatus ut ad eos, ſtatim amarit vel oderit, tot locorum exul quot incola, Iſmaëlis pater ut abdicaret, Iſaaci ut immolaret, Saræ conjux ut ſterilem ferret, cumulatus bonis ut erogaret; à Deo per exteros, per ſuos probatus, ſibi ſemper conſtans, probitatem illæſam ſepulchro intulit.

Abrahami obitus.

Anno Mundi 2258. Achaiam inundavit Diluvium, quod Ogygium dictum eſt, ab Ogyge Rege Eleuſinæ conditore. Mirum: in unum Peloponneſum totius Europæ geſta confluxiſſe.

Diluvium Ogygium.

Anno Mundi 2318. longævâ ſenectute, poſt

Isaaci mors. post annos 180. confectus obiit Isaacus; cui tranquillitate animi nihil antiquiùs, promptus eam ne perderet omnia perdere: multos jam annos animi luce caligantes oculos consolans; filium Jacob, sin vidit, audiit, multiplici beatum sobole, duodecim susceptis liberis, seu columnis totidem fundamenta genti promissæ ponere.

Josephi fortuna. Anno Mundi 2319. Josephus Jacobi filius, mirâ Dei vel indulgentiâ vel mercede, è carcere promotus in regnum, utriusque fuit exemplar fortunæ. Is Patri charissimus, cùm per invidiam divenditus esset à fratribus, & apud Putipharem Dominum gratiosus, placuisset & Dominæ; pudicitiæ tamen posthabens omnia, per heræ calumniam conjectus in carcerem, per triennium castitatem amavit in vinculis. Nec ultrà Deus præmium distulit: Joseph per interpretationem somnij Pharaoni notus, ad regni administrationem evectus est, triginta natus annos, in qua per octoginta perseveravit, inaudita Aulici felicitate: verè castitatis martyr & corona,

Jacob in Ægyptũ. Anno Mundi 2328. cùm fertilitatem Ægypti fames excepisset, inopia frumenti Jacob filios in Ægyptum misit, ubi à Josepho fratre probati & agniti, in pœnam sceleris, timuerunt: adductoque Jacobo ad filium, luctum lætitiâ commutârunt. Sanè patri revixit Josephus, quem invidia, fera illa pessima devoraverat. Regio Gessen in Ægypto assignata familiæ Jacobi, ex qua deinde

deinde Iſraëlitæ numeroſiſſima gens, prodierunt. Tunc natus in Idumææ & Arabiæ finibus Jobus, Eſaü abnepos, celeberrimus pugil in utramque fortunam tam adverſæ quàm proſperæ victor. *Jobi ortus.*

Anno Mundi 2338. Spartam in Peloponneſo Spartus Phoronei filius condidit, in qua cives olim Philoſophiam veram profeſſuri, voluptatum abdicatione imperium Græciæ merebuntur. *Spartæ conditæ.*

Anno Mundi 2345. Jacobus poſt annos 147. agonis perpetui, nam & in utero cum fratre luctatus, exceſſit è vivis. Cui ærumnarum pretio redempta proſpera: quippe paternam hæreditatem mercatus exilio: binas conjuges, imò unam 14. annorum operis, & liberos amatiſſimi omnium luctu: quem nec reperit abſque jactura, è patria rurſum factus extorris. Ita Deus proſperitatem Sanctis non donat, ſed vendit. *Jacobi mors.*

Anno Mundi 2398. par egregium ſpectavit Deus & ſe dignum: cum dæmone miſeriiſque omnibus Jobum compoſitum. Illuſtrior quàm ex triumphato orbe Pompeius, triplici prælio tergeminam palmam confecit. Liberorum inconcuſſus audivit funera: ſpectavit tranquillus bonorum jacturam, in cruciatus membra tranſiſſe paſſus eſt: ac demum carcinoma fœtidum, vivum cadaver è ſterquilinio hoſtem vicit. Qualis pugna! quæ ſeptennium tenuit: quàm gravis! per tot conſerta vulnera: quàm impar! ubi hominem dæmon per humanas calamitates, *Jobi certamina.*

tates, per amicos, per uxorem, per ſe aggreſſus eſt : quàm demùm honeſta ; ubi fregit contemptus ſuperbiam, patientia furorem, homulus Angelum.

Joſephi obitus. Anno Mundi 2399. Joſephus in Deum, in Regem, in ſuos, impletis virtutum numeris, poſt longiſſimam adminiſtrationem, deceſſit. Si Deum ſpectes ; ſanctiſſimus inter adverſa, & quod rariùs inter proſpera. Si Regem, Miniſter abſolutiſſimus, cui ſimilem orbis nondum vidit : ſi ſuos, pietate & clementiâ ſummus : vel fatente invidiâ, & amante proſperitatem quam fecerat. Felix qui tot in dotibus, materiam virtutum nactus ſit.

Iſraëlitæ in Ægypto ſerviũt. Anno Mundi 2451. Amenophe Ægypti Rege, incepit duriſſima ſervitus Iſraëlitarum : quæ poſt increbuit, ac per centum propemodùm annos perſeveravit. Nam Ægyptij numeroſiſſimæ genti invidentes, ac jam ab ea ſibi metuentes, ne propagaretur ulteriùs, tributis, operis, flagris, carcere, vinculis, vexare ac perdere inſtituerunt. Cùmque parum proficerent ; imperatum obſtetricibus, ut mares necarent : nec iis obtemperantibus, crudeliſſimo ſancitum edicto, ut infantes maſculi ſubmergerentur : nihilominus tot inter ærumnas, cædes, & naufragia, inſtar palmæ ſuccrevit. ſoboles : & in hac neceſſitate mortis natum & adultum eſt, quod Æpyptios poſtea perderet.

CROCUS.

CROCUS.

AREOLA IV.

Ab Moſe ad Samuëlem.

Ut calcatus Crocus ſpiſſior creſcit, & inter injurias denſus exſurgit; ſic Iſraëlitæ ex Ægyptiis calamitatibus, ex duris itineribus, ex diuturnis bellis, victorcs, ſibi & poſteris ponunt urbes. Quid ærumnas accuſas, ſementem & matricem gloriæ? Diſce pati; dominaberis, vel in alios, vel quod majùs eſt, in te.

ANNO Mundi 2464. ante Chriſtum 1589. Ex Amramo Levi nepote, in Hæbreorum acerbiſſima calamitate, natus eſt eam qui per prodigia ſolveret Moſes. Cui cùm naſci exponi fuiſſet, exponi ipſum ſervari fuit, ſervante filia Pharaonis, & Aulæ ſplendore ad regni ſpem educante: Deo & hanc laudem incomparabili viro providente, ut ſpreviſſe Regnum dici poſſit. *Moſis ortus.*

Anno Mundi 2498. Regnum Athenis condidit Cecrops urbémque à Minerva dixit, in *Cecrops.*

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

in augurium eloquentiæ quâ pòst clarissimâ. Malè tamen quòd homo Ægyptius in totam Græciam turbam illam deorum invexit, quæ deinceps in multa secula fabulis aucta, & per Europam grassata, cladem intulit quâvis peste capitaliorem, quâ medente nullo perirent animi.

Diluvii Deucalionis.

Anno Mundi 2530. contigit Deucalionis Diluvium, quod cùm Thessaliam inundasset, id Græci quasi totius Orbis concelebrarunt, adeo vel in miseriis laudis fomitem vanitas reperit.

Areopagus.

Anno Mundi 2539. Athenis est Areopagus constitutus, qui ab humilibus, ut fit initiis: eo dignitatis & amplitudinis processit, ut ab eo quasi ex cortina Themidis petita oracula venerationem Athenis, Delphico Tripode majorem adsciverit, districto semper ad ferienda crimina gladio. Solon in eo multis post annis quædam immutavit, unde & autor ipsius habitus à nonnullis: At quantùm interest, an invenias primus, an inventa ornes?

Israëlis exitus.

Anno Mundi 2544. Ex pastore Moses Dei legatus, contritis per assiduas plagas Ægyptiis, Israëlitas ex acerbissima servitute in desertum duxit, & liberos fecit, per quæ prodigia: cùm per Elementa stipendiaria fracto Pharaone, vjâ per Arabicum sinum patefactâ, suis famulatas in hostem undas ruentes immisit: nempe discrepant divina & humana providentia, ut consiliis ita & exitu.

Hoc

Hoc Anno Jobus ille pugil fortiſſimus ætatis 217. prioribus bonis geminatis, in effuſa bonorum, Nepotum & virtutum copia, fortuna cum virtute redeunte in gratiam, celebrem illam Tragœdiam feliciſſimo exitu moriens clauſit. *Jobi mors*

Anno mundi 2576. à Dardano in Phrygia Dardania condita, quæ poſt à Nepote Troe Troia dicta eſt, fabularum ſeges, & Poëtarum Pindus multis poſt ſeculis. *Troia condita.*

Anno Mundi 2583. moritur Moyſes prodigiorum patrator illuſtris, naturæ quam ad nutum regebat propemodùm Dominus, & in pertinaciſſima gente ſupra fidem humanam manſuetus, Dei, charitatis & patientiæ magnum exemplar. *Mors Moyſis.*

Huic in Magiſtratu populi ſucceſſit Joſue qui divinus Poliorcetes, ſine machinis urbes expugnavit, ne tardiùs vinceret ſolem continuit, ac pòſt anno 2600. migravit è vita, inductis in Chananæam promiſſam olim terram Iſraëlitis, & in poſſeſſionem ejus immiſſis, ſummus Imperator, qui Deo fretus non rariùs vicit, quàm pugnavit. *Joſue.*

Anno Mundi 2601. Othoniel Judex appellatus, adminiſtrationem Iſraëlitarum ſuſcepit, qui regnandi modus Monarchico partim ſimilis, partim diſſimilis, pervicaciæ gentis accommodatior, complures annos Judæis nondùm Regni patientibus placuit. *Othoniel.*

Anno Mundi 2621. Tribus Benjamina à cæteris tantùm non occiſione deleta eſt; occaſio ex Gabaonitarum libidine: apud quos

Levita

Levita hoſpes diverterat: Bellum civile primum Judaicum: Deo, ut fit incontinentiæ maculas balneo ſanguinis eluente.

Europa, Cadmus. Circa hæc tempora contigit Europæ raptus, Agenoris Sidoniorum Regis filiæ, à Jove in Cretam abductæ. Frater Cadmus raptorem perſequutus, in Bœotia conſtitit, ubi Thebarum conditor, ſuſcepit inde Semelen filiam, è qua Bacchus. Et hinc fabularum Deorumque nova ſeries, ut à mendacio utrique prognati, educante parente in prodigioſam magnitudinem deinde excreverint.

Aod. Judex. Anno Mundi 2641. Othoniel moritur, Aodus Judex in ejus locum allegitur; vigeſimo tamen nono pòſt anno, generoſiſſim⁹ adoleſcens ex tribu Benjamin, ambidexter, Romano Scævola fortunatior, Æglonem Moabiram Judæos vexantem, cultro interemit, pingui abdomine hauriente mortem cum ferro.

Minos. Circa Annum Mundi 2650. Ex Jove & Europa Minos in Creta regnabat, tantâ juſtitiæ in terris famâ, ut & in inferis Tribunali Judicis dignus audierit.

Iſthmici Ludi. Ad Annum Mundi 2700. inſtituti ſunt Iſthmici Ludi, antiquiſſimi omnium in Græcia. Celebrantur in Iſthmo Corinthiaco, in honorem Inonis & Melicertæ, quos ex mortalibus & miſero fato ſubmerſis, in Deos marinos tranſiiſſe volunt, Leucotheam ſcilicet & Palæmonem, quaſi ex inſania & furore ad Divinitatem ſit proximus gradus. Eorum inſtitutorem Syſiphum quidam, alij Glaucum ejus filium volunt.

Ab

Ab hoc Glaucò Corinthi natus Bellero- *Bellero-*
phon, Græcorum Joſeph, & pudicitiæ lau- *phon.*
de clariſſimus; qui poſt Stenobœam Prœti Argorum Regis uxorem ad flagitium invitantem repulſam, in Lyciam ad mortem à Prœto miſſus, accuſante peſſima fœmina, ea edidit fortitudinis facinora, ut ab admiratione per chimeram ac fabulas deſcribantur; lethi ſemente in uberrimam gloriæ ſegetem germinante.

Et ad hæc tempora referendus Perſeus *Perſeus*
Jove natus & Acriſij filia Danaë, qui vectus Pegaſo celeberrima Bellerophontis navi, Gorgonem Meduſam, ſeu meretricem philtris amatores ſuos dementantem, ſeu ſtrenuam bellatricem, in Africa capite truncavit. Græciæ Moſes, ſi ortum ſpectemus; nec aliena quæ in vita geſſit: adeò Heroes à calamitatibus ut à cunis ſurgunt.

Fuit hæc ætas ſeminarium fabularum; *Pelops.*
nam & Pelops Tantali filius, certamine curuli per fraudem victor, ſtabilitis cum Hippodamia nuptiis per ſoceri Oenomai necem, deduxit in Græciam Colonias, & Peloponneſo regioni pòſt celeberrimæ indidit nomen; & hoc nomine ſupra omne figmentum clariſſimus. Hujus ſoror Niobe muliebris ja- *Niobe.*
ctantiæ vel miſeriæ monumentum, amiſſis quibus ſe efferebat liberis, dolore contabuit; hoc enim ſaxum eſt.

Nec Italia cauſa fabularum caruit; nam his temporibus, Janus in Latio Aboriginum *Janus.*
regnum moderatus, ſucceſſorem Saturnum

ex hoſpite habuit, cui ex vitæ conſitâ & agrorum cultu, ſæculum aureum hæ gentes, adſcribunt. Mirùm, auream viguiſſe ætatem, ubi aurum nullum; ubi multum eſt, nunc eſſe ferream.

Amphiö. Regnavit & hoc ſæculo Thebis Amphion, qui ſono teſtudinis & prece blandâ, ſaxa moviſſe dictus eſt; id eſt duros ac ſaxeos homines ad humanitatem voce flexiſſe. Ingens ſeu Muſicæ ſeu Poëticæ laus, humanum ſenſum indidiſſe mortalibus, & ad bonum voluptate innoxiâ placuiſſe.

Anno 2741. Baracus victoriam de Philiſtæo Siſara reportavit, cujus ſuſceptæ & perfectæ laus omnis penes mulieres fuit: Nam *Debora.* & Debora prophetiſſa ad caſtra profecta, in *Jahel.* hoſtem Baracum immiſſa; & Jahel fugientem Siſaram, hauſtu lactis conſopitum, trabali clavo transfixit. Quippe fœminæ quocumque ſe vertant ſemper immodicæ, vel extrema vitia, vel virtutes ſummas, perſequuntur.

Et Deboram ſuam in vaticinio parem, ſi *Phæmo-noë.* ſuperis placet, Græci oſtentant, Phœmonoën Apollinis filiam: quæ prima Delphis ad Parnaſſum montem oracula reddidit, tripode antro impoſito; unde poſteà fraudis & mendacij meſſis ampliſſima. Placet tamen quod hexametrum carmen invenerit, nobile Poëtarum ad ſublime genus inſtrumentum.

Midas. Midas Gorgiæ filius, auro inſtructior quàm ſapientiâ, cùm Panem Apollini prætuliſſet, aſininas aures habere creditus: rarò ſcilicet aurum inter & doctrinam fœdere.

Anno

Anno Mundi 2768. Madianitas profligat Gedeon; at quàm impari numero? trecenti milites in multa millia; quibus armis, lampadibus, hydriisque fictilibus; quæ victoria; quæ per ipsos hostes est confecta? *Gedeon.*

Circa annum hujus sæculi septuagesimum, floruit Dædalus, insignis artifex imò & volandi ut scribunt peritus: ab eo sanè opera Dædalæa, quæ pro temporibus artis miræ & inusitatæ, de volatu fabulæ locum fecerunt: homini satis est, quod animo volat vel ultra sydera. *Dædalus.*

Tunc & in vivis agebat Orpheus Apollinis & Calliopes habitus filius, qui suavitate carminum quæ canebat ad cytharam, feras & arbores auritas fecit. At quis credat poëseos & musicæ principem ortum à Thracia? Nunc sibi Græculi ex inventis artibus plaudant, modò se Thracibus, poëticam; philosophiam Ægyptiis debere agnoscant, & à Barbaris humanitatem suam hausisse. Hic tamen Orpheus, vel nullus fuit, vel Magus; quæ infamia & in Musæum Orphei discipulum transmissa: nec mirùm; nam plerumque præceptorum mores, ut doctrinæ, in discipulos transeunt. *Orpheus.*

Anno Mundi 2801. Abimelechus Gedeoni patri longè dissimilis, uno die 70. fratres truncavit capite; ambitionis ultimum nefas, at posteà frequens; regnandi libidine tollente paritatem quam natura fecit, nec diutiùs parto per scelus imperio potitus; nam anno *Abimelech.*

pòst tertio in obsidione turris molâ per fœminam missâ obtritus, gladio insuper confossus suo, mortis dedecus parricidio proprio geminavit, & pœnas fratribus suo ipse ferro pependit.

Coloniæ variæ. Deductæ variæ sub hæc tempora Coloniæ; nam Pelasgi in Italia magnam Græciam occuparunt, Lydi duce Thyrreno Tusciam, Siculus Itali filius Siciliam, quam tunc Sicani Hispanica gens obtinebant. Appulit & in Latium Arcas Evander, & in Palantia, ubi deindè Româ, habitavit: ejus mater Themis vel Carmenta fatidico spiritu celebris. Sic omne solum forti patria est.

Hercules. Hoc fermè tempore Hercules Thebanus monstra hominum & ferarum tollebat è medio, corporis robore & fortitudine animi præstans, vir tamen tantus, amoris turpè mancipium fuit, raptor Hesiones, Deianiræ conjugis spretor, Omphalæ servus vel ancilla, & Hylæ amator: nimirum cœlum apud Græcos non meruisset, si virtus ab omni nævo fuisset intacta.

Huc etiam pertinet seculum illud fabularum ferax apud Græcos; in quo Theseus Athenienſis Argonautæ, quorum principes Jason, Hercules, Castor & Pollux, Orpheus, Telamon. Prætereà Centauri & Lapithæ super Pirithoi nuptias præliantes; monstrum illud Cretense, à Pasiphaë Minotaurus: nec Thebanum minùs horribilè Oedipus, matris conjux, patris peremptor fratrum parens, liberorum frater & vitricus

Argonautæ.

Oedipus.

cus ſuus; Sphynge ſuâ dignum Ænigma.

Nec à parente per nefas geniti deſciverunt fratres Eteocles & Polinices; qui perſeverante poſt funus odio ſævientes, ſex illos Græcos Heroas, Adraſtum, Amphiaraum, Capaneum, Hippomedontem, Tydeum, & Parthenopæum, quorum ſeptimus Polynices fuit, ad Thebarum muros perdiderunt, oppugnando alter, alter propugnando. Nam perinde fuit eſſe ſocios ac hoſtes noxio ſuperis ſanguini. *Bellum Thebanum.*

Anno Mundi 2842. dicitur Carthago condita à Carcedone quodam Phœnice. Ad Didonem alij referunt à Tyro profugam; mundi annum aſſignantes 3166. Huic poſtremæ ſententiæ favent quamplurimi; quæ ſi vera eſt, ſanè fabula eſt Æneæ profugi & Didonis conjugium. *Carthago.*

Anno Mundi 2849. Olympici Ludi ab Hercule ad Elidem ſunt inſtituti; quos ad Pelopem alij referunt. Ad Elidem Peloponneſi urbem celebrati, ſub æſtum Caniculæ quadrigis in ſtadio decurrentibus, honoratiſſimas & ipſis regibus laureas peperere runt. *Ludi Olympici.*

Anno Mundi 2850. Jephte ex Ammonitis illuſtrem victoriam retulit. Is, tametſi ſpurius, & exul, à fratribus & tribulibus ſuis ejectus; à Deo tamen electus, obſcuritatem natalium, geſtarum rerum gloriâ illuſtravit. At victoriæ, quis credat? victorem pœnituit; cùm ex voto ſibi primam oblatam filiam immolavit, temeritatem religione in *Jephte.*

Digitized by Google

Deum purgans. Græcis facinus placuit, quî Iphigeniam, his temporibus ab Agamemnone mactatam asserunt; ita dæmone per omnia satagente, ad imitationem Dei assurgere.

Ephraim clades. Postea rebelles Ephraïmitas Jephte vel orbus delevit, quâ in victoriâ unius literulæ discrimen, longè plurimis intulit mortem. Durum solœcum; quod ferro & sanguine vindicatum est.

Herculis mors. Anno Mundi 2854. Hercules ille monstrorum domitor, furore & insaniâ percitus, sibi mortem in Oëta monte conscisens, per ultimum scelus Divinitatem, si superis placet, quæsivit.

Helena raptus. Anno sequenti creditur contigisse famosissimus ille Helenæ raptus à Paride Priami filio, quo incautus adolescens sibi suísque perniciem invexit. Hæc Helena, quam, ut ait Horatius multo repetet Græcia milite; hæc quæ Europam & Asiam ut gladiatorum par committens, spectavit è podio pereuntem orbem; digna omnium prima, ruinis ejus substerni.

Troïæ excidium. Anno Mundi 2871. Troïa post decennalem obsidionem & octingenta Græcorum millia à suis cæsa; sanè utrinque decies centena millia dicuntur cecidisse, Antenoris proditione, immisso equo ligneo, nocte à Græcis invaditur, vastatur, incenditur. Sævitum in captos, & præter nocentissimam omnium Helenam, parcitum nulli. Proh belli dedecus! ob mulieris libidinem tam multos

cæsos:

cæsos : nec victoriæ minor infamia, quâ belli causâ, pœnæ expers fuit. Quid est Menelaë, quòd adulterium vindicando, adulteræ parcis? Servatus ad magna Æneas, ex Ilio profugus, fata ingentia in Italiam deferet; genti terrarum olim dominæ, fugam & exilium in nobilitatis fontem traditurus.

Anno Mundi 2880. Sanson ætatis anno vicesimo, ad Philistæos profligandos natus, in fortitudinis rudimentum leonem inermis discerpit: ac posteà asini maxilla quasi Herculis clavâ mille hostes mactat: Gazæ obsessus, portas urbis non modò repagulis emovet; sed & humeris quasi victoriæ ferculum defert: At vir tantus impingens in scopulum, amatâ Dalilâ meretrice (adeò difficiliùs est continentem esse quàm fortem) atque arcano de crine detecto, capitur, illuditur & excœcatur à Philistæis, pœnásque impuri amoris gravissimas pendit, in pristinum vilissimi bruti instar adactus. Post mortem tandem, suas divinásque ultus injurias, cùm excussis columnis, dejecto tecto, contrivit omnes hostium Principes, quadragesimo ætatis anno. Vidit licet cœcus, se glorioſiùs mori non posse. Sansoni in Judeæorum principatu, Heli successit. *Sanson.*

At anno tertio post eversam Troïam Æneas in Italia, ab Latino Latij Rege exceptus, post Turnum victum Laviniam in conjugem habuit, unde Lavinium. Quin *Æneas in Italia.*

& Aſcanius ex Creuſa filius Albam poſuit. Quis credat à victis Phrigibus Romanos orbis Dominos proditúros!

Anno Mundi 2939. Iſraëlitæ dirâ clade victi ſunt à Philiſtæis, Dei Arcâ captâ,
Heli. cæſi Heli liberi, ipſe ad nuntium de ſella corruens animam egit. Ita Deo filiorum noxas in patre, principum in populo ad exemplum orbis puniente.

CARIOPHILLI.

Digitized by Google

CARIOPHILI.

AREOLA V.

A Samuële ad Imperium Babyloniorum.

Cariophillo quid ſplendidiùs, quid odoratiùs? quid Daniele & Salomone illuſtriùs? quàm multa regna in orbe creata, ut ſingula ſint pro fulgentibus foliis. At mutuò nata diſpereunt, oriuntur & occidunt; utq́ in floribus, è pompæ ſpectaculo, & fœtor unus ſupereſt, & marcidum fœnum.

ANNO Mundi 2940. Samuël quadrageſimum annum agens, prophetiis virtutibúſque clariſſimus, à Deo in Principatum populi jam ante vo- *Samuël.*

catus, ab eodem populo, ſuffragante numine, Judex eligitur. Vitâ, religione, adminiſtratione reipubl. ſanctus, ab avaritia & crudelitate omni alienus, præſtans Judicis forma & exemplar.

Spartæ Reges

Circa Annum Mundi 2961. Spartanorum Reges initia habuerunt. Cùm enim Heraclidæ ſive poſteri Herculis in Peloponneſum rediiſſent: unus illorum Ariſtodemus Lacedæmone regnum fundavit, qui cùm duos filios reliquiſſet Proclem & Euryſthenem: duæ inde regum familiæ, Spartæ, ortæ ſunt; unde multi Reges: rarò in humanis rebus eventu, ut pax diutiùs inter conſortes regni perſeveret.

Saül Rex.

Anno ſequenti Saülem Samuël inunxit in Regem, cùm viginti annis ſolus rempubl. adminiſtraſſet: virum corpore quidem eximium, ſed animo moribúſque ruſticum, unctione ita immutavit, ut jam regis imbutus animo, virtutes regias momento induerit. Eo nimirum divina, humanis ſuffragia diſcrepant, quòd humana, regno dignos non faciunt, divina faciunt. Anno proximo ſortes conjectæ ſunt in comitiis populi, & Deo admoderante in eundem Saülem ceciderunt.

David Rex.

Anno Mundi 2969. Davidem Samuël regno inaugurat, abdicato divinitùs propter obſequij detrectationem Saüle: adeò Deus obtemperantes Principes, quales ſuos ipſi ſubditos, flagitat. Hic David, puer & ovium ductor, in Regem dotibus omnibus

bus cumulatiſſimum brevi evadet, per labores & ærumnas: quæ certiſſima ſementis eſt gloria.

Nam ſtatim anno poſt altero, Goliathum pro mole corporis, viribus ac audaciâ præditum, paſtoritiâ fundâ proſtravit. Quàm impar certamen! puer in virum, paſtor in militem, in armatum nudus! à nudo tamen ſtetit victoria: nec vinci poteſt, quo cùm Deus pugnat. *Goliath.*

Anno Mundi 2979. luctuoſiſſima Saüli clades & Iſraëlitico contigit populo: victi à Philiſtæis; ipſe Saül in enſem præ deſperatione incubuit, amantiſſimus Davidis Jonathas cæſus in prælio: impletæ minæ per Samuëlis umbram Regi intentatæ. Luxit David jacturam hoſtis, regnum hac ruinâ partum diſplicuit, quod ipſi ut traderet Deus & Saülem inimicum & amicum Jonatham ſuſtulit. *Saülis & Jonathæ mors.*

Anno Mundi 2985. Codrus Athenienſium Rex vitæ breviſſimæ immortalitatem famæ anteponens, ſeipſum pro ſuis piacularem victimam obtulit, ſuâque morte victoriâ partâ, victus, hoſtes vicit, amoris in patriam vel patriâ ipsâ pereunte, æternum in ultima ſecula monumentum. *Codrus.*

Anno Mundi 3009. David illuſtre viciſſitudinis humanæ ſpecimen, per Abſalonem filium regno pellitur: Deo jam ante continuis calamitatibus cædem Uriæ & adulterium vindicante. Ut documentum Regibus foret, *David regno pulſus.*

catus, ab eodem populo, ſuffragante numine, Judex eligitur. Vitâ, religione, adminiſtratione reipubl. ſanctus, ab avaritia & crudelitate omni alienus, præſtans Judicis forma & exemplar.

Spartæ Reges

Circa Annum Mundi 2961. Spartanorum Reges initia habuerunt. Cùm enim Heraclidæ ſive poſteri Herculis in Peloponneſum rediiſſent: unus illorum Ariſtodemus Lacedæmone regnum fundavit, qui cùm duos filios reliquiſſet Proclem & Euryſthenem: duæ inde regum familiæ, Spartæ, ortæ ſunt; unde multi Reges: rarò in humanis rebus eventu, ut pax diutiùs inter conſortes regni perſeveret.

Saül Rex.

Anno ſequenti Saülem Samuël inunxit in Regem, cùm viginti annis ſolus rempubl. adminiſtraſſet: virum corpore quidem eximium, ſed animo moribúſque ruſticum, unctione ita immutavit, ut jam regis imbutus animo, virtutes regias momento induerit. Eo nimirum divina, humanis ſuffragia diſcrepant, quòd humana, regno dignos non faciunt, divina faciunt. Anno proximo ſortes conjectæ ſunt in comitiis populi, & Deo admoderante in eundem Saülem ceciderunt.

David Rex.

Anno Mundi 2969. Davidem Samuël regno inaugurat, abdicato divinitùs propter obſequij detrectationem Saüle: adeò Deus obtemperantes Principes, quales ſuos ipſi ſubditos, flagitat. Hic David, puer & ovium ductor, in Regem dotibus omnibus

bus cumulatiſſimum brevi evadet, per labores & ærumnas: quæ certiſſima ſementis eſt gloria.

Nam ſtatim anno poſt altero, Goliathum pro mole corporis, viribus ac audaciâ præditum, paſtoritiâ fundâ proſtravit. Quàm impar certamen! puer in virum, paſtor in militem, in armatum nudus! à nudo tamen ſtetit victoria: nec vinci poteſt, quo cùm Deus pugnat. *Goliath.*

Anno Mundi 2979. luctuoſiſſima Saüli clades & Iſraëlitico contigit populo: victi à Philiſtæis; ipſe Saül in enſem præ deſperatione incubuit, amantiſſimus Davidis Jonathas cæſus in prælio: impletæ minæ per Samuëlis umbram Regi intentatæ. Luxit David jacturam hoſtis, regnum hac ruinâ partum diſplicuit, quod ipſi ut traderet Deus & Saülem inimicum & amicum Jonatham ſuſtulit. *Saülis & Jonathæ mors.*

Anno Mundi 2985. Codrus Athenienſium Rex vitæ breviſſimæ immortalitatem famæ anteponens, ſeipſum pro ſuis piacularem victimam obtulit, ſuâque morte victoriâ partâ, victus, hoſtes vicit, amoris in patriam vel patriâ ipsâ pereunte, æternum in ultima ſecula monumentum. *Codrus.*

Anno Mundi 3009. David illuſtre viciſſitudinis humanæ ſpecimen, per Abſalonem filium regno pellitur: Deo jam ante continuis calamitatibus cædem Uriæ & adulterium vindicante. Ut documentum Regibus foret, *David regno pulſus.*

Digitized by Google

foret, in ſupremum Regem non rebellare, & in Principe libidinis pœnas non differri. Hæc peccati pœna; ſed pœnitentia fructu non caruit, nam Pater regno redditus, filius victus & à Joabo confoſſus, pependit impius crinibus, & unde ſuperbiam, inde mortem hauſit.

Ionica Emigratio. Anno Mundi 3011. contigit Ionica emigratio, cùm ex diſſenſione inter filios Codri exorta, & Medonti licet claudo per oraculum Delphicum regno aſſerto, Nileus ejus frater educta juventute navigavit in Aſiam, urbéſque celeberrimas poſuit, Epheſum, Miletum, & alias, quæ Græcæ origine, lingua & affectu, occupatæ mox à Perſis, diuturni belli cauſæ fuerunt.

Salomon Rex. Anno Mundi 3020. Salomon ætatis anno vigeſimo primo, patris adhuc ſuperſtitis juſſu, regno inungitur, Nathane Prophetâ & Betſabeâ matre curantibus; fratre Adoniâ ſpe regni quod jam occupabat, imò & vitâ dejecto. Ita regnum inter & mortem nihil medium eſt, & ab uno pulſus in alterum ruit. Hic eſt Salomon, qui cùm ſapientiam rebus aliis præoptaviſſet, ſic & alia bona eſt aſſecutus, ut divitiis pace ac felicitate præcipuus, Regum clariſſimus & magnificentiſſimus longè omnibus laudi fuerit & miraculo.

David. mors. Sequenti anno David Rex moritur, regni 40. à Samuëlis ſchola propheta eximius; pietate in Deum, juſtitiâ in ſubditos, moderatione in hoſtes, omni laude major; ſic ſanctâ in

in piorum memoria pœnitentiâ, ut pœnitentium exemplar delictum ſuum ſanctum effecerit.

Anno Mundi 3030. Templum Hieroſolimitanum ſeptimo ante anno à Salomone fundatum, ab eodem perfectum eſt & inauguratum: pompam, aurum, gemmas, ſuppellectilem quid referre proſit, cùm id Majeſtas Dei præſens inſederit, ſedémque cœli vicariam Solymarum templum optaverit. *Templi conſecratio.*

Anno Mundi 3039. natus eſt Homerus, Poëtarum princeps, imò doctrinæ omnis fons & origo. Septem urbes de tanto viro contenderunt; placet ſententia, quæ Smymam laudat. Vixit annis centum quatuor; vir tantus mori nunquam debuerat. Hoc porrò ſeculum, ut Judæis Prophetarum eſt, ita & Græcis Poëtarum; aliis divino, humano aliis furore perculſis. *Homerus.*

Anno Mundi 3047. illuſtris fuit clariſſimâ illa pugnâ honoris, magnificentiæ & ſtuporis; cùm Regina Sabæ, Nicaulam dicunt, Salomonis famâ excita, ab Arabia felici ad eum ſe contulit, ubi ſapientiâ & opulentiâ Regis ſupra famam perſpectâ, ingentibus licet datis muneribus, rediit locupletior, verâ in Deum fide. Felix mulier, quam multis poſt annis Chriſtus ipſe Deus canon omnis laudis, commendavit. *Regina Sabæ.*

Anno Mundi 3059. ſapientiſſimus ille mortalium juxta ac ſtultiſſimus Salomon, anno regni 40. curis potiùs quàm annis, deliciis *Salomonis obitus.*

Digitized by Google

deliciis quàm laboribus confectus, vitam admodùm variam morte concluſit. Prodigioſa antitheſis! nam Salomoni quid diſſimiliùs Salomone? componatur prior gloria, cum poſteriore dedecore; ſapientia cum dementiâ; Angelica adoleſcentia cum ſenectute nequiſſima; religioſa juventus cum propudioſa canitie. An pœnitentia tot eluerit labes, incertum: ſententia faventium placet: ne tanta beneficia Deus perdiderit.

Roboam. Jeroboã. Sequenti anno Iſraëliticum regnum diviſum eſt: cùm Roboamus Salomonis filius in tribu Judâ & Benjamin regnaret: decem aliæ in Jeroboami verba juraverint, ſævitiam & avaritiam Regis detrectantes. At ſummo crimine Jeroboamus idolorum cultum invexit, dum religionem ſuorum veritus, dedit illis Deos quos colerent. Ita plerumque pietate abuſi Principes, veram evertunt, ut falſam in commodum ſuum ſubſtituant.

Seſoſtris. Ægypti. Circa id tempus regnavit in Ægypto Seſoſtris, ſcripturæ Seſac: qui victoriis Orientem totum pervagatus, ad Æthiopes & Scythas penetrans, jam animo imperium orbis agitabat: ſed primùm à ſuperbia felicitatis aſſeclâ victus, cùm devictos Reges ad currum jungeret: & ipſe ab Eſubope Colchorum Rege ſecundò vincitur. Ita Regibus capitalior nullus hoſtis quàm vanitas.

Pheron. Hujus filius Seſoſtris Pheron, deprehenſas à curatione oculorum impuras mulieres

omnes

Digitized by Google

omnes Ægyptias flammis addixit, præter unam olitoris conjugem, quam conjugio & regno donavit. Quæ ſexus labes, tot inter fœminas unam eſſe caſtam.

Anno Mundi 3077. Abias filius & ſucceſſor Roboami in Jeroboamum pugnavit, tantâ victoriâ ut ex hoſtibus ceciderint quingenta millia. Mirùm, non eſſe ab hac victoria debellatum: niſi Deo placuerit, Judæ regum hoſtes non perdere, per quos ipſi in pietate perſtarent, vel ad eam ſi deflecterent revocarentur. *Abias.*

Anno Mundi 3080. Aſa Abiæ Patri in regno ſucceſſit, ignavo & impio fortis & pius: nam & Idolorum fana demolitus, Priapíque luco exciſo, divinum cultum inſtauravit, & præclaram de Æthiopibus palmam retulit, qua illi ad decies centena millia militum, terrore immiſſo divinitùs, amiſerunt; ingénſque præda ceſſit victoribus, ſic victorias religio parit, & fortitudinis obſtetrix pietas. *Aſa.*

Anno ſequenti ſceleratiſſimus ille Jeroboamus, tandem ultione divina reum aſſequente, à dæmone perimitur; hæc enim ipſius adorati merces. Succeſſit Nadabus, mali corvi malum ovum: qui anno pòſt altero, peſſimo humanarum rerum exemplo, à Baaſa transfoditur. Occupavit regnum interfector, & 24. annis tenuit, dormitante aliquando in ſceleribus Deo, nunquam conſopito. *Jeroboami mors.*

Anno Mundi 3110. cùm regnum Iſraëlis

lis poſt varias contentiones perveniſſet ad Amri, & Therſa urbs regia cædibus & rapinis vaſtata eſſet; idem Amri Samariam urbem in monte condidit, quæ deinceps regni primaria opibus & munimentis evaſit.

Samaria.

Achabº, Jezabel.

Anno Mundi 3138. Achabus Amri filius, cùm ſcelera ſceleribus inſtigante Jezabele uxore cumulaſſet, ſpretis Eliæ monitis & Michææ vaticiniis, tandem à Benadab Syriæ Rege, quem ante vicerat, profligatus & cæſus, patientiæ Dei pœnas dedit. Anno pòſt decimo tertio, Jehu Iſraëlis regno occupato, Jezabelem criminum omnium fœminam, debitâ dudum morte mulctavit: nec in mortua parcitum, pœnæ nam & à canibus diſcerptum cadaver, & 70. Achabi filij, in divinæ vindictæ appendicem, ferro necati ſunt.

Elias.

Anno Mundi 3139. Elias Thesbites Propheta ſanctiſſimus, curru vectus igneo, totus ipſe ignis, è vivis abiit non moriturus, prodigiorum patrator inſignis, Moyſi ſuppar vel æmulus; niſi quod ad pœnam alter, alter ad veniam, Deo uſi ſunt. Succeſſit

Eliſæus.

Eliſæus non indignus Magiſtro diſcipulus, qui cùm mira vivus plura perfeciſſet; in ſepulchro mortuum ſuſcitavit, mortuus tamen; adeò triumphare mortem in alio quibuſdam licuit, at in ſe nemini.

Joſaphatus.

Anno Mundi 3145. Joſaphatus moritur Judæ Rex, Asâ patre ſanctior, zelo, fortitudinæ victoriis à cœlo clarus.

Circa

Circa Annum Mundi 3152. Lycurgus Lacedæmonis condebat leges ; ſapientiâ ac temperantiâ morum clariſſimus qui exilium regno anteponens, tutor pupillo regnum reſtituit, ſéque in patriæ gratiam exulem juſſit. Spartæ Imperium dedit in legibus, quarum obſervantia quandiu viguit (viguit autem per quingentos annos) ſervitutem Sparta neſcivit. Nec tamen eas dubitem ab Apolline, hoc eſt, ab impuriſſimo dæmone traditas, quæ furtum & adulterium non plectebant, adeò ut laudarent : quid fiet illorum vitiis, quorum virtutes turpitudinibus tantis infamantur. *Lycurg⁹.*

Anno 3157. Athalia ſola ex Achabi prole ſuperſtes, quæ ſeptimo ante anno Ochoſiâ Juda Rege filio ſuo demortuo, prolem omnem regiam quantùm in ipſa fuit, peremerat; regnúmque vi occupatum, vi & cædibus adminiſtrabat ; adnitente Joiada Pontifice ferro occiditur, Joa octenni in regnum aſſumpto ; quem infantulum, aviæ crudelitati ſubtractum, Joiadas clanculùm educabat. Sic Achabi ſtirps evulſa radicitùs, nullo termino repullulavit. *Athalia, Joas.*

Circa hæc tempora Reges Ægypti Pyramides prodigioſa vanitatis humanæ monumenta certatim erigebant ; immenſis populorum ſumptibus & ærumnis ; in quibus illa celeberrima ; quæ quinque ſtadiâ longâ, pro miraculo mundi habita eſt. Sed Regum ſuperbiæ Deus illuſit, qui disjectis molibus & nomina perdidit conditorum : una tamen perſtat ; *Pyramides.*

Digitized by Google

perſtat; an ad minùs ludibrium? nam auctor neſcitur, & trophæum regium veſpertilionum aſylum eſt. Ite mortales, & immortalitatem à ſaxis quærite.

Dido. Anno Mundi 3166. plerique à Didone Carthaginem conditam aſſerunt. Hæc Eliſa, quæ Tyro profuga delata in Africam virilis animi fœmina, urbem condidit; nec oblita ſexum Jarbæ thalamis mortem antetulit: nempè ornamentum fortitudinis pudicitiâ: & ſupra laudem eſt, utriuſque ſexus laudem reportaſſe. Malè igitur Maro de Didonis nuptiis cum Ænea; Romanus gentis odia perſequutus eſt; nec acerbiùs potuit, quàm Punicum genus in ipſo fonte inficiendo.

Jonus. Circa Annum mundi 3216. Miſſus eſt legatus ad Ninum ſeu Ninivem Jonas. Quis crederet, niſi ſe Deus aſſertorem daret? in piſcis devorantis utero ſeu in carcere, ſeu in aſylo, triduum egit: pòſt urbs Ninus voluptatis ſedes & flagitiorum ad liberi Prophetæ vocem repentè mutata, Rege ipſo (Sardanapalum, quod mirum eſt volunt) ſaccum induente. Utriuſque prodigij prodigioſus effectus; primum, Jonam mutavit: alterum, Deum: pœnitentibus abdicatâ pœnâ pepercit.

Sardanapalus. Anno Mundi 3255. Aſſyriorum Rex Sardanapalus à Belo 37. meretrice quâvis corruptior, ab Arbace Medo, Beleſo Babylonio, aliis ducibus rebellantibus, jam biennio Nini obſeſſus, tandem inundatione Tigris

Tigris muro labem paſſo, ſibi deſperans: gazas & opes, mulierum greges & Eunuchorum, luxuriæ regiæ inſtrumenta, ac ſeipſum in pyram conjectum, abſumpſit incendio. Pudet annis viginti monſtrum illud hominis ſuperaſſe: libidinum quo diu flagrabat incendium hanc pyram meruit.

Aſſyriorum imperium Duces diviſerunt: Arbaci Medo magna pars obtigit: Phul ſibi Ninum ſepoſuit: In quo & ſucceſſoribus aliquot regnum Aſſyriorum licet graviter imminutum ſtetit adhùc per annos centum: donec ad Babylonios eversâ planè Nino translatum eſt. Ita ludit in orbe terrarum præpotens Deus, quaſi bullas evanidas regna concuticns. *Aſſyriorum regnum.*

Anno Mundi 3240. Caranus regij ab Hercule ſanguinis, in Macedonia pulſis regulis & adjunctis gentibus primus Macedoniæ regnum conſtituit: à quo Alexander per patrem ab Hercule, ab Achille per matrem. Medius inter Herculem & Alexandrum Caranus, à ſole gemino lucem arceſſit. *Macedoniæ regnum.*

Circa annum Mundi 3245. Heſiodus Poëta perelegantis ingenij, & molliſſima, ut ait Paterculus, dulcedine carminum memorabilis ingenti famâ nomen ſibi fecit. Et poſt mortem alieno beneficio clarus, cùm ejus interfecti cadaver in mare projectum, Delphinum vehiculo ſit terræ redditum, & canis indicio reperti ſicarij, animantibus humanitatem ubi ponunt homines induentibus. *Heſiodus.*

Anno

Olympiades. Anno Mundi 3278. ante Chriſtum 775. cepit Græcia tempora per Olympiades deſignare, quibus Hiſtoria certitudinem omnem ſuam debet. Et quidem ante annis 430. Ludi Olympici fuerant ab Hercule conſtituti, ſed illæ 27. Olympiades obliteratæ. Ludos Olympicos reſtauravit Iphitus Elæorum Rex, juſſítque ut victorum nomina ſcriberentur in tábulis & columnis; memoriam temporum ſervavit gloria; per Olympionicas ſalvâ hiſtoriâ: primus victor Choræbus Elæus in monumentis perſcriptus eſt, qui curſu vicit (poſt Athletæ additi, dein & quadrigæ) merentur in Hiſtoria locum, per quos illa ſtetit.

Teglaphalaſar. Sequenti anno Phuli Aſſyriorum Regi ſucceſſit Teglaphalaſar, qui luctuoſiſſima clade Iſraëlitas affecit, vaſtatâ penitùs regione, captiviſque abductis ingenti numero; tardè ſed graviter jam, ad pœnas Deo progrediente.

Roma condita. Anno Mundi 3302. Olympiadis ſeptimæ primo, ante Chriſtum 751. illa gentium Domina Roma condita eſt. Conditores fratres Romulus & Remus, qui per inceſtum geniti, nam ex Amulio & Rhea nepte, ſervati miraculo; quippe Tiberis projectos in alveum in ripam retulit, & Lupa quæ vorare debuit, ubera præbuit: poſteà ætatis anno 18. auſpiciis avi Numitoris, novam urbem 21. Aprilis, vel ut alij volunt (adeò rerum vel clariſſimarum initia incerta ſunt) 4. Octobris, traductis ex Alba incolis poſuerunt.

runt. Sed exortâ ſtatim diſcordiâ, in rixa Remus, vel à fratre, vel ab alio cæſus, ſuperſtiti Romulo regnum ſtabilivit. Effer te, Roma, Petro nondùm ſacra, & ſuperba imperes orbi; dum ortum tuum inceſto, ſacrilegio, & parricidio debeas.

Anno Mundi 3309. Achaz Rex Judæ impietatis portentum ultimum tandem odioſiſſimam Deo vitam clauſit, Ezechiâ filio ſuccedente, ſanctiſſimo & religioſiſſimo Principe: Deo providente, ut delicta patris natus emendaret. Mirùm, ex corruptiſſimo trunco prodiiſſe ramum incorruptum. *Achaz.*

Anno Mundi 3314. Regnum Iſraëliticum inſtitutum à Jeroboamo per rebellionem & impietatem, poſt 255. annos plane everſum eſt. Salmanaſar Aſſyriorum Rex, Teglaphalaſſaris ſucceſſor, detrectante tributum Oſeâ, Samariam obſidet, tertio tandem anno vi expugnat. Regem Oſeam agit in vincula, in quibus moritur, Iſraëlitas omnes captivos Ninum deducit. In quibus ſanctiſſimus Tobias, cum Anna uxore & Tobia filio adhuc anniculo; is, per adverſa tentatus plurima, ut deinceps beneficiis pluribus cumularetur; in viſu reſtituto, in reddito filio, in inventa nuru, in aucta pecunia, in tutela Angeli; quàm multa Deus in calamitatum mercedem rependit! At diſcant Reges interire regna ut homines, nihilque tutum quod divina baſi non nitatur. *Iſraëlitici regni finis* *Tobias.*

Hanc regni cladem prænuntiarat Eſaias, ad refrænandam Achaſi impietatem à Deo immiſſus; *Eſaias.*

Digitized by Google

immiſſus: ſed canebat ſurdis divinus pſaltes: Caſſandræ interminanti Troïæ exitium fides non habita. Hic eſt Eſaïas regij ſanguinis, qui vaticinij laude ſuprà omnes clarus, Chriſti futuri myſteria ſic proſpexit, ut inter ipſius viventis præcones annumeretur. Nec à vaticinio vita abluhit, aſſiduis ærumnis exercita; adeò ad Chriſtum via pater una per labores.

Sennacherib. Anno Mundi 3319. Sennacherib Salmanaſare patre vitâ functo ſuſcipit regnum, qui Iſraëliticos ſub parente liberaliùs habitos acerbiùs vexavit, ut inde virtuti Tobiæ in juvandis & ſepeliendis fratribus, vel imminenti vitæ diſcrimine honeſtiſſimus locus daretur: nam oppreſſa virtus glorioſior eſt.

Sol regreſſus. Anno Mundi 3322. prodigium illud inauditum in orbe contigit, cum Ezechiæ ad mortem decumbenti nuntiata eſt ab Eſaia valetudo, & ad annos quindecim vitæ incolumitas: & in ſignum ne de oraculi fide ambigeret, revocatus cum horologij publici umbra ſolis curſus, ut ille dies ad duodecim horas, viginti additis, horarum triginta duarum fuerit. Quàm honeſtiùs hic producitur dies, quàm infamis illa Græcorum nox, quæ famulata adultero Herculem genuit.

Sennacheribi clades. Anno Mundi 3324. Deus Opt. Max. Ezechiæ ſalutem coronat victoriâ. Redibat ovans ex Ægypto Sennacherib, geminâ de Ægyptiis ac Æthiopibus palmâ prætumidus, urbique Jeruſalem numeroſiſſimis copiis imminebat:

Digitized by Google

imminebat : cùm in ipſius urbis conſpectu; nocte concubia, Angelus Domini Aſſyriorum 185. millia ſtravit, & in iis pugnaciſſimos quoſque, ſed cæde tacitâ, ſtrepitu nullo aut clamore. Quàm miſerabilis caſtrorum facies, ſolis luce cladem retegente? humanâ major viſa eſt, & Author notior, quò ignotior. Rex perterritus, fuga præcipiti Ninum petiit, furore percitus in Hebræos? quem nec exeruit, nam à filiis in templo cæſus eſt, & ſcelus novo compreſſum ſcelere. Parricidæ profugi Aſſaradono fratrum minimo regnum reliquerunt; nec enim adhuc parricidia regno donabantur.

TUBEROSÆ

TUBEROSÆ.

AREOLA VI.

A Babyloniorum Imperio, ad Persicum.

Quis Princeps Nabucodonosore clarior? Quis Administer Daniele illustrior? sic Tuberosa sublimem caulem erigit, funditq; odorem, quo latus aër imbuitur: scopus oculis, naribusq; delicium. Attamen & marcescit candor, & odor deperit; & ideò humana, ut defloreant, florent.

Babyloniorum Imperiū.

AB hac clade Merodachus Babyloniorum Præfectus, excusso jugo Assyriorum, quorum vires propemodùm fractas expeditione Judaïca senserat, se Regem tulit; ut qui aliena appetebant

bant Aſſyrij, amitterent & ſua. Is eſt Merodachus, qui poſt annos aliquot Babyloniorum regnum in Aſſyriorum ruinis eriget. Nimirùm anno mundi 3334. Olymp. 15. anno 1. Quo victo & cæſo à Babyloniis Aſſaradone, Aſſyriorum imperium penitus everſum eſt, vaſtata Ninus, & Merodachus ipſe Babyloniorum totiúſque Orientis Dominus evaſit. Ita ſecundò Babylon ſedes Imperij, futuris ſeculis, quaſi phœnix è cineribus ſuis oritura.

Anno Mundi 3337. Ezechias Judæ Rex è vivis abiit, pietate, obſervantiâ in Deum, & rebus geſtis clarus in paucis; peſſimi patris natus ſanctiſſimus, peſſimi nati pater ſanctiſſimus: nam Manaſſem genuit, quo pejorem, ſi finem demas, nulla ætas vidit. *Ezechias.*

Nam ut ex regni præludiis ſumas auſpicia, ſtatim in contraria patris ſtudia raptus, in os ſacrum Numinis Eſaiam illum, ab immanitate Achaz intactum, morte ſimplici non contentus, ſerra diſſectum, venerabilem ſenio virum, ſanguine proximum, acerbiſſimo cruciatu necavit. Ut inde non mireris cædes, flagitia, magiam, parricidia, & quæ audet in poteſtate ſumma improbitas: perierat tandem, niſi periiſſet. *Eſaiæ mors.*

Anno Mundi 3338. Romulus vivere deſiit, quo fato, an à ſuis cæſus, an à dæmone raptus, incertum: Quirini Numen poſteritas fecit; & ſanciyit Numa ſucceſſor, inducta Romæ ſuperſtitione; placuit ipſi commentum Egeriæ, ut mortuus faciliùs habe- *Romuli mors.* *Numa.*

retur deus, cui etiam vivo cum dea commercium. Ea tamen multis magiæ ſuſpicionem non, levem movit.

Gyges. Et eodem tempore Gyges in Lydia præſtigiator & magus, annuli beneficio aſpectum hominum fugiens, Candaulis Lydorum regis abuſus gratia, ſuam ipſi conjugem, & per conjugem, vitam & regnum rapuit. Hæc nempe beneficia ab amaſiis dæmonum. Hujus Gygis abnepos Crœſus, & ipſe per dæmonis fraudem regno privandus.

Manaſſes. Anno Mundi 3344. Manaſſes jam ſeptimum annum impietate omni ſe polluens, Babylonem captivus ductus eſt: vi an dolo captus, ambiguum. At ex his vinculis capto libertas, nam ex calamitate ſapiens, & pœnitens ſcelerum, Deum appellavit, auditúſque, ſtatim à Merodacho dimiſſus regnum repetiit: ubi alter à primo flagitia virtutibus emendavit. Felicem miſeriam! quæ mancipat corpus, animi vindex: hoc eſt terram & chalibem auro & cœlo mutare.

Judith. Anno Mundi 3346. ante Ch. 707. Amazon ſanctiſſima Judith de Holopherne cæſo triumphavit. Is à Merodacho (quem & Nabucodonoſorem vocant) totius orbis imperium ambiente, cum numeroſiſſimis copiis Imperator, Bethuliam obſidebat, jámque expugnabat: cum Juditha Hebræa mulier, Græcâ Halenâ pulchrior, quia in pulchritudine ſummâ caſtior, captum oris ſpecie Ducem, pòſt vino madidum & ſomno oppreſſum, capite minuit. Nec arduum obſeſſis

obſeſſis fuit, palabundum exercitum & ſine capite truncum concidere: paſſim cædes, ſpolia, triumphi. Ita victorem Deus à victo perculit, & per imbellem fœminam inania de orbe vota disjecit.

Anno Mundi 3368. bellum Meſſenios inter & Spartanos exarſit iterum: Ariſtomene duce fortiſſimo Meſſeniorum, Tyrtæo poëta Athenienſi Spartanos ducente: poëſis, quis credat? fortitudinem vicit: ſubacti Meſſenij, ipſe Ariſtomenes poſt patrata fortitudinis ſuprà mortalem prodigia, captus, vulneratus, tortus, morti applicitus, nuſquam pejus de virtute fortuna meruit: tandem coactus eſt in Siciliam fugere: ubi Zanclam urbem occupavit, & Meſſanam dixit: exilio quàm Patriâ fortunatior, Ituræ in poſteros urbi nomen dedit. *Ariſtomenes.* *Meſſana.*

Fuit hoc ſeculum conditis urbibus perilluſtre: quo Parthenij primo bello Meſſenio à Spartanorum adoleſcentibus, maritis eos ad uxores mittentibus ne à bello diſcederent, procreati; duce Phalanto Tarentum in Italia poſuerunt: & Corcyram Corinthij, unde inſulæ nomen: & Chalcedonem in Aſia Megarenſes, jure cæci dicti, quòd tranſmiſſo freto in Europa commodiùs non poſuiſſent: ſequutæ ſunt Cyzicus in Aſia, Aſtacus pòſt, Nicodemia in Bythinia, Locri in Italia, in qua & antea Croton & Sybaris, ut in Media Ecbatana à Dejoce Medo. Ita Romam conditam ſequutæ ſunt urbes quàm plurimæ, ut deinceps eſſent quas vinceret. *Urbes variæ conditæ.*

Poëtæ iambiti.

Peperit & hæc ætas Poëtas duos iambico carmine celebres, Archilochum & Hipponactem; quorum Archilochus iambum armavit ad maledicta & contumelias, Lycambe ſocero ad ſuſpendium impulſo: Hipponax tántò magis incendit, quantò faciliùs inventis addere pudet inventum oblectationis traductum in perniciem, impleviſſe ferrum & laqueum; ipſi Muſarum Perylli ſuo invento opportuniùs periiſſent.

Muſica.

Memorantur & in Muſica nobiles Ariſtoxenus & Terpander, nam affinis eſt Poëtæ Muſicus; in utroque carmen, menſura, cantus & voluptas.

Ben-merodachus.

Anno Mundi 3376. Merodacho patri demortuo Ben-merodachus in Babyloniorum regno ſucceſſit, de quo in hiſtoria mirum ſilentium, ſed rarò magnis parentibus æquantur filij: præterea futurus avus Nabuchodonoſoris, obſcuritate propria clariorem effecit nepotem. Tametſi magnum eſt magnum principem orbi genuiſſe.

Numæ mors.

Anno Mundi 3384. Numa Pompilius deſiit vivere: fœlix quod placidam indolem bella non turbarunt; armavit pacem religionibus; quos prædones fecerat Romulus, cives reliquit; finitimorum arma inermis compeſcuit; & Ancilibus, Saliis, Lituis, quàm gladiis ſcutíſque fortior, togatus plures quàm ſagatus Romulus triumphos meruit; ſi majùs eſt, in ſemente quàm in ſegete bella exſcindere.

Tullus Hoſtilius.

Ad regnum ſequenti anno evectus Tullus Hoſtilius. Is, ut res humanæ vicibus conſtant,

conſtant, ſtatim martiam gentem ad militarem operam revocavit ; ne hoſtes deeſſent, Albanos hoc eſt fratres aggreſſus eſt, & per Horatios imò per Horatium profligavit. Tunc primùm inter urbes inſtitutum parricidium ; matrem Albam 487. annos natam Roma filia evertit ac diruit, adeò parum eſt ambitioni homines perdere, ni ſaxa perdat. Periit Tullus incendio 32. pòſt anno, domo regiâ de cœlo tactâ ; domeſtico debebatur incendio, qui affines bello incenderat.

Anno Mundi 3395. Joſias octennis Judæorum regno inauguratur ; Amone patre ſceleratiſſimo bipedum, poſt alterum regni annum per domeſticam proditionem interempto. Et hic Amon Manaſſis patris æquaverat crimina ; non pœnitentiam ; nec enim ad eam itur per proſpera ; ſed Joſias filius ſanctiſſimus fuit ; ita Deo admoderante, ne pietas impietate obrueretur. *Joſias.*

Circa hæc tempora natus Jeremias luctuoſiſſimus calamitatum populi vates ac teſtis, qui Joſiæ in evertendis idolis proviſus cœlitùs adminiſter, dein Sedeciæ peſſimi redargutor ; tandem poſt famem, flagra, carcerem, vincula, vitâ in perpetuis miſeriis aut ſuis aut alienis, & eò forſitan gravioribus, decursâ, in Ægypto à ſuis cæſus eſt : adeò veritas ubique gentium odium parit. *Ieremias.*

Anno Mundi 3415. Ancus Martius Numæ ex filia nepos Romæ regnum capeſſiit. *Ancus Martius.*

Digitized by Google

ſiit. Is inter avum & Tullum medius, revocata religione nec omiſſo bello, Latinos ſæpiùs victos Romam induxit. Hic enim tunc fructus victoriæ, ut qui victi eſſent, Quirites facti in eorum qui vicerant numerum referrentur. Et ædificiis urbem Ancus ornavit, meritò quàm auxerat civibus; & oſtium ad mare condidit, quaſi portam ad tranſmarinas palmas aperiret.

Joſiæ mors. Anno Mundi 3425. Joſias ille pius, in Pharaonem (qui & dictus Necao) Ægipti Regem decertans prælio, ſagitâ ictus interiit, nec enim ſanctis illibata ſemper proſperitas. Simul cum illo religio periit *Joachin.* omníſque pietas. Nam Joachin ſucceſſor, & ab hoc populus ad idola relapſus eſt; & Prophetæ cæſi, & criminum nulli parcitum eſt: donec captâ à Babyloniis Jeroſolyma, & ipſe Joachin cum viris primariis (inter quos infans è ſtirpe regia vir tantus futurus Daniel) Babylonem captivus abductus. Belli cauſa, quod is interempto Joſiâ patre, cum Ægypto fœdus percuſſerat, Babyloniorum hoſte perpetuo. Hęc principum ſors eſt, qui potentiores intermedij ſunt; ut pax unius, ſit bellum alterius.

Nabuchodonoſor. Anno Mundi 3429. Nabuchodonoſor ex rebus geſtis & ad diſcrimen patris, dictus Magnus, Babyloniorum fit Imperator. Rex cunctis majoribus ſuis major, & quo vix quiſquam potentior ullo ſeculo memoratur. Hic ſtatim Joachinum vectigalem factum regno

regno redonat, & in auſpicia victoriarum ingenti prælio domat Ægyptios. Magni Regis primordia parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Anno ſequenti, Draco ferebat Athenien- *Draco.*
ſibus leges, ſcriptas ut dicunt ſanguine, cùm culpam vel minimam morte ſancirent. Fertur poſteà in theatro ab Æginenſibus gratulantibus petaſorum conjectu oppreſſus. Digna prorſus crudeliſſimi hominis gratulatio. Tunc Arion cytharœdus ab Sicilia in *Arion.*
Tænarum Spartæ Delphino vectus incolumis, ex avaritiæ ſyrtibus enatavit, in fluctibus tutior quàm in navi, naufragus felix, perimendus à remige, voraturum piſcem habuit remigem; nempe alter aurum ſitiebat, alter non noverat.

Anno Mundi 3436. Nabuchodonoſor in *Sedecias*
Judæos expeditionem ſuſcepit, detrectantem tributum pendere Joachinum dolo capit, & admiſſus in urbem interimit; interempto Joachinum filium vel Jechoniam filium ſubrogat, & ſtatim pertæſus Babylonem captivum perducit, per annos 37. toleraturum pædorem carceris, regnúmque Sedeciæ tradit captivi patruo. Tunc qui captivi! inter quos Ezechiel, futurorum quantus *Ezechiel.*
inſpector! tunc deſerta Jeruſalem, dilecta Chaldæa; in qua Daniel, Suſanna, Eſdras, Nehemias, Zorobabel, calamitatem Sanctorum eſſe pabulum docuerunt. Et altero pòſt anno cœpit Ezechiel, ex mirabili quadripartiti monſtri apparitione, paratam in

populum iram Numinis prænuntiare, obsidionem Solymæ designare, & captivos fratres ad religionem patrum cohortari.

Tarquinius Priscus. Anno Mundi 3437. V.C. 138. Tarquinius Priscus, origine Corinthius Romæ fortitudine, liberalitate & humanitate conspicuus, Anco Martio mortuo, primus per ambitum, & habita oratione regnum obtinuit. Nec adnixa parum Tanaquil conjux, quæ imperio nata, viri animum ad summa impulit, & pro sua parte evexit. Fortunam statim virtus juvit partâ de Latinis amplâ victoriâ, quam curru aureo insignibúsque triumphalibus Tarquinius Romæ decoravit. Pompam victoriæ placuisse credas, quam ut posteà sæpè repeteret, sæpius vicit.

Susanna. Anno sequenti Daniel duodecimo circiter ætatis anno, jam prudentiâ supra virum clarus, Susannam castissimam fœminam à præsenti morte vindicavit, pœnâ in libidinosos senes revocatâ. Ita libidinem ut præsens pœna nusquam non sequitur, sic castitati sua merces semper rependitur.

Stesichorus. Circa annum Mundi 3444. in Græcia Poëtica arte clari erant Alcmæon & Stesichorus; quorum ille de Musis scripsit, hic ad lyram Castoris Heroúmque res epicè cecinit. Et admissæ in tantæ laudis partem mulieres; *Sappho.* cùm Sappho & Erinna scriptis carminibus à Græcia orbi universo pòst innotuerint; longè clariores, si acumen ingenij castimoniæ laude honestassent.

Anno Mundi 3446. ante Ch. 607. expugnata

gnata est à Nabuchodonosore Jerosolyma, à fuga retractus Sedecias, oculis liberorum nece ante fœdatis orbatus, catenis gravis, Babylonem ductus est; ubi in vinculis aliquantò post mœrore periit: urbs victoriis, furori, libidini, rapinæ, & contumeliæ cessit; ædificia tum publica tum privata incensa, ipsúmque Templum domicilium Dei detractis ante vasis conflagravit. Magna omnia calamitatis humanæ exempla. Jeremiæ parcitum, & permissa libertas, ut qui in delicto non fuerat; in pœna non esset: vir tamen sanctus in ruinis urbis perstitit, nec libertate usus est, nisi ut patriæ miseriis præsens, eas acerbiùs lugeret. *Solyma capta.* *Ieremias.*

Circa annum 3450. & sequentes Nabuchodonosor universum propemodùm orbem subjiciebat. Nam præter Solymas captas, Tyrum decimum tertium annum obsessam deditione obtinuit, contentúsque victoriâ, vectigalem fecit: dein Ninum tanti olim sedem Imperij, quasi æmulam sui, delevit clade tam horrenda, ut eam aliquando fuisse nunc laboret annalium fides. Potentissimis urbibus victis, quasi solutus repagulis; latè cum armis per universas terras palmas circumtulit: nam Persas, Medos, Assyrios, Armenos, Hyrcanos, Arabes, Syros & Judæos sibi subjecit? in Ægyptios movit, & interempto Aprye Rege profligavit; vastavit Africam, & in Æthiopes non famâ modò, sed & victoriâ penetravit: tum se à Meridie ad Septentrionem reflectens; *Nabuchodonosoris victoria.*

quaſi curſum luſtrans victoriarum, Iberiam, Pontum & Thraciam tam fortiter quàm fœliciter ſubmiſit: eâ rerum geſtarum gloriâ, ut nec Alexander mundi fulmen, nec Romanum imperium regnorum Pelagus, ipſi par fuerit. At tanto poſt inferior, quantò nunc major, adeò gravior ex ſublimi loco ruina eſt. Idem ab aliis Nabynithus, vel Labinitus appellatus eſt.

Daniel regni Miniſter.

Porrò tot victorias ornabat, imò promovebat, ingens ſapientiæ & literarum ſtudium, ſine quo poteſtas vix ulla ſtabilis. Fons illius Daniel in florentiſſimam regis admiſſus gratiam, relato & expoſito de monarchiis myſtico ſomnio; unde poſteà tanti Imperij Prorex creatus eſt? an ita Judæis providente Deo, ut victoribus victi imperarent; an oſtendente felicitatem humanam ſomnium eſſe, cùm Joſepho & Danieli tantam ex ſomniis attribuerit. Sanè hinc origo liberalium diſciplinarum, quas tunc à Daniele Chaldæi, dein à Chaldæis Græci hauſerunt, emolumento ſuo quàm maximo, ac Græcâ jactantiâ in terras reliquas pòſt diſſeminarunt.

Maſſilia.

Anno Mundi 3454. V. C. 153. in Viennenſi Gallia commodiſſimo ad Mediterraneum ſitu à Phocenſibus profectis ex Aſia poſita eſt Maſſilia. Urbs inſtitutis, legibus, temperantiâ, & perpetuâ in Romanos fide; ac deinde in Orientem totum commercio, præter portum ad ſtationes navium aptiſſimum, magni olim futura nominis.

Anno

Anno Mundi 3455. Nabuchodonoſor ſui jam impos, præludebat ab belluam, ſe deum faciens; quippe ſtatuam auream ſimulachrum ſui, adorandam orbi propoſuit: non corporum modò, verùm & animorum victor futurus. Sed à tribus adoleſcentibus Hebræis victus eſt, quos veri Dei religio idoli cultu interdixit. Inde victores in fornacem conjecti ad incrementum victoriæ, quot enim ab illo palmæ! quot prodigia! in flammis Juvenes rore perfuſi; Chaldæi foris flammis involuti, & quod majùs eſt, contumacia Regis fracta, victa impietas, ut ſe tunc hominem & minorem Deo fateretur.

Nabuchodonoſoris ſtatua.

Pueri in fornace.

Anno Mundi 3460. Solon Athenas ſapientiſſimè gubernabat; Draconis inhumanas leges emendavit, Areopagum obſoletum penè inſtauravit, civibus ſuis æquè moribus ac verbo præivit, & cùm in iis regnare poſſet, obſequi maluit. Fuit ei Anacharſis coœvus, qui ex Scythia profectus, Athenas jam veræ philoſophiæ ſementem fecit, quam deinde ſuo in Socrate vana Græcia in cœlum extulit; at ea in laude Scytia illa barbara prior, & fortaſſe major.

Solon.

Anacharſis.

Anno Mundi 3464. portentoſam regij faſtus pœnam mortalibus objecit Deus: cùm Nabuchodonoſor propagato latè per orbem imperio, faſtu & arrogantiâ tumidus, Babylonis amplitudine captus, extemplò ita mutatus eſt, ut ſe feram ratus, abjectis inſignibus regiis, nudus & quadrupedis inſtar incurvus, in ſylvis locíſque aviis per ſeptem

Nabuchodonoſor bellua.

ſeptem annos ferino victu & ritu egerít ; læsâ phantaſiâ, quâ ſe leonem aut urſum credebat. O mortalitas, quantis pates caſibus ! quis à Rege ad belluam lapſus !

Qui tandem ſeptimo pòſt anno, ſibi, regno ac Deo reſtitutus, à bellua quàm à rege modeſtior ſceptrum recepit ; quod uno anno tenuit. Princeps inter ſummos numerandus, hoc maximè quod Danielem miniſtrum & hiſtoricum ſortitus, per eum habuit, ut in hominum memoria, & Dei ut creditur, vivat, beatorum albo adſcriptus : tanti eſt, Principi, alieno ductu inſurgere, & habere cujus ope creſcat & nitatur.

Evilmerodach.

Huic ſucceſſit filius Evilmerodach anno Mundi 3472. qui regni curam inſano patre capeſſiverat, eò laudandus quòd geſtum imperium reſtituto patri reſtituerat. Is ſtatim Jechoniam Joachini filium eductum è carcere Judæorum regno inaugurat, cùm à morte Sedeciæ Rex nullus fuiſſet ; quod & parvo tempore tenuit, Salathiele relicto filio. Danielem Evilmerodach ſummè proſequutus eſt ; ab eo maximè cùm objectus leonibus, tutior inter feras quàm inter homines ; quem in evertendo Belo & perimendo Dracone Deum ſanciverat, eum ſub belluarum ſecurus dentibus pari prodigio celebraſſet.

Daniel in lacu leonum.

Septem Sapientes.

Anno Mundi 3474. numerabat Græcia ſeptem Sapientes, Thaletem, Biantem, Solonem, Chilonem, Pirtacum, Cleobulum, & Periandrum, philoſophiæ quaſi conditores.

Digitized by Google

conditores. Et hi vel ab una contentione digni hoc nomine, de Tripode aureo à sapientissimo referendo; quem cùm alius alij ut sapientiori cederet; meruerunt referre singuli; quæ major enim sapientia sit quàm aurum spernere, & se licet eximium, alio tamen minorem credere.

Anno Mundi 3477. Tarquinio Prisco per submissos ab Anci Martij filiis sicarios interfecto, subrogatus est Tanaquildis operâ Servius Tullius, qui ab illustri prosapiâ servus, à servitute regis gener, dein Rex effectus est. Dignus imperio: nec ignis augurio fidem abrogavit, nam & Etruscos rebellantes assiduis pugnis fractos edomuit; & Romæ censum primus instituit, hoc est effecit ut se Roma cognosceret; fortunæ hactenus prosperæ particeps, sed quam infensam in extremo actu expertus est; infando parricidio per filiam Tulliam ut regno dejiceretur, vita orbatus. An regnare tanti est, ut natura tam altè pereat? *Servius Tullius.*

Circa annum Mundi 3482. Anachreon Poëta Lyricus suavissima carmina sed minùs honesta concinebat; pòst acino suffocatus, fato ad temulentam qualem traduxerat vitam perapto. Dum Phalaris Agrigentinus Siciliam crudelitate summa vexabat: verùm ut nihil adeò malum est, quin boni mixturam habeat; justus Phalaris, qui Perillum suo bove primum inclusit; & humanus, qui cædis suæ reos Menalippum & Charitonem, amicitiæ ignoto in Aulicos bono, condonavit. *Anachreon.* *Phalaris.*

Æsopus. vit. Nec omittendus circa hæc tempora fabulator Æsopus, qui corporis deformitatem ingenij luce compensans, per virtutem de fortuna triumphavit, & servus dominis imperavit: brutis animantibus humanos sensus & voces affinxit, ut puderet homines se à brutis vinci.

Pisistratus. Anno Mundi 3488. Pisistratus tyrannidem Athenis occupat, cum se ipse vulneribus deformasset, impetratis satellitibus, & simulatione tutelæ inimicis oppressis, adeò parvum est vim inter repellendam & inferendam discrimen. *Solon.* Solon calamitatem urbis non tulit, exulatum abiit, cùm aliter tyrannum damnare non posset: tunc Crœsum Lydorum regem sapienter monuit, quid aurum esset, ac in Cypro paulò post vitam depositit, invidiâ absentiæ, quâ unâ poterat, Pisistrati scelus impugnans.

Abaris. His temporibus memoratur Abaris Scytha celeberrimus Magus multas provincias peragrasse, celeritate tanta, quantâ sagittâ ab Apolline dono acceptâ, quam cùm emisisset, simul & cum ea per aërem ferebatur, vehente nempe dæmone: at hoc equo quis vehi cupiat?

Cyrus. Anno Mundi 3493. Cyrus novus Persarum Romulus ex Mandane Astyagis filia natus, ex avi somnio morti expositus, & à bubulco cane ubera præbente servatus; post ab Harpago Satrapa diri convivij memore evocatus in Medos Persis suis accinctus, avum Astyagem gemino prælio vicit, tertio cepit.

Digitized by Google

pit. Inde Medorum res in poteſtatem Cyri devolutæ, gradúſque ſubſtratus ad Imperium Perſicum erigendum. Cujus tamen initium à Babylonij ruina petimus, ne forte quod humanæ non patiuntur anguſtiæ, gemini ſoles ſimul illuceant.

Anno Mundi 3495. Balthaſar Evilmerodacho patri propter libidines interempto ſucceſſit in regnum; ſed nec ipſe temperantior patre, regnorum peſte afflatus, per ignaviam & voluptates ſibi & imperio perniciem ultimam procreavit. *Balthaſar.*

Anno ſequenti, exul Athenis Piſiſtratus, per Phyam quandam Minervæ ornatu armíſque inſtructam, tyrannidem quâ dejectus erat inſtauravit. Ita jam olim ad conſilia Principum traducta religio, & Dei nomine, quo nihil ſpecioſiùs aut potentiùs, plebi impoſitum. Vir ingentis animi Piſiſtratus fuit, qui ſecundò pulſus ſibi tertium regnum comparavit; dignus qui ad meliora ſe conferet. *Piſiſtratus.*

Circa annum Mundi 3502. illuſtris Poëſi Lyrica fuit Simonides, Melicertes & Melicus ob eam dictus; qui & artem memoriæ, cùm naturali præſtans eſſet, excogitavit. Tum Theognis poëta, Anaximander philoſophus, Pherecydes Pythagoræ præceptor, Phocylides, Xenophanes, aliíque qui in litteris, quaſi in ſtadio, ſibi magnum nomen comparabant. *Simonides & alij.*

Anno Mundi 3506. Crœſus Lydorum Rex ditiſſimus, oraculi fide eluſa, à Cyro victus, jam arſurus Solonis memor pyrâ deponitur, vitam *Crœſus victus.*

vitam quam rapiebant opes philoſophiæ debiturus. At cùm iterum Lydi rebellarent, celebris illa pœna impoſita ut ludis & conviviis addicti, bonam frugem omnem abdicarent; tantum ab omni ævo bonæ mentis & voluptatis divortium fuit.

Pythagoras. Circa annum Mundi 3514. V. C. 213. Pythagoras Samius philoſophiam novam in Italia condidit. Hanc magiâ ut creditur infamis hauſit à dæmone quod ſapit & arrogantia dicti (*dixit*) & belluina metempſychoſis, & femur aureum, & ſpontanea mors per inediam conciliata.

Babylon capta. Anno Mundi 3516. noctu Babylon à Cyro capta eſt, vaſtata ac penè diruta, Balthaſar, è ſomno in mortem tranſiit, cùm pridie manu illa ſcribente perterritus, & à Daniele de imminente fato fruſtrà commonitus, ſe præbuit hoſti jugulandum, Babyloniorum imperio unà cum Principe pereunte. Id in Principibus voluptate marcidis dudùm nutans quaſi ædes fundamentis ſubrutis, ſtatim disjectum eſt.

NARCISSI.

AREOLA VII.

De Imperio Perſarum uſque ad Alexandrum.

Plerumque Narciſſi ſub hyemem vigent, & ſævos inter Aquilonis flatus, ad æmulationem nivium candicant. Mox iidem calore verno ſolvuntur, nec æſtum ferunt domito frigore Cyro in naſturtio & frigida regnum enaſcitur, quod poſteris inter delicias perit. Regnum infelix, quod ipſo uſu deteritur atque abſumitur.

ANNO Mundi 3517. V. C. 116. ante Chriſtum 536. everſo funditus Babyloniorum Imperio, in Cyro Perſicum ſumpſit initium, faſtu & opulentiâ

Perſicum Imperiū.

Digitized by Google

lentiâ majus, ſi Cyrum excipias, quàm fortitudine; ſuâ & ipſum mole deinde ruiturum. Hoc & anno Judæorum ſoluta captivitas, Cyro permittente, quaſi in victoriæ gratulationem, regreſſum in patriam, & in Templi inſtaurationem de ſuo liberaliter erogante. Quare plurimi in Judæam Zorobabele duce reverſi, Templum quo potuerunt ſumptu repararunt, etſi non perfectum, niſi multis poſt annis: ſed in poſterum libertate juſtâ diminuti, Perſis, Græcis, aut Romanis facti vectigales, ſervitutis jugum nunquam excuſſerunt, quod & hodie ubique ferè gentium meritiſſimè patiuntur.

Judæi liberi.

Tarquinius Superbus.

Anno Mundi 3521. L. Tarquinius Romæ regnum per parricidium triplex occupavit, interemptis uxore, fratre & ſocero, adminiſtrâ tot flagitiorum Tulliâ, quæ & carpentum ſuper cadaver patris egit interrita. Quid ſe Græcis Romani præferunt? An non Medea pia ad Tulliam? Peccaſtis Quirites, qui tot ſcelerum reum uno Superbi nomine deſignaſtis.

Theſpis.

Circa hæc tempora Theſpis Athenis primus Drama dedit, ex plauſtris tragœdias populo ſpectandas exhibens; quod antè Solon morum cenſor prudens vetuerat.

Milo.

Ad quæ revocandus ſtupendus Athleta Milo Crotoniates; quem nec vigens robur à debilitate, nec flos ætatis à ſenectute, nec tot palmæ Olympicæ ab obeunda morte defenderunt.

Anno

Digitized by Google

Anno Mundi 3523. Cyrus à Tomyri Massagetarum Regina (ij ad Mare Caspium Araxe amne claudebantur) victus occubuit, luctuoso exitu tot prosperitatum, ut post tantas gentes subactas, à fœmina ad victoriarum ludibrium vinceretur; & illusum corpori fuerunt, capútque humano immersum sanguini; hoc nempè diademate coronat se summa felicitas. Licet alij velint ex vulnere apud suos, non alieno arbitratu mortem inveniſſe, virum tanti imperij & patiendi & alendi capacem. *Cyri mors.*

Cyri regnum excepit Cambyses filius, patri nulla re, nisi forte ambitione, consimilis. Nam in Ægyptum movit, Regémque Ægyptiorum Psammenitum habuit in vinculis, exercitu fuso, quo in Rege natura ut in speculo visa est, nec summa semper esse mala quæ lugentur. Dein victorem inflammavit libido domandæ Africæ, triplici expeditione: primâ delenda erat Carthago, quam Phœnicij, ne parricidæ fierent, detrectarunt; alterâ petebat Ammonæos, in qua pugnatum cum ventis, via in media, exercitu arenarum molibus obruto; tertiam ipse in Æthiopas suscepit, nec feliciorem, cùm enim penuriâ commeatus humana corpora in cibum cederent, ipse timens tunc se demùm hominem noscens, Memphim repetiit. Summum opus Imperatoris est, non modò pugnare, sed præstare ut pugnare possit. *Cambyses.*

Haud

Cambyſis mors. Haud multò pòſt, idem Cambyſes in Ægypto, victoriæ trophæo, & ſuo gladio, ad majorem felicitatis contemptum, caſu, quaſi mors ipſum negligeret, læſus interiit. Creditus eſt ab Apis cæde in furorem actus. Ea ſinè præſtitit, quæ furor præſtat; nam præter, violatas Ægyptiorum religiones, fratrem ne ſucceſſor foret, juſſit interfici, ſe ſororis fœdavit nuptiis, & ſtatim ſanguine; póſtque parricidio illuſus, Prexaſpis filius Perſæque principes trucidati.

Darius Hyſtaſpis. Anno Mundi 3532. cùm Smerdes magus ſe filium Cyri ſimulans regnum invaſiſſet; re detectâ per ſeptem Perſarum Satrapas, regno occupato & vitâ orbatur. Ex ſeptem, Dario Hyſtaſpis filio induſtriâ famuli id regnum obtigit; equi hinnitus quantum Imperium domino peperit: ſic ex parvis incrementa, ut ex parvis etiam caſus graves.

Anno Mundi 3534. Babylon rebellans poſt novemdecim menſium obſidionem, vi *Zopyrus.* à Dario Rege expugnatur; at operâ Zopyri, qui Principis amantior quàm ſui, dignitatem ipſius, corporis ſui deformatione ſancivit, dignus cujus integritas imperio Perſico redimeretur. Idem propemodùm in expugnandis Gabiis Sextus Tarquinij filius tunc tentabat; ſed ille famâ ingens, hic vix ullâ notus; nempè tantùm intereſt, cui Principi ſervias, juſto an injuſto.

Danielis mors. Anno proximo Daniel obiit, decimo ſuprà centeſimum vitæ; favoris aulici mirum exemplar

exemplar, eo magis quod appetentem invidiam innocentiâ fregit ac pietate: in quem quæ natura contulerat, ea Gratia Divina ſic auxit; ut qui prudentiſſimus tot Regum Miniſter, idem & Eremitarum ſanctiſſimus, cenſeatur.

Anno 3536. in Scythas Europæos expeditionem Darius ſuſcepit; cujus quanta primordia! cùm totus Oriens ad bellum accitus, cùm Europa Aſiæ ponte juncta, cùm Iſter & Boſphorus ſub jugum miſſi, & in itinere Getæ devicti. At his exordiis quàm diſpar exitus, cùm retrocedere coactus Darius, nonaginta millibus hominum amiſſis, beneficio pontis ſervavit reliquos. Amat Deus, ad infirmitatis humanæ doctrinam, ut ex parvis magna, ſic ex magnis parva efficere. Hic primus in Europam Perſarum tranſitus, unde tot bellorum & ſtragium ſeges. *Darius in Scythas.*

Anno Mundi 3539. cœpit bellum Ionicum inter Perſas & Iones Græcos, incendente Hiſtiæo Mileſio ad Perſam transfuga; ad quod inducti Ionum patres vel germani Athenienſes. Infauſtum Mileſiis, quorum urbs à Perſis capta, & direpta; omnéſque in Aſia, tum urbes, tum inſulæ victæ; nec Hiſtiæo impune fuit prodidiſſe; nam ab ipſis Perſis peremptus eſt. Sed ad hoc bellum pertinent plura, quàm ut in annum unum conjici poſſint. *Ionicum bellum.*

Anno Mundi 3545. V. C. 244. Tarquinius cum liberis Româ per Brutum ejectus ab illato per Sextum Lucreciæ ſtupro; quæ quaſi *Conſules Romæ.*

Digitized by Google

quaſi flagitium emendaret parricidio, ſe ſui impotens interemit. Mutata urbis adminiſtratio, regnum in Rempublicam, Reges in Conſules abierunt, qui quot annis electi bini, minus poſſent; cum nec continui, nec ſoli, tenerent imperium. Primi omnium Conſules L. Brutus & Tarquinius Collatinus, hic in ſolatium amiſſæ conjugis, ille in præmium aſſertæ libertatis. Cætera flagitia in principe Deus quadantenus tolerat, at in libidinem ſtatim exurgit.

Porſenna. Anno pòſt tertio, Porſennâ Cluſinorum Rege reducente, Romanos ad ultima Tarquinij agunt; ſed de regibus virtus & conſtantia triumphavit. Solus Horatius urbi captæ pro munimentis dejectis fuit; Regem perculit Mucius efficaciùs combuſtâ dexterâ, quàm armatâ; & virgo Cloelia particeps laudis, nec fugam timuit, nec noctem, nec amnem. Hos animos Porſenna vidit numquam ſervituros, Româ receſſit; ne libertatis contagium ad ſuos pergeret.

Dictator. Anno Mundi 3557. V. C. 256. Primum Dictatorem Titum Largium, quaſi ſacram in rebus ultimis anchoram, creavit Senatus Romanus; imminebat foris bellum graviſſimum à Latinis, intus ab egena plebe gravis ſeditio: quis crederet? malum domeſticum terrore ſanavit Dictator, humanitate & conſilio peregrinum. Placuit hic Magiſtratus Senatui; & ea fuit Romanorum moderatio, ut in ſumma poteſtate, ne in Sylla quidem, libertati ſit unquam detractum.

Anno

Digitized by Google

Anno pòſt ſecundo Aulus Poſthumius Dictator ingentem victoriam de Latinis retulit ad lacum Regillenſem; quam Caſtori & Polluci pugnare viſis attribuit : illudente nimirum per præſtigias dæmone, & ſibi regnum in gente futurâ orbis dominâ comparante. Inde Tarquinius ſolus è familia tanta ſuperſtes , cauſam belli abominantibus omnibus , Cumas ſe contulit , ubi privatus paulò pòſt obiit ; acerbius fatum promeritus , niſi Patri & Regi , ſupereſſe regno & liberis , acerbiſſimum ſit.

Latini victi.

Tarquinij mors.

Anno Mundi 3562. ad Marathonem pugna conſerta eſt; at quàm impar! ad quam trecenta millia Perſæ, undecim Athenienſes eduxerunt; ſed duce Miltiade ; in quo plura millia numerentur; nam victi Perſæ , & in fugam acti ; trophæum ingens erectum Miltiadi , in hominum nempe memoria , quod nulla in poſterum dies delibabit. Quem is militem duceret , vel ab uno diſce Cynegiro; qui navem hoſtilem dextrâ, pòſt ſiniſtra, tandem utráque truncus, dentibus prehenſam detinuit ; quaſi victoriam occuparet fugientem, aut in anchoram verſus navim ſtabiliret.

Marathonia pugna.

Anno Mundi 3567. Darius diem clauſit, appellato regni ſucceſſore Xerxe ex Atoſſa Cyri filia ſuſcepto , & excluſo Artabaſane vel Artemene, quem adhuc privatus genuerat : placet tamen à mortuo patre , de fraterna illa fratres inter pro regno contentione opinio , ubi & impune fuit contendiſſe, & viciſſe innoxium : tam erant animis fratres quàm

Xerxes.

Digitized by Google

quàm ſanguine; æquè laudandi, quod alter regni ſpem ſtitit, alter omiſit.

Coriolanus. Tunc Veturia cladem impendentem Romæ diſcuſſit, Coriolano filio ingratæ patriæ minante excidium & inferente; poſt Patrum & Pontificum legationes conſumptas, impetravit à filio mater Romæ ſalutem, non impetravit filio: hic enim poſtmodum à Volſcis cæſus, quibus Romæ ſalus, delectum morte plectendum viſa eſt. Neceſſitas miſera, cùm vel civi ob patriam; vel patriæ à cive mors inferenda eſt.

Pindarus. Circa hæc tempora Pindarus floruit, Poëta Lyricus, ſublimitate ingenij nulli ſecundus; quódque mireris, Thebis oriundus; in cœlo tam pingui vir tam defæcatus.

Sophocles Euripid. Anno Mundi 3569. Athenis Sophocles natus eſt, qui poſteà Tragœdiam ornamentis inſtructam omnibus celebrabit. Et quinto poſt anno natus Euripides & futurus poëta tragicus, ne forte æmulus Sophocli deforet; ut in his geminis erudita regum illa voluptas dignitatem totam aſſequeretur. Sanè tunc Athenæ illuſtriſſimis viris eminebant; in quibus Ariſtides, amore & cultu juſtitiæ, quaſi Themis quædam corporata, damnatus tamen ab invido populo Oſtraciſmo, ne virtuti campus deeſſet. Tunc & Temiſtocles, vir tantus, quantum Salaminia pugna demonſtrabit.

Ariſtides

Herodotus. Sed & hujus ſeculi anno 71. Halicarnaſſi natus Herodotus, dictus Hiſtoriæ parens, primus ſanè cujus monumenta ad nos pervenerint;

Digitized by Google

venerint; dubium an majeſtate rerum grandior, an dictionis ſuavitate jucundior.

Anno Mundi 3574. de Perſis ad Salaminam celebrem victoriam Græci reportarunt, Themiſtocle duce: cùm priùs ad Thermopylas Leonidas cum trecentis Laconibus Perſarum copias infregiſſet, multitudine tandem obrutus, non victus fortitudine. Hujus belli quantus apparatus! ubi Perſæ Xerxe ducente 3235220. hominum deduxerunt, ubi gemino ponte fractus Helleſpontus, Athos ſuffoſſus, exſiccata potantibus flumina; omnis demùm in Græciam effuſa Aſia. Sed quid hæc tanta, ni aſpiret Deus? navali prælio victa claſſis: ipſe Xerxes fugam per Græciam & Aſiam ſpargens, docuit homines, proximam eſſe ſuperbiæ comitem humilitatem. *Salaminia pugna.*

Nec Artemiſia premenda ſilentio, quæ pro Xerxe pugnans nihil prætermiſit quo vinceret. Eadem celeberrima Mauſolæo, quod in Caria Mauſolo conjugi erexit; iis impenſis ut vel imperfectum ſit in orbis miraculis: auguſtius tamen ipſâ monumentum, quæ mariti cineres hauſit, ut quem ſuſcitare non poſſet, ſe viva conderet. *Artemiſia.*

Anno ſequenti & terreſtri prælio victi Perſæ ad Platæas in Pœotia, per Lacedæmonios & Tegeates; ubi mardonius infenſus ille Græcorum hoſtis, cum copiis cæſus, iterúmque ad Mycalen in Aſia navali pugnâ, quidquid Perſarum erat in bello, deletum eſt. Ita Græci Perſarum ſacrilegia *Platæenſis pugna*

vindicarunt. Felices, ſi qua conſenſione cum externo bellum geſſiſſent, eâdem inter ſe pacem coluiſſent; ſed difficiliùs reguntur proſpera quàm adverſa. Athenæ everſæ antea, ſtatim reſtauratæ, Themiſtoclis, cui parem Græcia non vidit hominem, maximè opera. Et verò debuit ſcientiarum domicilium curâ eximiâ, ad poſterorum uſus renovari.

Fabij ad Cremerã. Anno Mundi 3578. V. C. 277. è Fabiorum Patriciâ gente trecenti contra Etruſcos ſuis ſtipendiis pugnantes cæſi ſunt, ad Cremeram caſtrum, non amnem. Quid glorioſius quàm gentem unam patriæ ſuæ militaſſe ſolam, & occubuiſſe?

Athenienſes. Dum Athenienſes induſtriâ Themiſtoclis ſtabiliunt ſibi maris imperium, ac penè totius Græciæ principatum, expulſis undecumque Perſis; idem illud poſſident Cimonis victoriis & humanitate, & in ſocios Ariſtidis juſtitiâ. Quibus viris ſtantibus, Athenæ ſteterunt, pereuntibus imperium corruit. Ita vel in Democratiis Monarchia regnat.

Thucydides. Anno Mundi 3583. Thucydides natus eſt Athenis, nobilitatis origine clarus, ſed hiſtoriâ ſcriptâ longè clariſſimus, gravitate ſententiarum, accurato judicio, & ad veritatis normam aptato: bellum Peloponneſiacum, cujus pars fuit, complexus eſt: obſcurior tamen & rectior, qui lectorem tantùm ſui ſimilem admittit. Quo eodem anno

Themiſtocles. per Oſtraciſmum vir ille dignus, quem omnis Græcia in civem ambiret, Themiſtocles Athenis

Athenis pulſus eſt: tam ægrè ſe ab invidia virtus tutatur.

Anno Mundi 3585. Athenis ortus eſt Socrates, Græcæ philoſophiæ ſplendor & dignitas: ortu quidem ignobili, ſed futurus ipſe vitâ & doctrinâ in tota Græcia ſupra omnem Imperatorum celebritatem. Cùm ſuperiore anno Democritus ille ridiculus in lucem veniſſet, Heraclito lugubri 50. circiter annis poſterior; ludente natura, & fletus alterius, alterius riſu temperante. *Socrates.* *Democritus.*

Anno Mundi 3587. Pauſanias Spartanorum Rex, ab authoritate prima dudum dejectus, animi inquies & ambitionis, cùm de prodenda Græcia cum Perſis ageret, in aſylo quò confugerat, fame interiit: ingentis animi, ac ni Spartæ regnaſſet, ubi regnum precarium & libertati addictum, ſumma aggreſſurus. *Pauſanias.*

Anno Mundi 3589. Xerxes per Artabanum Satellitum regiorum Præfectum nocte, immani ſcelere obtruncatur: quem nec militum myriades, nec epoti amnes, nec effoſſi montes, nec Imperium penè orbi par, ab indigniſſima nece vindicarunt. *Xerxis mors.*

Succeſſit Artaxerxes Longimanus natu minor, à prominentia dexteræ ſic appellatus: qui ejuſdem Artabani fraude Darium fratrem majorem per imprudentiam interfecit. Sed nec impune Artabano fuit, nam ab Artaxerxe ſtatim peremptus, & ſeptem liberi obtruncati. Hic Artaxerxes, ut pleriſ- *Artaxerxes Longimanus.*

Assuerus. que placet, Assuerus, Esteris conjugio in scriptura clarissimus; quem in regno alieno scelere parto, ab externis bellis suorúmque insidiis; tutum præstans Deus, in maritum contulit, quæ uxor meruit.

Quod ut credas, vide fœdata ejus nundum mariti primordia ingenti clade, quàm ad Cyprum navali prælio Athenienses Persis intulerunt, quam est mox sequuta pedestris exercitus strages; Cimone utrobíque *Cimon.* administrante res Athenienſium in summum gloriæ provectas apicem. Debebat hanc gloriam Cimoni Deus, qui in parentem Miltiadem pietate insignis, ut ipsius vinctum cadaver sepulchro daretur (pudeat hæc secula pietatem ab illo non discere) se vivum pro mortuo in vincula egerat; id ingratissimâ patriâ spectante & patiente, imò pòst filium tot victoriarum parentem suo pomœrio depellente. Quem mox Athenarum sub Spartanis laborantium misereat, cùm tot Heroum pernicie munimenta ipsi sua everterint!

Themistoclis mors. Nam & Themistoclem ante, cui nec in Græcis, nec in Romanis quem compararet habuit Tullius, totâ expulsum Græciâ, tam acerbè persequuti sunt, ut Persas ad quos profugit mitiores, quàm cives suos crediderit. Ibi vir excellens sic exceptus, ut patriam oblivisci posset, ejus tamen & infensæ sic meminit, ut, ne ipsi bellum inferret, sibi intulerit, spontaneo veneno vitam abrumpens. Id revera fuit, ut hæc erant tempora,

pora, mori pro patriâ; & quod laudabilius, ingratissimâ.

Anno Mundi 3596. Esdras Judæus Artaxerxis scriba, ipsiúsque gratiâ florens, impetratâ missione cum pluribus sociis Jerosolymam petiit, ut prolapsos Judæorum mores emendaret, & ad primam legis normam corrigeret. Exceptus est ingenti lætitia, summáque omnium gratulatione; adeò vel peccantibus virtutis species prima jucunda est. *Esdras.*

Hoc circiter anno Estheris nuptiæ cum Artaxerxe conciliatæ sunt; quam formæ decor ex plebeia Mardochæi familia, in repudiatæ Vasthi locum erexit. Laude digna forma, quæ regnum peperit; sed multò dignior animi forma, suprà corporis eminens, quâ Deo Regina & in deliciis placuit. *Esther.*

Et eadem Judæis saluti postmodum fuit; nam anno Mundi 3601. cùm Amanus ab Artaxerxe gratiâ proximus, Mardochæo Judæísque omnibus mortem intenderet; Deo in superbum pœnam regerente, ipse patibulo, quod inimico destinaverat, suffixus pependit: exemplar ingens rerum humanarum, & arrogantiæ proculcatæ clarum insigne. *Amanus.*

Anno Mundi 3604. V. C. 303. Decemviri cum potestate summa creati sunt, qui jus Romanum ex legibus à Græcia petitis conderent; & inde leges 12. tabularum natæ, magno reipub. emolumento. Sed statim hæc imperandi forma abrogata, per *Decĕviri Romæ.*

Digitized by Google

Appij Claudij intemperantem libidinem, ingenuam virginem rapientis in ſtuprum: ubi pater virginis, filiam nullam habere maluit quàm pollutam. Ejecti Decemviri, violentâ morte Appius periit: immoderatam impudicitiam, ut plerúmque fit, reſtinguens ſanguine: ut ferro violentur, qui ſe & alios libidine violant.

Græciæ ſplendor. Circa hæc tempora Pictores artium dominæ celebritatem jam comparabant Zeuxis & Parrhaſius, ille avium deceptor, hic hominum: & Timantes qui primus colores miſcuit. Et in fingendo principes Polycletus & Phidias: hic in Jove, ille in Doryphoro ſupra fidem commendatiſſimi. Ut id ſæculum, Græciæ flos & lux appellari poſſit: quo ſive rerum geſtarum gloriâ, ſive diſciplinarum illuſtri notitiâ, ſive artium admirabilitate, ſemel nacta eſt, unde in memoriam ætatum omnium perveniret.

Nehemias. Anno Mundi 3609. Nehemias Judæus ab Artaxerxe reſtaurationem murorum & urbis Jeroſolymæ impetrat, promovétque feliciter: portas, muros, turres extruit, & fundamenta locat munitionibus, quæ Romano imperio poſſint obſiſtere. Quod & miraculis Deus inſignivit: nam & ignis divinitus ex undis eductus, & Arca Judaicæ religionis ſacrum penetrale cum tabernaculo & Altari incenſi, poſt multos annos quàm à Jeremia recondita eſſent reperta, lætitiæ ſummæ Judæis fuerunt, ſperantibus ex divino munere divini ſubſidij inſtaurationem. Sanè

Nehemias

Nehemias tanta celeritate urbem reparavit, ut patriæ pater & Solymarum conditor nuncupari posſit. Tunc inventum Synedrium, cui præsiderent à stirpe Davidis Judices, & posteri Aaronis summi Sacerdotes : qui reipublicæ status ad Christum usque perstitit.

Anno Mundi 3612. V. C. 311. Censores Romæ primum creati, Papyrius Mugillanus, & Sempronius Atratinus : quasi morum magistri, & totius populi Pædagogi. Sanè Censura Magistratuum apex, dignitatum coronis, triumphalis senectutis ultimum votum : authoritatis tantæ, ut honores & contumeliam sine provocatione dispertiret ad libitum. *Censura Romæ.*

Anno Mundi 3616. Spurius Melius cùm annonâ in plebem divisâ regnum agitaret, à Dictatore Quintio Cincinnato, triumphali illo agricola, jam octogenario, opprimitur, & per Servilium Ahalam domi suæ, ubi sceptrum adornabat, occiditur : bona, quæ malè dividebat, in meliorem usum publicata; domus consilij sedes diruta : nudum solum Æquimelium dictum, monuit posteros, tutiores modestiæ terminos quàm ambitionis vota immodica. *Spurius Melius.*

Anno Mundi 3618. Athenis nascitur illa Attica Siren Isocrates : è cujus schola ut è Minervæ sacrario prodibunt deinceps Oratores. Et hoc tempore Hippocratis Coi mira celebritas, à quo Medicina sin minus ortum, at incrementum habuit, & quod ab initiis rarissimum est, summam coronidem. Et ne *Isocrates, Hippocrates & alij.*

Digitized by Google

quid Græciæ in omni ſcientiæ genere deſoret: tunc eminebant Democritus Abderites, Empedocles Siculus, in philoſophia Principes, & Gorgias Leontinus, ſic artium omnium peritiâ clarus, ut à rhetorica, cui famulabantur, ſplendorem arceſſerent.

Peloponneſiaci bell: ſemina.

Circa hæc tempora, Græcia in partes diſtracta, domeſticum, quo deinde flagravit, comparabat incendium. Principes omnium Lacedemonij & Athenienſes, qui viribus ſuperiores aliis, ſibi pares; tricennali fœdere conjuncti, viſi fuerant pacem ſancire: niſi bellum Samium pro Priene Samios inter & Mileſios excitatum; iterúmque bellum Corinthiacum Corcyreos inter & Corinthios, excitaſſet Athenienſes, ut faverent Mileſiis, Samum diruerent, & Corcyræis opitulantes Corinthios profligarent. Et incendebat omnia fax belli Pericles, tam manu promptus, quàm linguâ facundus, qui ſuis civibus dominatum in Græcia, ſibíque in civitate ſua inſtruebat. Inde Athenienſium potentia cæteris Græcis inviſa; nam inter æquales, qui eminent, nocent.

Peloponneſiacum bellum.

Anno Mundi 3623. V. C. 322. cœptum eſt bellum Peloponneſiacum, quod 27. annos geſtum eſt, Spartanos inter & Athenienſes, at communi totius Græciæ clade; cùm Spartani prætexerent libertatem Græciæ ab Athenienſibus violatæ; & Athenienſes inflammaret Pericles, rationibus reddendis obnoxius, & militaris gloriæ cupidus. Quam modicam admodùm aſſequutus eſt;

Digitized by Google

eſt; nam altero ſtatim anno peſte deceſſit, quæ fæviſſima Athenas vaſtavit (quaſi calamitas belli parum eſſet) jam Africam & Aſiam pervagata, præſentiſſimum Numinis vindicis telum. Non ideò tamen ceſſatum à bello, cùm Alcibiades ex ſorore Periclis nepos, audacia & militari animo plenus, rurſus omnia in bellum egerit.

Hoc anno quo Pericles obiit natus Plato, ſuaviſſimus ille Socratis cygnus, qui poſteà philoſophiæ ſtudia eloquentiâ mirabili condiens, diverſas in ſpeciem diſciplinas ad poſteritatis miraculum complectetur, & illuminabit. Eodem tempore Comœdias præbebant Athenienſibus ingenioſiſſimi longè Poëtæ, Eupolis Rhodius, & Ariſtophanes Athenienſis: is fœlicior, cujus ſcripta ſalis Attici, ſi puriora eſſent, exemplar, ad noſtram ætatem durarent; in eis Chryſoſtomus, os illud aureum, omnis elegantiæ fontem invenit. *Plato.* *Ariſtophanes.*

Anno Mundi 3629. Artaxerxes regni anno 40. è vita migravit, Perſarum principum feliciſſimus; quà vitâ, quam à belli tumultibus tutam tranſegit; quà morte, quam ſuam obiit nec accerſitam; præmium pietatis in Deum, & in ejus populum munificentiæ, Regnum Xerxi reliquit unico è conjuge filio, cùm alios 17. è pellicibus genuiſſet; quorum unus Sogdianus Xerxem fratrem ſtatim interemit, ipſe ab Ocho itidem fratre interfectus. Is Ochus regno inauguratus, Darij nomen ſumpſit, Nothus à *Artaxerxis mors.* *Darius, Ochus, ſive Noth⁹.*

Græcis dictus, quod è pellice genitus: uxorem duxit Pariſatidem Artaxerxis patris ſororem, fœminam ambitioſiſſimam, & per omne flagitium ad regnum promptam.

Alcibiades.

Anno Mundi 3634. cùm Græci pacem agitarent, Alcibiades turbulentus & audaciſſimus juvenis miſcuit omnia; deceptíſque Spartanorum legatis, contracto fœdere cùm Argivis, bellum ſopitum rurſus incendit. Hic è Socratis prodiens ſcholâ, temperantiam edoctam non diu tenuit; animum ad bellum tulit, ut ad temeritatem audacem, ſic fortitudine in paucis clarum; in varia fortuna ſemper audax, nunquam non fortis, ſæpius felix. Suſcepit poſteà expeditionem Syracuſanam, à qua revocatus ad cauſam dicendam, Spartam profugit: iterúmque patriæ redditus, Spartanos hoſpites graviſſimis affecit cladibus: Athenis exceptus quaſi deus, mox ejectus ut prædo, ad Perſas transfuga, Lyſandro curante eſt interfectus: veriſſima humanarum rerum facies & imago.

Bellum Siculum.

Anno Mundi 3630. bellum à Græcia, inſtigante Alcibiade, in Siciliam eſt translatum oppugnatæ ab Athenienſibus Syracuſæ duce Nicia (nam Alcibiades ſtatim revocatus) propugnatæ à Gylippo Spartano: totis viribus pugnatum ſæpiùs: donec tandem profligati penitus Athenienſes, documento fuêre, ne quis malum alteri creet, non provocatus: pedeſtri navalíque prælio victi ſunt, 40. hominum amiſſa millia, captæ naves 130. captivi Duces Nicias

&

Digitized by

& Dæmoſthenes, à Siculis occiduntur: reliqui in latumias & ſervitutem rapiuntur. Hac clade Athenienſium opes conciſæ: ſociis etiam, ut plerumque fit, ab adverſa fortuna deficientibus. Ita diſcant, qui invadunt aliena, ſe caſuros ſuis: nullámque jacturam eſſe graviorem, quàm augmentum cupiditatis.

Circa annum Mundi 3648. Dionyſius occupavit tyrannidem Syracuſis: occultis primum artibus, impetratis cuſtodibus corporis propter fictitium ab æmulis periculum, dein vi aperta. Quam tyrannidem, rarâ in iis vitæ inſtitutis felicitate, per annos 38. obtinuit: quamvis felicem Damoclis cœna vel unica negat. *Dionyſius Siculus.*

Eodem anno illa Cothurni lumina Sophocles & Euripides occiderunt diverſo ſane fato, nempe alter comico, alter pluſquam tragico, cùm ille gaudio pro impetratâ victoriâ, hic laniatus à canibus interierit. Quo & tempore Euclides Megarenſis, Geometricæ facultatis parens, & in Elementis ſupra omnem doctrinam eminens, Socraticam Athenis cum vitæ diſcrimine hauſit diſciplinam, cùm ibidem agere capitale Megarenſibus eſſet. Ita ſemper illuſtribus viris animo vivere longè antiquiùs fuit, quàm corpore. *Sophocles, Euripides.* *Euclides.*

Anno Mundi 3649. funeſtum illud Peloponneſiacum bellum tandem reſtinguitur, ingenti clade Athenienſium, qui ad Ægeos Potamos à Lyſandro vincuntur, non tam prælio, quàm arte & navali direptione: 180. naves deperditæ, cum quibus *Athenæ victæ.*

cecidit

cecidit maris imperium ; dux Conon ad Evagoram Cyprium fugit. Ipſæ Athenæ à Spartanis obſeſſæ ac captæ, Lyſandro victori permiſſæ ; à quo, portu, muris & legibus ſuis ſpoliatæ, leges novas & triginta rectores, ſeu dominos acceperunt. Ita Deus vaniſſimi populi contrivit ſuperbiam, & à prætumida gente acerbiſſimam exegit pœnam, humilitatem. Lyſander dux, neſcias aſtutiâ, an fortitudine clarior, naim dolus, an virtus, quis in hoſte requirat ? ita leonem vulpi immiſcuit, ut inter celeberrimos Imperatores nomen habuerit.

Artaxerxes, Mnemon.

Anno Mundi 3650. cùm ſuperiori Darius Rex deceſſiſſet, ſucceſſit in ampliſſimum regnum Arſaces, qui ob virtutem Avi, Artaxerxes appellari voluit ; & Mnemon ob memoriæ præcellentiam meruit ; Cyro mi-

Cyrus minor.

nore fratre, Aſiæ provincias adminiſtrante ; qui germano in regno poſtpoſitus, licet à Dario jam Rege ſuſceptus. Hinc repente æmulatio, ambitio, & in fratrem odium, Cyrum inceſſit. Et quidem in conatu primo ſtatim oppreſſus, & in vincula conjectus aurea, matri vitam debuit ; dein contractis per otium copiis, in quibus flos Græcorum, Artaxerxem in Media quadringentis militum accinctum millibus, profligaſſet, ſi prudentiùs pugnare, quàm audaciùs voluiſſet. Ipſe in acie cæſus, dum fratrem vulnerat, paratam victoriam morte corrupit ; ingentis animi juvenis ; liberalitate, juſtitiâ, fortitudine, & comitate ſuprà Per-

ſam

ſam nobilis; niſi has artes in fraterna odia impendiſſet. Græci milites duce Xenophonte, in Græciam per vaſtiſſimas terras illibati, egregio fortitudinis ſpecimine redierunt. Hic eſt Xenophon utramque Minervam complexus, verè Apis Attica, mel fundens ſuaviſſimâ oratione, & aculeum in præliis fortiſſimâ manu diſtringens. *Xenophō.*

Interea peribant Athenæ, niſi qui Deus ſuperbiæ oſor, idem & humilitatis amator, pœnam ambitionis à victis in victores tranſtuliſſet. Urbs per triginta tyrannos rapinis direpta, exhauſta cædibus, plures lugebat cives octo menſibus per pacem raptos, quàm graviſſimo bello tot annis luxiſſet. Imò unus de tyrannorum grege Theramenes à collegis cicutâ ſublatus, quod in addictos cives ſæviret mitiùs; tantum ſcelus eſt inter nocentes eſſe innoxium. Vix ſupererat civitatis tam amplæ cadaver, ni Thraſibulus fortiſſimus juvenis funeſtam pacem bello abrupiſſet, & ab exilio ſalutem patriæ retuliſſet. Ejecti ſunt ab eo Tyranni, ſed brevi per Lyſandrum, capitalem Athenarum hoſtem reducendi, niſi Spartæ Rex Pauſanias, æqui quàm utilis amantior, interceſſiſſet. Iterum tamen Tyranni Athenienſibus redditi; ſuóque furori, primi etiam pœnis redditi ſunt, ab obnoxiis ſævitiæ civibus jugulati: ac tum primùm prolatâ Amniſtiâ, reipublicæ umbra inſtaurata, & Perſis Spartanos turbantibus, Athenis licuit ex letifero morbo convaleſcere. *Athenæ à Spartanis, vexatæ.*

At

Socratis mors.

At in ipſo furore cædium; Socrates ille humanæ ſapientiæ forma & ſpecies, in carcere cicutam bibebat; eo animo quo docuerat, mortis tam facto quàm dicto contemptor, impietatis & juventutis corruptæ damnatus, qui vel Alcibiadi temperantiam morum induxerat. Hoc unum ſupererat Athenis trophæum, quo ſpoliarentur. Sed ſtatim Anytus & Melitus accuſatores, poſtulati ipſi & damnati, ille morte, hic exilio; ipſi adoleſcentiæ parenti quia vita reddi non potuit, erecta ſtatua, & ſempiterna laus in futurum ævum traducta.

Spartani in Perſas.

Anno Mundi 3655. Spartani jam Græciæ Domini, cupiditatem ultrà prorogantes, imperium Aſiæ affectarunt; cauſa tunc belli quæ olim fuerat, Græciæ in Aſia civitates. Primùm facinus Dercyllidæ fuit, viri fortis ac ſtrenui, qui beneficio æmulationis inter Pharnabazum & Tiſſaphernem Artaxerxis legatos ortæ, ſpectante Tiſſapherne Pharnabazum vicit; urbeſque Æoliæ novem cepit; tam certa eſt prærogativa cladis diviſio. Dein Ageſilaus in Spartanonum thronum evectus, victorias terrâ latè ſpargens, Aſiâ ſuâ Perſas depuliſſet; niſi Conon Athenienſis apud Perſas exul, claſſiſque ductor, palmis maritimis Agéſilai ſpem retuliſſet; adeò in fatis erat, ut ubique gentium tunc Græci vincerent. Is Ageſilaus poſt multa præclarè ſuſcepta ac perfecta facinora, ex Ægypto redux in via obiit; pede quidem claudus, ſed animo firmus & erectus, multis

Ageſilaus.

multis laudandus, uno redargutus, quòd Thebanos dum exercet bello, vel vincendo, ſæpius victos vincere docuit.

Anno Mundi 3658. magno mortalium rerum documento, Tiſſaphernes Aſiæ præfectus, Artaxerxis gener, ipsíque ob perpetuam fidem gratiſſimus, victus ab Ageſilao, ab irato Rege Satrapiâ ſpoliatur & vitâ; memoriâ ſanè Mnemon *ille* non valuit, qui tanta beneficia ob levem cladem oblitera-vit. Id tamen crudeliſſimæ fœminæ Pariſatidi facinus datum, quæ Cyrum filium cùm in Artaxerxe ulciſci non poſſet, in Tiſſapherne vindicavit; impotens mulier, & jam Statiræ Reginæ veneno infamis. *Tiſſapher-nis mors.*

Titrauſtes Aſiæ & bello in Spartanos præfectus; qui gnarus ferro intactos, auro plerúmque ſuccumbere, hoc bello aggreſſus Græciæ Principes, Bœotos & Athenienſes in Spartanos concitat, bellíque ſerit ſemina, quo ſtatim Sparta tantùm non corruet. Lyſander in Bœotos miſſus juſtâ Nemeſi ab Athenienſibus trucidatur; ut quos delere funditus immortali odio flagrabat, eos videret & ſuæ cædis auctores, & ultores tot injuriarum. *Græci diviſi.* *Lyſander*

Sequenti anno, Græcis certatim in Lacedæmonios exurgentibus; quippe ſuperbia ut potentiæ comes, ita invidia; Ageſilaus ab Aſia ad tutandam Spartam revocatus, Spartanum ferrum auro Perſico infirmius ſenſit. Et diverſis pugnatum in locis eventu diſpari; nam ad Cnidon pugnâ navali virtute eximiâ Conon vicit, 50. Lacædemoniorum *Cnidia pugna & Coronæa.*

Digitized by Google

niorum triremibus captis; contra ad Coroneam Græcos Ageſilaus proſtravit, cruento quidem prælio, quo ipſe ſaucius; tamen victor. Tantùm in Imperatore momenti eſt, cùm hinc vincat Sparta, hinc vincatur, Conone & Ageſilao cum victoria ſemper pugnantibus.

Veij capti. Eodem anno cùm Romani Veios opulentiſſimam Italiæ urbem jam decimum annum oppugnarent, tandem Dictatore dicto Furio Camillo expugnant, non apertâ quidem vi ſed occultâ, ducto ſub muros in mediam urbem cuniculo. Ingens præda, ad quam univerſus populus advocatus, cujus & decimæ votæ Apollini: ampla urbs quæ victa & direpta propemodùm, poſteà Romam vicit, cùm ad eam Quirites poſt cladem Gallicam tantùm non migrarunt.

Cononis mors. Anno Mundi 3660. Conon patriæ inſtaurandæ ſtudioſiſſimus, cùm jam Pyræum & Athenarum muros reparaſſet, & majora animo moliretur, à Teribazo Perſa incrementum urbis Græciæ pertimeſcente, in vincula conjicitur; in quibus periit vir amantiſſimus patriæ; qui vel ingratæ ſemper ſtuduerat; nec enim Perſis vicerat, niſi ut ipſos aliquando vinceret. Mox Traſybulum omni ſimiliter ope Athenarum bonis contendentem, ſimilia propè fata oſſeſſerant, dum negligentiùs haberet milites, & in proximo prædas agere ſineret: viro fortiſſimo militaris licentia necem tulit: qui militi parcit, ſibi durior eſt.

Et Traſybuli.

Anno

Anno Mundi 3665. V. C. 364. Roma bellis aſſiduis exercitata, capta à Gallis prope interiit. Novos hoſtes tam iniquè quàm audacter provocans, ad fluvium Alliam fœdiſſimè vincitur, imparata expugnatur ſtatim & incenditur: perimuntur ſenes in prętextis, delenda funditùs, niſi ſpem mortuam in Capitolij arce ſuſcitaſſet. Quæ & iterum per famem peribat, cùm Camillus Veiorum domitor & Ardeę exul, ingratam patriam liberavit: Gallos peſtilentiâ jam imminutos gemino prelio fortiter vicit, aurum ſuperbè repoſcentibus, ferrum objecit; ac certantes delevit penitùs, nullo relicto qui Romam cepiſſet; Pater-patrię, & alter Romulus meritò dictus. Quam & rurſus ſervavit, cùm plebem Veiorum cupidam in cineribus Romę continuit, nec paſſus eſt urbem ereptam Gallis, à Romanis perdi. Vir ſummus virtutum, dignus qui Romam ſervaret & conderet; ęqui ſupra commodum omne, amantior; qui Faliſcos obſeſſos & machinis intactos, juſtâ in ludimagiſtrum pęnâ expugnaverat. Nec ab eo poſteà receſſit victoria; dicas Gallis victis; ſtipendiariam Camilli fuiſſe.

Roma à Gallis capta, à Camillo ſervata.

Eodem anno pax inter Grecos & Perſas Antalcidę Spartani curâ conciliata, & conſenſione magnâ recepta; nihil eſt enim, cujus nos citiùs quàm belli tędeat, & pax nuſquam optatior, quàm à belli calamitatibus. Sed nec à Perſis ceſſatum diutiùs, Evagorę Cyprio bellum illatum; ac primo quidem

Pax cum Græcis.

Bellum cum Cypriis.

Digitized by Google

dem repulſum fortiter, ſed fruſtra pygmęus in gigantem pugnat; victus à Teribazo Evagoras, Cypro mulctatus, vix Salamine urbe ipſi relictâ, Teribazus fortiſſimus, diſcuſsâ inde calumnia per Orontem Artaxerxis generum in ſe conjectâ, conflatam ignominiam in ęmulum rejecit. Sic plerúmque invidia ſibi laqueum parat, quo pereat.

Teribaz⁹.

Plato in Sicilia.

Circa id tempus Plato Socraticę facultatis hęres, à Dionyſio in Siciliam avocatus, & accuratâ pompâ exceptus, pro Tyranni ingenio aulâ dimiſſus eſt. Ambiebat doctrinę laudem ut potentię Siculus, eam, ut ſperabat, à Platone Philoſopho & poëta Philoxeno inventurus, ſed cùm ab eis arguerętur liberiùs, indignans ſe ut corporibus non item ingeniis dominari, Platonem cujus philoſophiam jam oderat, quinque minis vendidit pro mancipio, miſerúmque Philoxenum, à quo ſua carmina expungebantur, in latumias conjecit Nulli unquam emendatum carmen tanti fuit.

Et Philoxenus.

Spartani bellũ renovant.

Nec Lacedęmonij conſtanter pacem coluere. Nam anno Mundi 3667. in Olynthios movent, Cadmęam Thebanorum arcem per ducem ſuum Phœbidam iniquè occupatam iniquiùs ſervant; miſcent omnia ut imperium Græciæ, quod pace amittebant, bello uſurparent. Sed brevi pœnas luent ambitionis; & qui ſuperbiam in Athenienſibus punierant, ambitionem in ſe caſtigabunt.

Anno Mundi 3670. Stagiræ natus eſt Ariſto-

Ariſtoteles, portentum ingeniorum, & cui natura, ſi cui unquam mortalium, patuit. Platonis auditor futurus & adverſarius, Alexandri Præceptor; dignus diſcipulo tanto magiſter, magiſtro diſcipulus. Anno pòſt altero Philippus natus eſt, Macedonici fundator imperij, Græci everſor: Ac tandem tertio poſt Ariſtotelem anno, Demoſthenes ignobili licet origine, fulmen tamen & Jupiter eloquentiæ; ut id Græcis fuerit ſeculum ingeniorum, in quo tot ſydera, futura omni ævo clariſſima eluxerunt. *Ariſtot.* *Philipp.* *Demoſthenes.*

Eodem anno nimium populi ſtudium M. Manlio Capitolino fuit capitale; nam ſtudere rebus novis per immodicas largitiones compertus, datus in vincula per Coſſum Dictatorem: è quibus per eandem plebem ereptus cùm ſeditionem concitaret, captus iterum, de ſaxo Tarpeio dejectus periit: ita geminata ſorte Capitolinus; nam idem locus in eo & eximiæ gloriæ monumentum, & pœnæ ultimæ factus. Ita dum aſcendimus, præcipitia nobis comparamus. *Manlius Capitolinus.*

Anno 3675. contra Prænestinos Dictator creatur Quintius Cincinnatus, qui victores vincit, novem oppida vi capit, ipſum Prænestе expugnat; ac poſt triumphum, die poſt viceſimo quam ceperat dictaturam ponit. Digni qui vincerent, qui tam celeriter victoriam & uſurparent, & abdicarent. *Quintius Cincinnatus.*

Anno 3676. cœpit bellum Bœotium graviſſimum, Lacædemonios inter & Thebanos; *Bœotium bellum.*

Digitized by Google

banos ; cùm hi per ſeptem adoleſcentes exules duce Pelopida Cadmæam arcem recuperaſſent , ac è veſte muliebri , qua tegebantur , viriles animos deprompſiſſent. Quo bello Lacedæmonij penè attriti ; ſin minus concident , ſanè à caſu propius aberunt.

Timothe⁹. Iphicrates.

Nam Athenienſes Thebanis adjuncti , præclariſſimis ducibus Timotheo & Iphicrate, Spartanos vincunt. Timotheus quidem (cujus in dormientis ſinum fortuna urbes dicta congerere) Corcyram cepit , & propugnantes Lacedæmonios claſſe vicit , parique animo eandem à Lacedæmoniis pòſt obſeſſam propugnavit Iphicrates , victóſque repulit oppugnantes. Ita Deo per ducum fortitudinem vel ignaviam , ſanciente imperia vel deſtruente.

Leuctrica pugna. Epaminondas.

Anno Mundi 3683. ad Leuctra victi ſunt à Thebanis Lacedæmonij , Cleombroti Regis imprudentiâ , & Epaminondæ præclariſſimi ducis virtute , qui modeſtiâ & fortitudine nobilis , Græcos omnes (ſuffragante Tullio) animi dotibus ſuperavit : in ſummo imperio paupertatis cultor , & literarum citra arrogantiam ſcientiſſimus ; ea conjunxerat quæ perpetuo penè divortio ſunt ſejuncta. Hâc interim victoriâ , ut concidit Spartanorum gloria , ſic accita ingens potentia : eodem in loco , ubi quondam Scedaſi hoſpitis filias per ſummum nefas Spartani Legati ſtupratas occiderant ; tarditatem , pœnæ gravitate , Deus compenſat.

Anno

Anno Mundi 3689. Artaxerxes Memor mœrore confectus obiit, cùm Darij filij appetitus inſidiis, Aſpaſiæ pellicis amore furentis, eum occidiſſet; pacis, ſi quis ullus, ſtudioſiſſimus; bellis tamen implicitus penè perpetuis; in fratrem, Græcos, Ægyptios, & Satrapas rebellantes. Egregius Princeps, niſi ſe crudelitate commaculaſſet. *Artaxerxis mors.*

Anno ſequenti Artaxerxi patri ſuccedit Ochus, nihil paternum præter nomen imitatus; dici Artaxerxes voluit. Suſceperat è pellicibus centum & quindecim filios pater, quorum quinquaginta cum fratre Dario participes conjurationis necati erant, ſævo immanitatis exemplo, illorum conjuges & liberi ſimul perierant. Statim reliquos Ochus Perſarum crudeliſſimus, ne quis in ſe conjurare poſſet, interfecit; quaſi datâ operâ, ne innocentior parricidis fratribus haberetur; ita cognatorum cæde & ſtrage principum impleta regia. O ſceptri miſeriam, tam multos, quia id appetebant vel voto vel ortu, periiſſe; & ne quid ad infortunium deſit, à patre & fratre! *Ochus.*

Eodem anno iterum ad Mantinæam Thebanos inter & Spartanos pugnatum, ubi victi hi quidem, ſed illi victores in Epaminondæ morte ſcutum & gladium amiſerunt. Vir tantus honeſtiùs mori non potuit, quàm in clypeo, & ſuo ſanguine partâ victoriâ, ſine liberis, qui familiam propagarent, ſed per Mantinæam Leuctricámque pugnam quaſi per filias immortalis. *Mantinæa pugna.* *Epaminondas.*

Quarto

Dionisij mors. Quarto antè anno crapula perierat Dionysius Siculus, longâ poſſeſſione imperij miſer veriùs quàm felix, inter inſidias domeſticas & aſſidua Carthaginenſium bella; animi tamen ſtrenuus & indefeſſus: cujus ſucceſſit regno potius quàm fortitudini Dionyſius filius, otium ratus imperium, quo nihil eſt in mundo negotioſius.

Scenici ludi. Anno Mundi 3690. ludi Scenici Romæ inſtituti, ad mitigandam peſtilentiam, (Quod venenum pro medicina præbitum!) impuro ſanè Dæmonis invento, & libidinem palam prædocente: at nullo remedio; cùm etiam ludos Tiberis Circo infuſus abruperit. Nec ideò minus ad poſteros traducta impuritas, ut quotannis à theatro peſtis afflaretur.

Megalopolitanũ bellum. Anno Mundi 3692. exarſit bellum Megalopolitanum, quo plurimæ in Aſia provinciæ cum præfectis ſuis in Perſam deficiunt; Ægypto etiam ſe in novum Principem commovente: nec Græci in hoſtes perpetuos ceſſant, Spartanos Ageſilao ducente, Athenienſes Chabria. Et ſanè nutabat in Ocho odioſo & crudeli Rege imperium, niſi variis proditionibus, qui defecerant duces, ſe prodidiſſent. Ita proditione nihil incertius; nec infido in Principem fides habenda eſt.

M. Curtius. Circa hunc annum M. Curtius fortiſſimus juvenis, pietate ſuperſtitioſa, ſe in mediam fori voraginem impulſo equo armatum immiſit, exemplo nobili ſed miſerando, abutente dæmone animi robore, & adoleſcentiæ flore.

Prudentiùs

Digitized by Google

Prudentiùs & feliciùs T. Manlius, qui provocantem Gallum duello vicit, & à rapto torque aureo, Torquati nomen ſibi & ſuis peperit. Is idem anteà ob ſervatum patrem ab accuſatione Tribuni pietate clarus; ut videatur hujus facinoris illud eſſe præmium. *Manlius Torquatus.*

Anno ſequenti in Ægypto Nectanebum inter & Tachum, patrem & filium, pro regno certatum; Tachus pater ad Perſam confugit à quo defecerat; veniam impetravit & copias, Ageſilao reducente, victus Nectanebus, patérque ſuo redditus ſolio. Hoc ultimum Spartani ducis præſtantiſſimum facinus, quo naturam impiè violatam, reſtituit; nam in reditu vir ſummus obiit. *Ageſilaꝰ in Ægypto.*

Anno Mundi 3694. Philippus regnare cœpit in Macedonia; ita Deo permittente, ut, dum Perſæ Græcíque in ſegnem torporem reſolverentur, novum imperium naſceretur, exitiale utríſque. Mirùm ex qua gente, & ex quo Principe tanta Monarchia. Nam Macedones ſordida gens & obſcura, vix nota nomine, Illyris barbaríſque ſerviens populis: ipſe Philippus, Eurydice crudeliſſimâ fœminâ genitus, quæ ut genero regnum, ſibi generi nuptias pararet, proprios filios Alexandrum & Perdiccam interfecerat: ipſe (inquam) fratrum natu minimus, per triennium obſes Thebis apud Epaminondam, nullo in pretio. Sed unde calamitas, inde felicitas, quippe ſagaciſſimus ingenij juvenis, Epaminondæ virtutibus & diſciplinis philoſophorum eruditus, *Philippꝰ Rex Macedoniæ.*

tus, & captivus Thebis fabricavit jugum, quod orbem premeret; & per matris parricidia Macedoniæ regnum invenit, quod per annos 24. in incrementum immensum provexit.

Dionysi⁹ junior. At dum Philippus stabiliendo regno laborat, contrariis artibus Dionysius junior suum evertit, socordiâ scilicet & timiditate.

Dion. Mirùm, à Dione propinquo & exule, sed forti & osore tyrannidis pulsum esse regno, quod munitum quingentis navibus, militum millibus plus centum, idque die tertio ab appulsu; adeò nullum dominium nisi benevolentiâ tutum est. Nec ipse Dio, licet magni animi, dignúsque imperio quod comparaverat, diu stetit à casu integer: nam & plebis levitate, quæ bonas artes plerúmque odit, & Callippi amici proditione, defensionis specie cæsus est. Pòst Dionysius à receptis Syracusis iterum dejectus virtute Timoleontis, ingens fortunæ ludibrium, Corinthi egit ludimagistrum, throno in cathedram, sceptro in ferulam commutato; inter mortales vel fortissimus, si jacturam sensit; vel ignavissimus si non sensit.

Timoleon. Hic Timoleon virtutem Græcorum emortuam excitavit, qui Corintho patriâ liberatâ, appellatus à Siculis, Icetam Acradinâ, Dionysium arce, & Siciliâ penè totâ Pœnos depulit; modestiâ clarior quàm triumphis, cùm nihil suum, omnia divini muneris esse assereret.

Athenien-sium levitas. Circa eadem tempora Athenienses quibus

bus nihil diu placere potuit, Duces de republica meritiſſimos amovent, & mulctant, Timotheum & Iphicratem, impellente Charetis invidiâ: qui idem Chares cùm pecunia victus Artabanum Ocho rebellantem juviſſet, Athenis poſteà quas innocentibus pœnas paraverat, ignominiâ luit. Ita plebem qui inſtigant in alios, in ſe armant.

Anno Mundi 3698. V. C. 397. natus ex Philippo & Olympiade Moloſſorum Regis filiâ, Alexander. Quo tempore Dianę Epheſiæ templum ab Heroſtrato incenſum conflagravit, & Apollonis Delphicum à Philomelo Phocenſi occupatum & ſpoliatum. Portentum calamitatis Grecis & Aſiaticis impendentis, nam gens utraque Alexandro ſubdita: Philippo tamen lętitię fuit, ſibi eodem die nuntiatum eſſe filij ortum, geminaſque victorias, in Olympicis, & de Illyriis. Ita ſcilicet ſe habent mortalia; nihil mœrori eſt, quin cuipiam gaudium pariat. *Alexander natus.*

Anno ſequenti, ex fani Delphici expilatione, natum eſt bellum ſacrum, quod novem annos poſteà tenuit; Thebanos inter, Locros, & alios Gręcię populos, qui religionem contra Phocenſes à Philomelo excitatos, & adjutos ab Athenienſibus & Lacedęmoniis, vindicabant. Per duces varios geſtum bellum; donec per Philippum tandem abſolutum, ac Phocenſes victi graviſſimis affecti pœnis, decem talentorum *Bellum ſacrum.*

millia, quæ templo erepta fuerant, pependerunt. Nec ſacrilegij vel autoribus vel conſortibus Deus pepercit; nam & Philomelus anno pòſt altero victus à Thebanis, ſe ex ſaxo præcipitem dedit, & duces omnes vario lethi genére poſt hunc perierunt, quin & mulieres auro ſacro ornatæ, aut valetudinis aut pudicitiæ, quod gravius eſt, jacturam paſſæ ſunt: Deo impietatem vel in falſos Deos ulciſcente.

Philippi artes. At per bella Græcis cudebatur ſervitus, Philippo imperium, cùm is infirmioribus præbens auxilia, victos & victores mutuis attritos cladibus ſibi ſubmitteret. At quibus artibus quam in ſpeciem contrariis gradus conſtravit orbis Monarchiæ? primùm Deorum vindex, mox contemptor, utilitate non fide metiens fœdera, alloquio blandus & inſidioſus, jocis & ſalibus promovens ſeria, gratiam fingere, ſuetus in odio, juſjurandum poſtponens quæſtui; quò ferrum non pervaderet, aurum ſubmittens; aureum aſinum tormentis omnibus, machiníſque anteferens. At quis hac mercede regnum nundinetur? unus duntaxat in ſapientiſſima illa & fortiſſima Græcia, quem hæc non laterent, Demoſthenes fuit qui ſi animo tantùm, quantùm linguâ valuiſſet, nunquam Græcia jugum paſſa eſſet. Sed tanti eſt Philippicas habuiſſe: ut fuerint vel captivitate patriæ redimendæ.

Bellum Phœnic. Anno Mundi 3703. Ochus tandem in Phœnices, qui pridem defecerant, movit Sidon

Sidon obſeſſa, ut in capite malum periret; ſed à Mentore Rhodio Græcorum duce propugnata fortiter, ab eo mox prodita, cum duce ſtetit & corruit; cives deſperatâ ſalute ſecum liberis & uxoribus, incensâ urbe ad 40. millia flammis abſumpſerunt: adeò quibuſdam mors extremum malorum non eſt. Inde tota ſubacta Phœnicia. Nec fortunam ſprevit Ochus in quam inciderat; quippe eam nactus in Mentore, ejus ductu in Ægyptum pergens, Nectanebum Regem in Æthiopiam compulit, Apin occidit, & in illos morientes Deos atrociter ſæviit. Sed à tot victoriis in Perſidem redux, voluptatis trophæum, ſe Eunucho Bagoæ totum mancipavit. Pudet imperaſſe hæc hominum monſtra. *Mentor.*

Romani interea Gallos vincunt, M. Valerio ſibi Corvini nomen adepto, dum Gallum provocantem, corvi advolantis ope, duello ſternit. Omen victoriarum & honorùm fuit; nam de Gallis ſæpiùs triumphavit, & ad Conſulatum eſt evectus ſexies; raro in humanis felicitatis exemplo. *Valerius Corvin.*

Anno Mundi 3711. V. C. 410. exortum eſt Samniticum bellum, quod per annos geſtum 72. triumphis ſupra viginti quatuor materiam præbuit. Campani occaſio, qui dari Romanis quàm à Samnitibus vinci maluerunt, & ipſi Romani, qui ſuos eſſe Campanos, quàm Samnitium præoptaverunt. *Samniticum bellum.*

Anno ſequenti Ochus crudelitate terribilis, horrendâ Bagoæ ſibi chariſſimi vindictâ, *Ochi mors.*

dictâ, dato per Medicum veneno, è vivis
Bagoas. tollitur. Bagoas homo Ægyptius inviolatæ religionis ſuæ ultionem, cadaver Regis objecit felibus, devorandum: ex oſſibus manubria curavit fieri, Regíſque funus liberorum auxit funeribus; ſervatus unus natu minimus Arſes; cujus nomine nefarius ipſe parricida regnaret; hæc impuriſſimæ voluptatis principi merces.

Treballi in Philippum. Philippus interea cùm omni ope in augendo regno contenderet, divéſque prædæ rediret è Scythia, exceptus in viarum faucidus à Triballis prædæ partem poſcentibus, cùm negaret, totam & propemodùm vitam amiſit, equo quem agebat per ipſius femur ſauciatum, occiſo? idem ante, oculo in obſidione Olynthi orbatus. Quantis ærumnis & periculis regnum, hoc eſt honeſta ſervitus emitur!

Epicur⁹. Hoc eodem anno Athenis natus Epicurus, ſeptennio poſt mortem Platonis, novæ philoſophiæ tum in dogmatis, tum in moribus conditor; voluptatis aſſertor perpetuus, an animi, an corporis diu ambiguum, ſanè ſi corporis, infeliciſſimus, qui cruciatu dolorum periit.

Decius. Anno Mundi 3714. V. C. 413. Latini à Romanis victi, non ſine ſanguine; & Conſulum alter Decius, victoriæ hoſtia, ſe devovit Manibus, ſaluti patriæ poſthabens ſuam. Nec minori exemplo Manlius Torquatus, pius ille in patrem, victorem filium, militari diſciplinæ mactavit. Vidit

imperium

imperium non constare nisi obsequio: Bruto major, cùm parcere posset, non ignovit.

Anno Mundi 3715. Arses à Bagoa peremptore patris perimitur, cùm se jam regno & ultioni parem præferret. At Bagoæ industriâ Codomannus Armeniæ Satrapa, Ochi patruelis, ad regnum evehitur, qui Darij nomen statim assumpsit. Pòst ejusdem Bagoæ petitus insidiis, venenum sibi paratum Regicidam impium haurire cogit; serâ ultione, & pœnâ pro gravitate scelerum leviore. Hic est Darius, in quo Persicum regnum interibit, orbis Monarchiâ tandem ab Asia in Europam migrante.

Arses.

Darius Codomannus.

Anno Mundi 3716. quo Darius ad regnum pervenit, Philippus prælio ad Chæronæam Bœotiæ commisso, libertatem Græciæ extinxit; Alexandro in auspicium futuræ gloriæ cornu alterum regente; Athenienſibus parcitum, Thebani durissimè habiti; ipse Philippus ab universa Græcia Imperator ad Persicum bellum destinatur, ad liberandam Asiæ Græciam: quasi utrobique non esset servitus, aut magni referret, Macedoniam Persæ servire.

Chæronæa pugna.

Sed ecce Rex tantus in medio fortunæ cursu repente concidit. Nam anno proximo in Cleopatræ filiæ nuptiis, dum æqualis Diis, quorum simulacris suum adjunxerat, incedit ad spectacula, factus ipse spectaculi argumentum, spectantibus Græcorum proceribus à nobili adolescente Pausania contu-

Philippi mors.

Digitized by Google

meliam ſibi illatam ab Attalo, vindicanti in Principe, confoditur, & bovis inſtar, quod oraculum monuerat, immolatur; anno ætatis 47. Nunc ſpes in ævum homines protrahant; dum in nuptiis, in pompa; in victoriis mortem excipiant.

ANEMONES.

Digitized by Goo

ANEMONES.

AREOLA VIII.

Ab Alexandro ad Perſeum.

Cruore dicas Anemones imbui, dum diluto rubore pinguntur. Quantùm ſanguinis Alexander fudit, ut regnum ſibi ſuiſque conderet! Quantùm ſucceſſores, ut regnum adhuc nutans dividendo everterent! Ambigas, Alexander Perſis an Græcis funeſtior fuerit.

ANNO Mundi 3718. V. C. 417. Alexander 21. annorum adoleſcens patri ſuccedit; ad ſummas virtutes & vitia natus; cupiditate gloriæ penè ſupra mortalem incenſus; à Jove, ut credi voluit, genitus, vix à Philippo; nam Olympiadem ut ſtupri compertam Philippus dimiſe- *Alexander Rex.*

Digitized by Google

rat. Is ſtatim paternam cędem ultus, tendit in Gręciam, per Amphyctiones Dux renuntiatur, Attalum opprimit, Thebas obſtinatiùs repugnantes exſcindit, civéſque ſub corona vendit, ac latè victor refragante nemine, Corinthi in Perſas Imperator dicitur. Illic Diogenem Cynicum ex Sinope natum inviſit, animíque robur in Philoſopho ſic amavit, ut ab Alexandro Diogenem prędferret omnibus: Ita glorię cupidiſſimus nihil cenſebat medium, inter obtinendum orbem, vel contemnendum.

Diogenes.

Alexander in Aſiam.

Anno Mundi 3720. Alexander diviſo amicis patrimonio; ſpe unâ contentus, in Aſiam tranſiit, cùm 33. peditum millibus, 4. equitum; hac exiguâ manu aggreſſus orbem juvenis. Et ad Granicum quidem ſtatim vicit, Spitrobate Darij genero, fortiſſimíſque Satrapis interemptis, qua victoriâ tota Aſia parta, ad Cilicię fauces imperium propagatum. Sanè in beneficiis numeranda mors Memnonis, qui origine Rhodius, unus Alexandro futurus par morbo periit; ne quo fulcro ſtaret Perſa ruiturus.

Memnō.

Pugna ad Iſſum.

Anno ſequenti, altero vulnere res Perſica ad Iſſum Cilicię ſauciatur; ubi Darius ipſe quingentis armatorum millibus pugnans vincitur; & fugâ evadit, conjuge tamen & liberis apud Macedonem, captivis. In quibus illuſtriorem victoriam retulit Alexander, indulgentiâ fortunę nondum corruptus, caſtitate fœminę & pudicitia virginum illibata: felix ſi diutiùs in ſui victoria

perſti

perſtitiſſet. Damaſcus & Syria ſtatim occupatæ: una Tyrus, quaſi clauſtrum, objecta currenti, ſeptem menſes oppugnantem detinuit, tandem expugnata cum victore ad poſteros venit: pòſt ſubactâ Gazâ, ac Jeroſolymâ periclitatâ, niſi Jaddus Pontifex Deo fretus invictum principem in reverentiam ſui adduxiſſet; adeò ubique tutum eſt, quod propugnat Deus.

Anno Mundi 3723. Alexander occupata Ægypto; redux ab Hammonis oraculo, ubi Philippum patrem Jove mutaverat, Alexandriam condidit Ægypti caput: futuram olim amplam, auguſtam, & conditore ſuo digniſſimam. *Alexandria.*

Anno Mundi 3724. V. C. 423. ceſſavit Perſarum Imperium, anno à fundatione 318. Darius ad Arbela in Campis Ninives victus, ac poſteà proditoriè à Beſſo interfectus, & ab hoſte defletus, vacuum Aſiæ imperium Alexandro ceſſit; hinc Græcorum regno incipiente. Occupata Perſis à victore, incenſa per temulentum Perſepolis, gazæque Perſicæ hoc eſt præcipua totius orbis divitiæ conflagrarunt; & ne quid ad infamiam deeſſet, ſcorto impellente. Eodem tempore ab Antipatro victi Spartani, Agide eorum Rege perempto, dum Aſia vincebatur, Macedoni Europæ imperium confirmarunt. *Darij mors.*

Anno Mundi 3730. Alexander peragrato inſtar fulminis Oriente, protritis omnibus quæ obſtiterant; ultra naturam, ambi- *Alexandri mors.*

tionem, cùm non posset arma, propagans; Babylonem redux, auditis totius orbis legatis, veneno vel intemperantiâ moritur; anno ætatis tricesimo tertio; invictus armis non voluptatibus. De quo, ut de Deo dicebant veteres, silere satiùs, quàm pauca dicere.

Et studia. Nec omittam tamen in tanto belli ardore, amantissimum eum doctrinæ, artiúmque fuisse. Nam & Homeri poëma circumtulit aureo scrinio; in Thebarum ruina Pindari laribus & familiæ pepercit; Aristoteli delegavit aliquot hominum millia, per quos animalium naturam disceret; adfuere militanti Callisthenes & Anaxarchus Philosophi; ab Apelle solo se pingi; ab uno Lysippo fingi voluit: diceres animum capacem omnium, quæ commendant singulos cuncta complexum.

Et successores. Reliquit fratrem Aridæum, Herculem filiolum; & prægnantem Roxanem, pluréſque Duces dignos imperio: sed Heroi tanto nullus succesſit; nec eò ullum provexit ambitio, ut se Alexandro proximum diceret: satius fuit dividere, quod totum neminem capiebat. Ita Ptolemæus Lagi filius, *Ptolemæus.* fortitudine clarus & humanitate, Ægyptum occupat, in qua regnum multos post annos perstiturum condit. Alij duces Satrapas inter se partiuntur, dum Alexandri filij adolescerent; id est, dum alter alterum, quâ vi, quâ fraude tutiùs perderet.

Papyrius. Et apud Romanos Papyrius Cursor Imperatoriâ

peratoriâ laude clariſſimus, dignúſque (ſi Livio fides) quem Alexander non vinceret, Fabium Magiſtrum Equitum dictator ad ultimum vitæ diſcrimen adducit; dum contra ipſius juſſa auſus eſt vincere. Tantùm in militari diſciplina roboris Romana virtus poſitum credidit.

Anno Mundi 3732. cùm ſuperiore bellum Lamiacum inter Antipatrum & Athenienſes Demoſthene tubicine excitatum eſſet, hoc anno magnâ Athenienſium cladc ceſſavit, ipſe Demoſthenes profugus ſponta-neo veneno, è vita abiit; Eloquentiâ maximus, quam tamen avaritiâ fœdavit. *Demoſthenis mors.*

Tunc & Ariſtoteles, naturæ lumen, & veneno ſuo periit; ne itidem in Antipatri manus veniret; ut eodem fato doctiſſimus eloquentiſſimúſque mortalium vitâ exceſſerit. Quod monſtrum Antipater; quod ſuam Græciam, ipsúmque orbem ornamentis tantis ſpoliavit! Dicitur Ariſtoteles Bibliothecam primus congeſſiſſe: dignum autore inventum, cùm virorum illuſtrium ingenia ad poſteros tranſmittere non poſſet, libros ingeniorum monumenta tranſmiſit. *Et Ariſtotelis.*

Anno Mundi 3733. V. C. 432. Romani ſub jugum à C. Pontio Samnite miſſi, & ad furcas Caudinas ictum fœdus ignominioſum. Sed qui fortes vincit, irritat. Sequenti anno elutâ ignominia, ingenti victoriâ per Papyrium, oppreſſi Samnites, eandem infamiam ſubiere. *Caudinum fœdus.*

Circa hæc tempora, dum Oriens univerſus

Caſſandri ſcelera. verſus per tumultuantes Alexandri Duces concutitur ; Caſſandri qui Antipatro patri ſucceſſerat, eluxit palmarium ſcelus. Is enim Olympiade regis ſui matre interfectâ, duos ejus filios, quorum alterum ex Barſine, alterum ex Roxane ſuſceperat, interemit ; planè innoxios, niſi quod imperio nati eſſent ; nihil ex tanta ſorte conſequentes, niſi ut indigniùs perempti viderentur.

Eumenis mors. Antigonus Eumenem præclariſſimum Ducem Regiarúmque partium ſectatorem fidiſſimum, traditum ſibi per proditionem inediâ necat. Ita virtuti fortuna infenſa, dignandos ſolio crudeliter mactat. Ipſe Antigonus ambitione flagrans, per Demetrium filium, audaciſſimum juvenem, ut ſibi quę-rat imperium, perturbat omnia.

Agathocles. Tunc & Agathocles in Sicilia, ambitione, armis, felicitate, & miſeriâ eluxit. Is è figulo natus, uſurpatâ tyrannide, ac pœnis ſæpius fortiter victis, cùm fortunæ filius crederetur ; repente hoſtis gravis annis, crudeliſſimo fato à nepote Andragatho veneno, aut ut volunt alij, cruce, perimitur. Ite mortales, in fortunæ riſu ſpes conſtabilite ?

Appij Cenſura. Eodem tempore Appius Claudius Cenſuram Romæ inſignivit, quà beneficiis, quà ſeveritate : adeò contrariis rebus fama conſtat. Nam plures è ſenatoribus acerbè notavit, & jam prolabentes mores reſtituit, & Appiam viam Româ Capuam, ſaxis munivit

vit, & aquas fontis urbi induxit; aquâ & ſaxo (quæ quantum oppoſita) Appiorum nomen æternans.

Nec defuerunt iis temporibus Philoſophorum certamina, ut & ſua bella ingeniis eſſent. Quippe Crates Thebanus paupertatem omnibus antepoſuit: Pyrrho Elienſis nihil certi eſſe, ſed incerta omnia docuit; Epicurus Athenienſis voluptatem, ſummum eſſe bonum aſſeruit; at longè melius Menedemus Eretrienſis, qui honeſtatem; & Xenocrates Chalcedonienſis, qui continentiam ſuos docuerunt. *Philoſophi.*

Nec prætermittendus Manander Poëta, novæ Comediæ autor, ingenio ſuaviſſimus, & artificio politiſſimus, à quo Terentius lepores hauſit; à Regibus Macedoniæ & Ægypti per legatos & claſſem petitus. Adeò etiam inter arma ſuus honor ſcientiis & dignitas perſtat. *Manander.*

Anno Mundi 3743. V. C. 442. celebris eſt Græcorum regno, quod Babylone à Seleuco Nicanore conditum, in Oriente latè propagatum eſt. Sicque deinceps præfecti provinciarum ſe dixerunt Reges, ſed tum regna, tum Reges brevi perierunt; exceptis Aſiæ, Ægypti & Macedoniæ. Dei quippe unius eſt regna condere & perennare. *Græcorum regnum in Seleuco.*

Anno Mundi 3749. Rhodus à Demetrio Poliorcete, validè inuſitatis machinis obſeſſa, ſe tuetur fortiter; ac tandem pace contracta, Coloſſum Rhodium ſextum illud orbis miraculum, in portu erigit; ſed *Rhodus obſeſſa.* *Coleſſus.*

diu

diu non ſtetit ventorum procellis in humum exceſſus. Nempe excelſa, eò ad ruinam patent magis, quò ſublimiora ſunt.

Anthiochia & aliæ urbes.

Anno Mundi 3753. Seleucus Nicanor victo Antigono, Antiochiam Syriæ Principem ad amnem Orontem condidit, ab Antiochi parentis nomine; urbem inſignem, ac futuram ſtatim clariſſimum Orientis. Nec hac contentus, in memoriam ejuſdem patris, alias quindecim extruxit eodem nomine Antiochias, in honorem matris ſex Laodiceas, novem Seleucias, tres Apamias, Stratonicen unam uxorem nominibus inſignivit; quarum celeberrima Seleucia ad Tigrim, Babylonis pompam ad ſe traduxit. Ita Nicanor non de hoſtibus modo, ſed de tempore trophæa poſuit.

Caſſandri mors.

Anno Mundi 3755. Caſſander ille ſæviſſimus intercute aqua extinctus eſt, indignus qui tam facili morte interiret. Sed & in liberos pœnæ pars venit, ne regno tot ſceleribus parto potirentur: perierunt ſtatim ferro vel morbo.

Decius.

Anno Mundi 3759. Decius Conſul in prælio contra Gallos & Samnites, exemplo patris ſe neci devovet; mori pro patria patrimonium ratus. Tunc occupata Macedonia Pyrrhus inclareſcit; ut parandis regnis natus, ſic perdendis, ſpe potius dives quàm uſu; qui futuris inhians præſentibus caderet; Alexander dimidiatus; cupiebat omnia, tenebat nihil.

Pyrrhus.

Anno mundi 3770. Ptolemæus Lagides

des Ægyptiaci regni conditor moritur: cui ſuccedit filius natu minor Ptolemæus, Philadelphus dictus, quod impuro Ægypti inſtituto, ſororem Arſinoën haberet in matrimonio; pravo poſteris exemplo; quod tamen pœnâ non caruit, liberis qui conjugij finis eſt, deſtitutum. *Philadelphus.*

Is tamen ob liberalitatem & amorem in doctos, memoriam in poſteris nactus: Aratorem Philoſophum Præceptorem ſuum 80. talentis donavit; inter Aulicos ſeptem è Græcia Poëtas numeravit, hinc dictos Pleiadas, in quibus Theocritus & Lycophron, famâ digna nomina. Bibliothecam Alexandri imitatione à patre incœptam; Demetrij Phalerei conſilio, conquiſitis undique libris inſtruxit; quaſi ſcientiarum Gaſophylacium: quam ut Judaicis libris ornaret, ab Eleazaro Pontifice ſeptuaginta duos ſeniores Interpretes impetravit; quorum operâ nec ſine miraculo, ſummo mortalium bono, donati Græciâ codices ſacri, pòſt Hebræos ipſos redarguturi. Gratus hic labor Philadelpho fuit, ideò Judæorum 120. millia à ſervitute manumiſſa, verſioni Græcæ donata ſunt. *Litteras amat.* *Interpretes 70.*

Nec Regi munificentia defuit; Pharum inſulam injectis molibus. Iſthmum fecit; in ea turrim ædificavit, quæ navigantibus facem præferret; tam immenſam, ut in orbe miraculum habeatur, & ultimum. Quàm prodigioſum! quod æquaret priora, & poſteriora excluderet. Hæc artificio Soſtrati Cnidij, *Et artes. Pharus.*

Cnidij, cujus ingenium Regis ſumptibus par, munificentiæ ſocium, ad nepotes ivit cum opere.

Ceraun⁹. Huic Philadelpho frater erat natu major Ptolemæus Ceraunus, hoc eſt, fulmen dictus, ob præcipitem naturam & violentam audaciam. Is à patre gnaro indolis Ægypto ejectus, receptores ſuos malè mulctavit: nam Seleuco Nicanori cui debebat omnia, vitam eripuit; & in Macedoniam profugus, illam occupavit. Antigono Demetrij filio deturbato, inſtar peſtis graſſans, quæ ſuos tantùm perimit hoſpites. Nicanori in Aſia ſucceſſit Antiochus Soter dictus.

Tarentinum bellum. Anno Mundi 3774. V. C. 473. incepit bellum Tarentinum, quarto pòſt anno terminatum, Romanos inter & Tarentinos. Illos Italia circa Romam victâ, hos opes, faſtus Græcus, & à Græcia Pyrrhus incendebant. Triplici prælio bellum confectum eſt; primo, Romanum robur Elephantorum terror oppreſſit; tunc per oculos victi Romani ſunt.

Altero, æquo utrinque Marte diſceſſum eſt; at poſt de Cynea indecoram pacem conciliante eloquentiſſimo Pyrrhi legato triumphavit Appius in Curiâ, Romámque cæcus caſtigavit in dignitate ſua cæcutientem. Ab hac tuba quis non vinceret? tertio prælio Pyrrhus victus & exutus caſtris, profugit ab Italia, Curium & Fabricium tam invictos auro quàm ferro teſtatus.

Hoc anno Galli populoſiſſima & fortiſ-

ſima

sima gens, terras conquirentes, se in Græciam converterunt. Belgio duce pars, trecenta erant millia, in Macedoniam irrumpit, Ceraunum occurrentem profligat & cædit, tot perjuria ac parricidia in nefario capite vindicans. Partem alteram Brennus in Græciam transfert, ingenti omnium consternatione, sed cùm profanis spoliis non contentus, sacra expeteret, & ad expilandum Delphorum templum sese accingeret; à templi custodibus, & aëre per frigus & grandinis vim præliante, repulsus est; & ipse in hostium partes transiens sibi mortem intulit; reliqui variis casibus periere. *Galli in Græciam.*

Anno Mundi 3782. Pyrrhus victo Antigono, & ejectis Gallorum reliquiis Macedoniâ potitus, cùm Argos occuparet, & ferocissimè inter promptissimos dimicaret, illisu regulæ à muliercula occiditur: spei immodicus, qui votis orbem ambiebat, vix terræ palmum ad sepulchrum obtinuit. *Pyrrhi mors.*

Anno Mundi 3790. V. C. 486. jam Romanis ultra suam Italiam spem proferentibus, bellum Punicum primum incepit, quod per annos 24. tenuit Prætextus, ut Mamertinos socios Romam in Pœnos & in Hieronem Syracusarum Regem defenderent; causa, ut Siciliam in proximo insulam, futuram urbis horreum ereptam Pœnis occuparent. Tunc primùm duo commissi populi, mox internecinis odiis grassaturi: Ac Pœnis quidem favebant omnia; Hiero, peritia, rei maritimæ *Punicum bellum primum.*

Digitized by Google

maritimæ expeditionibus multis collecta, victoriæ ad Gades extremúmque Oceanum ſparſæ, ipſum mare Romanis intentatum adhuc, & pugna mobilis inaſſueta: at Romanis virtus horum vice fuit.

Primum ſtatim facinus Appii Conſulis, qui ſtatarios milites claſſi commiſſos ab Italia ſua abducit; alterum Duillij fuit, qui per eos vicit, & in elemento ſuo Pœnos profligavit, prærogativa Quiritibus placuit, licuítque Duillio triumphare toties quoties cœnaret. Tertium fuit Attilij Reguli qui per occupatam Siciliam cedentes Pœnos ſequutus in Africam, ingentes clades opprimebat in ſemine, ipſámque Carthaginem futuram olim pluſquàm æmulam conſcindebat, niſi Xantippus Lacedæmonius Punicas artes Spartana virtute fulciens, victorem ſpoliaſſet victoriâ, & rurſum in Siciliam bellum rejeciſſet. Hic eſt Regulus qui pietate in patriam, & cruciatuum patientiâ quàm armis clarior, docebit orbem, non modò agere fortia Romanum eſſe, ſed & pati.

Regulus.

Iterum igitur in Sicilia bellum; ſed per Metellum inde pulſi Pœni; per Buteonem ad Ægimurum cæſi & ſpoliati; tandem à Lutatio apud Ægates inſulas ita victi claſſe, ut victi & animis, pacem popoſcerint & impetrarint, in Africam ſuam quaſi Europâ exules, retruſi. Paſſi tamen geminam cladem Romani; alteram à Claudio, qui præ vincendi cupiditate ſpretis auſpiciis,

ciis, ſuos eodem fato quo pullos involuit; alteram à mari; quod naves refertas ſpoliis naufragio abſumpſit, ut inde pietatem; hinc contemptum rerum ex jactura facili docerentur.

Hoc eodem anno Zeno Cittieus interiit, Stoicæ ſectæ tam moribus conditor quàm doctrinâ, beatitudinem in virtute ſola conſtituens; abſtinentiæ exemplar & panegyricus, cujus beneficio nonaginta annos vixit ſine morbo. *Zeno Stoicus.*

Anno Mundi 3804. è Perſici regni ruinis ſurrexit Particum, tenuibus ut fit initiis: cùm quidam Arſaces oriundus è Scythia, in Parthia remota regione Græcorum jugum excuſſit. Quis tunc Romanis naſci crederet æmulos? aut ab iis Aquilas tandem reprimendas? *Parthici regnum.*

Circa hunc annum Antiochus Soter Syriæ Rex moritur, cui ſuccedit filius Antiochus ex Stratonica, Deus à Mileſiis dictus, quòd Timarchum eorum tyrannum ſuſtuliſſet. Hic Berenicen Philadelphi filiam uxorem duxit: ſed inde regno & vitâ orbatus; nam Laodice prior ejus uxor, Berenices ſoror, maritum veneno peremit, & Berenicen ſororem circumuentam dolo trucidavit. Tunc nempe fœminas ita invaſerat cæca ambitio, ut virilia patrarent crimina, ac parricidio multiplici abdicatâ natura, in ſolium monſtra intruderent. *Antiochus Deus.*

Anno Mundi 3807. Philadelphus moritur, cui ſuccedit filius dictus Evergetes, id eſt Beneficus, propter egregia in Ægyptum merita *Evergetes.*

Digitized by Google

merita. Quo & anno in Syria regnat Seleu-
Callinic⁹. cus Callinicus Antiochi Dei ex Laodice con-
juge filius; ſtatimque propter Berenices ma-
terteræ cædem, cum Evergete bellum in-
flammatur; quo victus Callinicus Syriâ &
Palæſtinâ ab Evergete ſpoliatur. Ita in po-
ſterum Ægypto & Syriâ mutuis cladibus de-
bacchantibus.

Poëtæ in Italia. Anno Mundi 3814. V. C. 513. Livius Poëta primam dat Romæ fabulam; ſequenti Ennius naſcitur: adeò ſerò literæ in militares animos immigrarunt.

Pax. Anno Mundi 3819. V. C. 518. poſt primum bellum Punicum, pace cum Corſis
Jani templum. initâ, ſecundùm ab Urbe condita Jani templum clauſum eſt; ſed ſtatim patuit; ob Liguſticum bellum exardeſcens. Martia quippe gens tam impatiens otij quàm laboris patiens, norat victorias belli ſeri, nec orbem pace profligatum iri. Ligures dumis ſylveſtribus extracti, ignibus ſepti, victi, exarmati, triumphum non tam inſtruxerunt quàm effecerunt.

Interea Aſiam diſſidia fratrum miſcebant. Seleuchus ab Evergete victus à fratre
Antioch⁹ Hierax. Antiocho poſcit ſubſidia: is quatuordecim annos natus, regni ſupra ætatem avidus, unde Hierax ſive Accipiter dictus, contendit ut fratri regnum eriperet; inter eos varia prælia; uterque victus, Seleucus ab Hierace, Hierax ab Attalo Pergameno, qui deinde ad Evergetem profugus, à latronibus interficitur. Iiſdem fermè diebus Seleucus

equo

equo præcipitatus, vitam abrupit. Cui ſuccedit filius Seleucus Ceraunus ſive Pogon dictus, ad tres duntaxat annos regno potiturus.

Anno Mundi 3829. V. C. 528. Galli Inſubres lege Flaminij excitati, qua Picentes agri Gallis erepti, diviſi fuerant militibus, bellum Romanis inferunt; ſed infauſto eventu: ipſi triplici prælio victi ab Æmilio, Flaminio & Marcello, qui de Rege Viridomaro opima ſpolia reportavit, & Jovi Feretrio ſuſpendit, poſt Romulum tertia & ultima: quod mirum in tam multis bellis; niſi rarum ſit, Imperatorem regere & pugnare. *Gallicum bellum.*

Anno Mundi 3833. Evergete mortuo, ſuccedit filius Ptolomæus Philopater; ſi ſupetis placet, hoc nomen meritus ex parricidio triplici utriuſque parentis & fratris: quaſi unicum ad appellationem illam parum eſſet. Pudet hoc monſtrum tenuiſſe regnum annos 17. Quo & anno Philippus Demetrij filius, Perſei pater, in Macedonia regnare cœpit, Antigoni privignus, qui victor in prælio, oborto ſanguinis profluvio, diem obierat. *Philopater.* *Philippus.*

At paulò antè Seleucus Ceraunus in Attalum movens, à Nicanore dolo occiditur; Achæus parricidij vindex fratrem Cerauni Antiochum adhuc impuberem regio nomine ornat, ſe revera Aſiæ regem gerens. Is Antiochus poſtea magnus dictus eſt, quod Hermæam, Achæum, & purpuratos alios ſibi dominantes excuſſerit, paternum *Antiochus magnus.*

regnum

regnum receperit, ac de Philopatore ſocordia omni corrupto victorias amplas retulerit: unus tandem qui Græcorum conſepultam gloriam ſuſcitaret.

Anno Mundi 3836. V. C. 535. ille Annibal ſacramento puer, in Romanos à patre armatus, cùm anno ſuperiore Saguntum in Hiſpania expugnaſſet & excidiſſet, fidei magnum ſed triſte documentum, ſuperatis Alpibus, in Italiam deſcendit, movítque bel-
Punicum bellum. lum Punicum ſecundum, quod annos octodecim tenuit, cladium horrore tam atrox, ut Europa & Africa utriuſque gentis ſtagnarit ſanguine. Primò ab Annibale ſtetit victoria, pòſt defecit, dicas à luſco & deformi Afro in Scipionem converſam, amaſſe juvenem formáque floridum.

Prima itaque Pœni laurus, Alpes fuerunt, quas uni hactenus Herculi pervias, non tam aceto mollivit, vel igne confregit, quàm improbitate laboris disjecit. Prima tamen palma, ſi Romam ſpectes, ad Ticinum fuit; ubi Scipio Dux veteranus ab Annibale juvene fuſus, & à filio Prætextato adhuc ſervatus, utrinque didicit adoleſcentium eſſe fortunam. Altera ad Trebiam frigidiſſima hyems Sempronium ſtravit; rigentia gelu corpora ſcopi erant telis, non milites. Tertiam peperit Flaminij temeritas ad Thraſymenum, qui pugnandi cupiditate inconſulta, ſe totum præbens Punicæ fraudi, docuit ſuos etiam in armis regnare conſilia. Quartum vulnus & penè funus Romæ

Cannæ

Cannæ fuerunt, ignobilis Apuliæ vicus, ad quem 45. Romanorum millia cæsa cum Æmilio Consule. Quid plura? Roma perierat, si vincere & victoriâ uti, idem essent.

Sed ab uno peccato ut Roma stetit, sic Cartago ruet. Nam statim Cannas Annibal Capuæ reperit; hic invenit miles, quo vitam amaret, quod ne perderet vinci pateretur. Sanè invictus hactenus, mox à Capua cœpit non vincere, cunctatione Fabij Maximi; mox etiam vinci felici Marcelli audacia: hi duo Romani Imperij, scutum & gladius; alter cessando, alter agendo, contrariis artibus Rempublicam perditam excitarunt, æquali in posteros gloria, nisi majus sit cessando vincere, quàm agendo agere ut vinci possis.

Et inde clades exceperunt deinceps Annibalem; nempe Capuam suam illam Romam, quanto dolore obsideri vidit & capi! ut in Italica illa Carthagine, Pœni amicitia supplicio esset. Qui animi sensus, cùm avulsum fratris Asdrubalis caput ante castra vidit, & ab ejus cæde 50. militum millia periisse! quàm grave, spei jacturam facere, & privatum luctum augere publico! At quàm acerbum excedere Italiâ, superstitem Romam relinquere, ultione cadere, & timere Carthagini! postremò qui stimuli! in conspectu patriæ veteranum vinci à juvene; contueri Syphacem amicum Regem castris, regno & vita exui, in senatu suo suadere pacem quàm violarat,

rat, & civitatem Africæ dominam ſervire in Africa, pati jugum ab æmula; idque unâ culpâ, quod poſt Cannas parciſſet victoriæ. O errorem in principio levem, gravem in exitu!

Romæ fortitudo.

At Roma nuſquam virtutis majora edidit monumenta; nec enim unquam, vel animo cecidit, vel ſpem abjecit; diceres clades in experimentum conſtantiæ miſſas. Nunquam Curia decrevit fortiùs, nunquam ſe geſſit plebs obſequentiùs; ſervis etiam ad arma vocatis ingenuorum animus fuit; quin & Matronis ſua fortitudo, dum luctum minuunt, & ex auro mundum in forum conferunt: tantum in adverſis virtutum pabulum, & in calamitoſis proſperitas mentis.

Res geſtæ.

Nec fruſtra cecidit id mentium robur; nam & Hiſpaniæ, Scipionibus occiſis perditæ, per Scipionem vix adoleſcentem receptæ; & Syracuſæ urbs validiſſima poſt triennalem obſidionem tandem expugnatæ, & in Sardinia bellum geſtum; & Philippo Macedonum Regi arma illata; & de Campanis ſupplicium ſumptum: ut vix credi poſſit, vel hæc ſuſceptâ præſente Annibale, vel urgente & faucibus imminente perfecta. Sanè ab hoc bello, quaſi poſito fortitudinis tyrocinio, in Romæ leges totus ibit orbis.

Imperatores Romani.

Nec genti tam forti defuerunt Duces, qui poſt Fabium & Marcellum, vel luderent Annibalem vel profligarent. Quantus Gracchus, qui per armata mancipia liberos vicit!

quam

quàm fortis Fulvius qui ceu alterum oculum Pœno effoderet, Capuam cepit ipſo inſpectante! quàm audax Nero, qui quaſi bicorpor dum Annibalem in Brutiis premit, idem ſub Alpibus Aſdrubalem cedit! quam felix Livius, cujus auſpiciis collegâ pugnante, cæſus hoſtis latè agros ſternit! At quanta coronis illorum Scipio! in quo ut virtutum omnium ſplendor illuxit, ſic felicitatis bellicæ decus emicuit. Is recepit Hiſpanias tam temperantiâ quàm fortitudine, pro juvene fortis, ut ultra juvenem caſtus & temperans; is conſilio ſenex bellum adoleſcens in Africam tranſportavit; ſibi Maſſaniſſam hoc eſt Reipublicæ conciliavit, vicit igne Siphacem, Annibalem ferro; & cum Africam Romanam feciſſet, poſsétque Romam Scipionis facere, uno Africani contentus nomine, ſe Romæ ſubdidit. Hoc revera eſt abdicare regnum; ſi tamen abdicat, qui ſubjectus animo vel in ſumma potentia, nunquam regnat. *Scipio.*

Nec omittendus in his belli turbis Archimedes, Matheſi nobilis, qui patriam Syracuſas contra Marcellum ſolus propugnavit; qui unico fretus ingenio, militum impetus, navium roſtra, machinarum ictus, Marcelli fortunam diſcuſſit & fregit; cujus vel umcum ſupra Annibalem Romani timebant; qui naturæ conditor novus cœli miracula ære illigarat, qui hoſti vel nocendo exitaverat amorem ſui. Id miles tibi licere non debuit, ut incautum perimeres: at honeſtiùs *Archimedes.*

Digitized by Google

mori non potuit, quàm in acie ſua, hoc eſt inter lineas, nec jucundiùs quàm ſtudendo, morte obitâ antè quàm visâ.

Plautus. Et Plautus in laudem ingenij admittendus, qui ſub belli finem ſcenam Romanam exhilarabat Comœdiis; iis ſalibus & eloquentiâ, ut Muſas & Satyros Latinè docuiſſe viſus ſit.

Circa hæc tempora in Ægyptios movit Antiochus Magnus ad Cœleſyriam recuperandam; incertâ pugnâ utrinque diſceſſum. At Philopator in Ægyptum redux, ira in Judæos tumens, quos ſuis rebus minus favere compererat, conquiſitos omnes quingentis elephantis proterendos objici juſſit. Deus tamen ſuis non defuit; ſemel iterúmque ſub ipſum diſcrimen ſervati innoxij, deficiente Regis memoriâ: dimiſſi tandem incolumes, oblivioni aram poſuiſſent, niſi Deo ſuorum memori ponendam meliùs credidiſſent.

Judæi ſervati.

Anno Mundi 3850. Philopator regio indignus nomine, vino & luſtris confectus moritur, relicto quingenni filio ex ſorore Eurydice ſuſcepto; qui poſteà dictus Epiphanes, id eſt Illuſtris: nunc domeſticis & externis præda; nam Antiochus ſtatim Syriam & Palæſtinam invadit; Philippus etiam de Cypro cogitabat; ſed qui aliena occupant, circa ſua retinenda ſtatim laborabunt.

Ptolemæus Epiphanes.

Nam anno Mundi 3854. V. C. 553. Roma Philippum ſibi ex fœdere Punico infenſum bello laceſſivit. Lævinus victrice claſſe tota Græciæ littora peragravit; pòſt Philippus bis victus, bis exutus caſtris; dein Flamini-

nio duce clauſtra Macedoniæ penetrata; Rex ne vinceretur, pacem optavit; illi cum aurito regno conceſſa, ſed Græciæ libertas priſtina reſtituta, quantâ Flaminij & Romæ gloria! in Philippo Alexandrum vincebant, qui Græciam olim libertatis ipſius patriam è ſervitute nunc manumitterent, & quaſi natalibus reſtituerent. Si tamen liber dicendus eſt, qui Dominum mutat, vel ex ruſtico ſervo qui fit Atrienſis. *Bellum Macedonicum.*

Anno Mundi 3863. V. C. 562. populus Romanus, ne qua pars orbis illibata foret; Antiocho Magno Syriæ Regi Bellum indicit: Philippo Antiochus faverat, & cum Annibale Carthagine profugo exceperat odium in Romanos. Sed nec Annibal Pœnos in Syris invenit, nec Ægyptios in Romanis Antiochus: bellum ut magnificentiùs quàm fortiùs apparatum, ita non viriliter geſtum, ſed muliebriter. Dum Rex in Eubœa puellæ amore captus otiatur, ab inſula per Glabrionem pellitur, & ad Thermopylas victus, amore in timorem verſo, in Aſiam fugit; jam per Æmylium claſſe laceratâ. *Antioch⁹ Victus.*

Mox in Aſiam penetrat Scipio, cui frater Africanus pro Legato erat; nec ægriùs in Aſia quàm in Europa vincitur Syrus, & pro mulctâ intra Taurum regnare juſſus, ſatis habuit tam altis limitibus à victrice gente ſejungi. Aſiatici nomen Conſuli ceſſit, Romanis Aſia; tunc quippe gloria & præmium diviſa; illáque contenti qui vicerant, hoc quibus vicerant permittebant.

Quarto pòſt anno idem Antiochus, non regno modò ſed famâ & opibus imminutus, dum ut illam reparet, iſtas malis inquirit artibus, Joviſque templum auro per ſacrilegium ſpoliat, à contemptu in odium lapſus, necatur à ſuis. Succedit filius Seleucus dictus Philopator propter bella contra Romanos; ut voluit geſta; ſed ſi geſta, tantùm mente, non re; nam poſteà periit Heliodori inſidiis, nihil dignum, præter id honorificum nomen aſſecutus.

Seleucus Philopator.

Creditur anno à Seleuco Rege tertio Heliodorus in Templum Jeroſolymitanum auſu ſacrilego irrupiſſe; nec impunè qui vindicaverat in Delphis Apollinem, id Deus tulit: in ipſo facinore Angelorum miniſterio impius cæſus, precibus Oniæ vitam debuit; felix reus ſi à ſupplicio ſapere didiciſſet: niſi forte pars ſupplicij fuit dilatata mors.

Heliodorus.

Annus Mundi 3870. V. C. 569. clarus fuit cenſurâ Catonis Porcij, viri integritate nimiâ laborantis; qui quod in ſe pati nollet, non poſſet in aliis, exigerétque paſſim innocentiam quam repreſentabat; accuſationibus ut laceſſens ita laceſſitus. Idem rariſſimas hac ætate dotes complexus, Senatoris, Imperatoris & Oratoris, his etiam (integritatem viri Deo coronante) perdiu fruitus, ducentis ſcilicet propemodùm annis; nam propè centum vixit ſine morbo.

Cato major.

Quo & tempore tres clariſſimi Imperatores orbis obiere. Primus Scipio, dignus cui totus orbis ſepulchrum ſterneret, in villa Linternenſi,

Scipionis mors.

Linternenſi, grande Africani nomen depoſuit. In eam pridem ſeceſſerat forenſis tumultus tædio, & qui Annibalem orbe exegerat, per urbanas rixas urbe exactus eſt: ſponte diceſſit, patriâ nondum ingratâ; exúlque agere maluit, quàm in Romam peccare, aut ſe materiam peccandi præbere.

Et Annibalis.

Altero pòſt anno deceſſit Annibal, quaſi ſublato æmulo non eſſet quod viveret. Cùm ab Antiocho ad Pruſiam Bithiniæ Regem profugiſſet, ſenéxque victus, & fugitivus, Romanis adhuc terrori eſſet, ab iis ut juratiſſimus hoſtis ad necem quæſitus, quam fugiebat mortem arceſſivit, ſpontaneo veneno vitam abrumpens, ut inutilem quâ nihil amplius Romanis noceret; Imperator ſummus, ſed crudelitate odioſus, quam vitam rapuerat aliis ſibi eripuit, ſuúſque carnifex talionem Romanis pependit.

Et Philopœmonis.

Inter hos medius Philopœmen Achæus, ut honeſtiùs Annibale periit, ſic calamitoſiùs Scipione; vitæ anno 70. à Meſſeniis hoſtibus captus, necatus eſt; vir bellica tum fortitudine, tum arte inſignis, tot inter prælia incolumis, vitam in carcere damnatus poſuit. Diceres inde averſam à Græcis naturam ſuos Heroës aliò tranſtuliſſe; ſanè Philopœmen Græcorum ultimus; aut quaſi ſolum ut frugum ſic virorum illuſtrium ſterilitatem ſenſerit.

Anno Mundi 3873. in Ægypto Ptolemæus Epiphanes obit, cui ſuccedit Ptole-

Philometor. mæus dictus Philometor ; ironicè sanè, quem mater Cleopatra vatiniano odio prosequebatur ; nam cum vivo patre in Cyprum expulit, & mortuo omnibus nervis enixa est ne Ægypto admitteretur ; at frustrà odium fuit quippe annos plures regnum obtinuit.

Demetrij mors. Et Philippi. Sequenti anno Macedoniæ regnum firmissimo fulcro debilitatum est: Philippus Rex quasi sinistrâ dextram abscinderet, Persei filij, sed è concubina geniti insidiis Demetrium filium interfecit: Et mox perempti innocentia cognita, vel pœnitentiâ facti, vel veneno à fratricida præbito periit; Macedoniam tot scelerum præmium relinquens Perseo. Sed id præmium mox in pœnam cedet, fiétque gravior casus è solio.

Anno Mundi 3878. Heliodorus ille Solymæi templi direptor, è sacrilego parricida, Seleucum Philopatorem per insidias interceptum occidit, prætermisso Demetrio Philopatoris filio Romæ tunc obside, perempti fratrem Antiochum in regnum evehit, qui Epiphanes dictus, id est Illustris, rebus gestis, ut volunt, revera odio in Dei populum, acerbitate supplicioruma, & horrenda qua raptus est morte, posterorum memoriæ ad detestationem inscriptus. Qui & ob vecordiam dictus Epimanes, quantum discrimen ab una litera! utrumque nomen sceleribus & furore implevit. Hic sibi similem virum improbissimum Jasonem per summum nefas Pontificem

Antioch⁹ Epiphanes.

Digitized by Google

tificem Jeroſolymæ dicit, à quo ſtatim profani cultus in templum inducti.

Anno mundi 3883. V. C. 582. denuntiatur bellum Perſeo à Romanis & à Paulo Æmilio poſt aliquot Imperatores Romanos conficitur. Nihil viro ſummo ad gloriam defuit, niſi oppoſiti Ducis ignavia: Thracibus, Illyricis & opulento ærario Perſeus fretus, poterat ab Æmilio tam citò non vinci, ſed crudelitatem avaritiâ cumulans, cùm illâ ſuos perderet, hâc alienos expelleret: ipſe cum opibus, quibus ſic parcebat in prædam ceſſit. Cum liberis Æmilij triumphum inſtruxit: ludente tamen fortunâ, quæ Triumphatori natos eripuit, captivo ſervavit, ut his haberet plures quibuſcum lugeret, ille ne haberet quidem qui cum lætaretur. Tunc Macedonia tanti olim ſedes Imperij Provincia facta; & caput orbis Reipublicæ fuit acceſſio. *Perſeus victus.*

Digitized by Google

FLORES IMPERIALES.

AREOLA IX.

A Perſeo victo ad Chriſtum natum.

Romanorum potentia, jam nullis terminis circumſcripta, pro floribus ſit, iiſque Imperialibus, circumfulgente coronâ ſplendidis. Sed & Coronæ ipſa floribus marceſcit, & Romanorum Imperium, in votum primùm, mox in prædam fuit. Cæſar decus Reipublicæ vincit, Rempublicam vincit, & coronam quam rapit Patriæ, tradit familiæ. Nemo duriùs imperat, quàm qui obſequi neſcit.

ANNO

ANNO Mundi 3886. Epiphanes Ægypti cupidus Philometorem Regem improviſum invaſerat, ac propemodùm ſpoliarat, cùm per Romanum Legatum deterritus, re infectâ rediens; ut conceptam iram quodammodo effunderet, ac ſuperioris belli ſumptus reſarciret, copias Jeroſolymam convertit, obſidet, expugnat, cives captos obtruncat, templum donariis refertum expilat: & avaritiam impietate cumulans, in Judæos ut religionem ejurarent tormentis ſævit, exquiſitiſſimis ſuppliciis negantes conficit: in quibus præclariſſimos Martyres Eleaſarum, Machabæos fratres, ipſorúmque matrem, ſuprà humanum animum fœminam; ſcriptura dum celebrat, immortalitati tranſcribit. Necati ſuppliciis; felices vivite, ornati gloriâ nullo unquam ævo intermoriturâ. *Templi prophanatio.* *Machabæi.*

Sed Mathias Sacerdotum unus, filiis & clientelis clariſſimus, Deo impellente, non tantùm pati fortiter, ſed & agere auſus, contractâ manu Judæos armat; ac quamvis ſtatim morte raptus, diu tamen in filiis Judaicam rem ſervavit; cultúmque ſacrum ſancivit. Illorum princeps Judas Machabæus, qui paternæ virtutis æmulus, primò per inſidias, dein aperto bello Syros perſequutus, Antiochi duces Apollonium, Lyſiam & Gorgiam cum ingentibus copiis fundit, Solymam recipit, templum repurgat, edítque facinora quæ Romanum fœdus meruerunt. Ita ſemper ab humili Deus ſumma ſuſcitat. *Judas Machabæus.*

Digitized by Google

Epiphanis mors. Anno Mundi 3890. Antiochus Epiphanes, morbo ex mœrore contracto, propter infelices expeditiones, cùm Judaicam tum Babylonicam, tortus insuper doloribus viscerum acutissimis, cum intolerabili fœtore, impuram animam efflat; mali & improbi pœnitentis exemplar; divinam appellans misericordiam, quam si reciperet, violaret. Succedit filius Antiochus Eupator dictus, brevi tamen regno potitus.

Demetrius Soter. Nam Demetrius appellatus Soter Seleuci Philopatoris filius, altero pòst anno clam Româ dilapsus, paternum regnum, occisis Eupatore patruele & Lysia ejus moderatore; donec idem ab alio passus, doceat regna intutissima esse rerum humanarum.

Judæ mors. Sed hoc tempore cùm Judas fortissimus Nicanorem cum 35. millibus cecidisset, interceptus à Bacchide Demetrij Præfecto, pugnans in acie ac penè victor perimitur, in honorum flore rerúmque gestarum gloriâ, graviss imâ Judæorum jacturâ. Quam tamen utcunque in Jonatha fratre fraternúmque robur æmulante, pòst expunxerunt; intestinis odiis statim involvendi.

Jonathas.

Alexander Bala. Anno Mundi 3903. V. C. 602. cùm superiore Alexander Bala Epiphanis filius fratérque Eupatoris in Demetrium patruelem insurrexisset, hoc demùm vincit, victúmque regno & vitâ spoliat. Idem à Demetrij filio brevi passurus; ut his temporibus Syriæ regnum scenæ instar fuerit, in quam subierint personati, Principes,

cipes, mox perſonâ poſitâ nulli futuri.

Quo etiam tempore Scipio Æmilianus ab Æmiliorum familia in Scipionum adſcitus, utriuſque ingens ornamentum, in Hiſpania gloriæ bellicæ fundamenta ponebat: nec is Marti quàm Muſis charior, ſuetus negotia laudatiſſimo diſtinguere otio, & militares ærumnas honeſtis ſtudiis cicurare. Cui Deus claros ingenio doctrináque celebres è Græcia viros adjunxit, Polybium & Panætium; hunc quidem Philoſophiâ imbutum penitus, at illum politicarum rerum apprimè gnarum, dignúmque qui Romanis rebus lucem afferret. In iis duobus vitæ tum privatæ tum publicæ præceptores nactus, habuit etiam in Terentio voluptatis honeſtæ materiam: acceſſit tot bonorum particeps Lælius in quo Scipio ſe & ſuas artes amaret; in quo pacis & belli adeptus ſocium, humanæ felicitatis cumulum attigit: nam quid feliciùs quàm eum habere, quem tua proſpera, ut te afficiant.

Scipio Æmilianus.

Polybius.

Lælius.

At quantum Lælio debet poſteritas! qui Terentium vel Afrum, vel ſervum, imò, utrumque, dum Scenæ dedit, Comœdiæ regnum inſtituit. Sanè is Terentius, qui judicio, ſuavitate & elegantia, vel omnium primus vel ſecundus nulli; quem Momi feneſtrâ in homines intimos admiſſum dicas, qui unus maximè in ſcribendo modum aſſecutus, tam laudandus eſt quod egregia plura non dicat, quàm quod multa dicat.

Terentius.

Anno Mundi 3905. V. C. 604. Scipioni gloriæ

gloriæ ſegetem providit Deus, Carthagine ſtante, nutare Romam Cato eenſebat, & Maſſaniſſa veterem æmulam in invidiam frequens vocabat : hinc Punicum bellum tertium exarſit ; datúmque Scipioni, ut urbem quam avus vicerat, nepos everteret. Quadriennium ad expugnandam gentem inſumptum eſt : adeò in Annibale vires exciderant, & facilè ruit quod jam emotum eſt. Aſdrubalem quidem & obſeſſos terribiliſſimum telum armavit deſperatio ; ſed ab illa mori poſſunt homines, non ſemper vincere ; & de illa triumphavit Romanus ; ſpontaneo urbs arſit incendio ; maluítque Pœnus manu ſua perire patriam, quàm alienâ, ſéque ipſum ut triumpho eriperet ; morti conſignare : quaſi malè Romanis conſuleret, qui capitales eorum hoſtes trucidaret. Scipio illibatâ per pœnas clementia, & Africani nomine in familiam ſuam iterum inſito, Romam rediit ſecuritatem in triumphum vehens.

Punicum bellum.

Pſeudo-Philippus.

Nec interea in Europa ceſſatum à bello Andriſcus in Macedonia vir ultimæ ſortis, cùm ſe Philippi filium diceret, jam animo regni capace, nomen Regis & formam induit. Viſus eſt dignus quem Roma vinceret, quémque victor Metellus Carthagini opponeret, ab eo Macedonici nomen reportans. Macedonia quæ mancipium in Regem evexerat, vectigalis facta, libertate ſua damnata eſt. Ita præpoſtera deſideria optatæ rei jacturam pariunt.

Annus

Annus Mundi 3908. V. C. 607. magnis urbibus calamitosus ; qui præter eversam Carthaginem , & Corinthum , Græcarum urbium florentissimam à Mummio vidit excisam penitus. In hac belli Achaici finis , quo Achæi cujus caput Corinthus, duce Critolao libertate intemperantiùs usi : violatis Romanorum Legatis ; appetiti erant , & statim à Metello victi : post quem Mummius iterum victor Corinthum cœpit , diripuit , & delevit. Signa , vestes & tabulæ ad ornamentum Romæ servata : domus quia transferri non poterant, incensæ : at ex incendio novum exortum miraculum Corinthium æs , quod ex metallorum mixtura plurium , quolibet pretiosiùs , ita postmodùm victores vicit , ut in ære suo Corinthus Romæ propemodùm adoraretur. *Achaicum bellum.*

Fuit idem annus magnarum rerum conversionibus insignis. Nam Viriathus Lusitaniam occupavit : vir calliditatis fortissimæ , qui ex venatore latro , ex latrone subito Dux & Imperator , per 14. annos Romanorum fasces infregit. Et Demetrius Nicanor dictus , regnavit in Syria , qui Demetrij Soteris filius , Alexandrum Balam regni invasorem , pugna victum & in fuga cæsum , ejecit solio. *Demetrius Nicanor.*

Sed hæc pugna novum Ægypto Principem peperit ; Philometor enim dum Demetrium juvat , in prælio sauciatus , è vulnere obit , fratríque Ptolemæo sceptrum reliquit.

Physcon. reliquit. Is Physcon dictus est, id est ventrinosus, majus intestinum, quia tanta ventris craſſitudine laboravit, ut nec sine baculo quo niteretur incedere, nec posset eum quisquam ulnis amplecti. Idem Evergetes appellari voluit; justius ab Alexandrinis Cacergetes, id est, maleficus dictus inter teterrimos, nequissimósque Principes numeratus; nequitiâ & crudelitate cum abdomine ventris crescentibus.

Circa annum Mundi 3910. novæ turbæ Syriæ regnum implent. Cùm Demetrius segnitie & inertia in contemptum iret, Dio-
Tryphon. dorus sive Tryphon Præfectus militiæ regiæ Antiochum Alexandri Balæ filium adhuc impuberem producit in Regem, Demetrium expellit, at ipse paulò post pupillum Regem, dum medentibus calculum secandum curat, interimit; sibíque regnum hac cæde parat Demetrius interim dum ad abolendam segnitie notam in Parthos præliatur, ab iis capitur; pòst honestâ detentus custodiâ, Rhodogunam Phraatis Regis filiam in uxorem ducit.

At Cleopatra Ægyptia Demetrij prior conjux ut Tryphonem Syriâ exturbaret, An-
Anthiochus Sedetes. tiochum Demetrij fratrem Sedetem à patria dictum regno donat suóque thalamo: favit eventus consiliis, Tryphon occiditur, regnat Antiochus. Sed cùm is in Phraatem Parthum bellum moveret, Parthus ad illum retundendum Demetrium dimittit; pugna inter fratres conseritur, Antiochus necatur;

catur ; Demetrius uxorem Cleopatram & regnum recipit, ſed ſtatim crudelitate uxoris perimitur, quæ monſtrum ambitionis & per omne nefas regnum quærens, illicò Seleucum filium ex Demetrio ſuſceptum de medio tollit, quod injuſſu ſuo regnaſſet; idem in Antiocho altero filio perfectura, niſi ab eo in facinore deprehenſa venenum quod parabat filio, adacta eſſet ipſa haurire; audaciſſima fœmina, ſuorum carnifex, juſtè filium carnificem paſſa. *Cleopatra.* *Antiochus Grypus.*

Verùm nec indè Antiocho, qui Grypus dictus eſt, tutum regnum, nam aliquantò poſt alter Antiochus, nomine Cyzicenus, Grypi frater uterinus, ex Cleopatra & Sedete natus, inſurrexit in Grypum, & cum eo in partem regni admiſſus eſt; variis utrinque pugnatum prœliis, alternante fortuna, & ſe inter æmulos partiente. Hæc uſque ad annum hujus ſeculi triceſimum geſta, in Syria calamitatum ſcenam aperuerunt. *Antiochus Cyzicenus.*

Anno Mundi 3921. V. C. 620. Numantia tandem à Scipione Africano expugnatur & evertitur; urbs ſi qua unquam celeberrima; cùm civium animi loco murorum & turrium eſſent (iis enim nuda admodùm erat) per annos 14. Romam tot gentium dominam, non repreſſit modò, ſed perculit, & pudendis fœderibus vicit. Laus Scipionis, qui Romanos prius quàm hoſtes vicit perſanato milite & ad temperantiam primam revocato, in promptu victoria fuit, tantus eſt militi morbus, voluptas. Numantini victi, *Numantia.*

arma

arma quæ in hoſtem non poterant, in ſe verterunt, ab urbe ſuccenſa, nihil ad triumphi pompam ne captivos quidem reliquerunt. Imperator honeſtiùs de terrore ac fortitudine victis triumphavit.

Gracchorum ſeditio.

Eodem circiter anno Romæ exarſit Tib. Gracchi ſeditio, ex Mancini fœderis ignominia: hic à Tribunitia poteſtate tumultuum omnium face, cùm in ſenatum inſurgeret, à Scipione Naſica in Capitolio eſt interemptus. Caius frater poſt annos aliquot cùm Tribunus itidem eadem fratris iniret conſilia, ſimili fato ab Opimio Conſule mortem eſt paſſus. Juvenes clariſſimi, eloquentia præter tempora ſua inſignes, digni melioribus, ſi ad meliora ſe convertiſſent, privatis odiis amorem patriæ poſtferentes, corruptâ nondum plebe, vi quam parabant ſtatim oppreſſi ſunt. Sed fletu dignior Scipio, expugnator ille urbium, Muſarúmque domicilium, qui non ſine ſuſpicione laquei, domi in lecto repertus eſt mortuus. O res humanæ! ideò tot bellis ſuperſtitem eſſe, ut domi ſuæ, domeſticos inter, in uxoris gremio, vi animam agat.

Scipionis mors.

Anno Mundi 3938. Phyſcon monſtrum illud hominis in Ægypto moritur, cui ſuccedit filius Ptolemæus dictus Lathurus, perpetuis Cleopatræ matris odiis laceſſitus; unde & id nomen, quod ipſa invita clanculum regnum recepiſſet.

Lathur⁹.

Anno Mundi 3947. V. C. 646. jam Romano populo in luxum & avaritiam prolabente,

bente, frugalitate prima extincta, exortum eſt Jugurthinum bellum, quo ſi minus Roma imperium, famam ſanè & honorem perdidit, quo imperia ſtant. Ea per Jugurtham inter Numidas fraude præcipuum, qui occiſis Hiempſale & Adherbale Maſſaniſſæ nepotibus: auro corruptis ſenatoribus, diu Romanam luſit potentiam, ſuorúmque criminum pœnas amovit. Donec primum per Metellum fractus, virum tam intactum auro quàm ferro ſtrenuum, qui & inde Numidicus dictus; poſteà per marium, novum quidem hominem, ſed mox nobilitate quavis clariorem, victus omninò & in fugam actus; tandem à Baccho ſocero Syllæ in manus traditus, catenis vinctus, in triumphum actus eſt; tam audaciâ promptus quàm conſilio ſubdolus, omnibus artibus ſceleribúſque ad regnum uſus: at quibus gradibus conſcendit in ſolium, iis ad ſupplicium tandem deſcendit. *Jugurthinum bellum.*

Anno Mundi 3948. V. C. 647. naſcuntur Cicero & Pompeius, clariſſima Romani Imperij lumina: nec ſine fato qui armis & literis patriæ nomen & poteſtatem propagaturi ad ultimas terras & ad ultimas ætates erant uno eodémque anno in lucem venerunt. Quo & anno Tholoſa à Cæpione direpta, templúmque auro ſpoliatum, expilatorum ſtatim calamitatibus repenſum; docuit ſacrilegis nullibi gentium impunè eſſe. *Cicero & Pompeius.*

Anno ſequenti incepit bellum Cimbricum,

Digitized by Google

Cimbricum bellum.

cum, quo peribat Roma, niſi illi ſeculo Marius contigiſſet. Ab ultimo Septentrione excita gentium examina, Teutones, Cimbri, & Tigurini, ad peſſum dandam Italiam inundabant: diviſos tripartitò, ne ſibi oneri eſſent juncti, aggreditur Marius: primíque Teutones ad Aquas Sextias oppreſſi prælio: dein celeritate mira regreſſus Marius, Cimbros ſuperato Atheſi vagos, fortiùs quàm prudentiùs præliantes, Catùlo comite pugnâ vincit. Supererat tertia manus Tigurinorum, quæ ſociorum acceptâ clade, fuga ignobili per ſylvas & montes dilapſa evanuit. Utroque prælio barbarorum 340. millia cæſa, capta 140. millia: in quibus fœmina vix ulla: vel enim prælium fortes conſumpſerat, vel à prælio caſtitatis amor ne à victoribus turbarentur, in ſpontaneos laqueos egerat Marius ab expeditione alter Romulus & Romæ conditor appellatus, tantùm ebibit gloriæ, ut hac mox ebrius triumphantem Romam ſuam penè everterit.

Saturninus.

Anno Mundi 3954. Apuleius Saturninus à Mario ſextùm Conſule in Curia cæſus eſt, à quo ipſo Mario in optimates inſtigatus fuerat, ſed cùm ultra metas tranſiliret, ſéque Regem à ſuis dici pateretur, deſeruit Marius quem tueri non poterat, novúmque Icarum permiſit in pelagus proturbari.

Julius Cæſar.

Hoc anno natus Julius Cæſar, de quo quæſitum eſt, utrùm natus plus profuerit an obfuerit populo Romano: prodeſſe ſanè haud

haud multùm potuit, qui avitâ libertate peſſumdatâ univerſum orbem replevit cædibus, quibus ſibi gradum ad regnum ſterneret.

Anno Mundi 3958. Antiochus Grypus necatur inſidiis Heracleonis, cui ſuccedit Seleucus filius, qui in Cyzicenum patruum movens, eum ſtatim vincit ac necat. Sed nec diutiùs pace uſus; quippè regno expellitur ab Antiocho Cyziceni filio, qui inde Euſebes ſeu Pius dictus eſt, pòſt in Cilicia dum exigit tributa peremptus. Paulò poſt Euſebes, dum in Parthos pugnat occiſus, regnum vacuum relinquit Philippo & Demetrio Grypi filiis: ſed & ipſis vario fato confectis, regnum Syriæ ad Tigranem Armeniæ Regem à Syris tot turbarum pertæſis delatum eſt, anno Mundi 3970. Ita Græcorum in Aſia ceſſavit imperium; ſorte communi rerum humanarum, quâ quæ naſcuntur, in neceſſitatem interitus durant. *Regni Græcorum in Aſia finis.*

Anno Mundi 3960. V. C. 659. Mitridates Ponti Rex bellum in Romanos ſuſcepit, quod ſupra triginta annos geſtum eſt, fortunâ variâ. Hic à teneris inter pericula & militiam duram educatus, auſus ſperare Romæ victoriam, illius potentiam mirè exercuit: ac vix à tribus ſummis Imperatoribus ſubactus; felicitate Syllæ, Luculli virtute, magnitudine Pompeij nondum conſumptus, domeſticis tandem inſidiis periit, à Pharnace filio ferro necatus, cum venenum ſuum & ipſe viciſ- *Mitridaticum bellum.*

ſet.

Digitized by Google

ſet. Quadraginta Romanorum millia uno die per Aſiam vir audacia princeps peremerat, Romam ipſam, ſi ſub ferrum iret, perempturus.

Anno Mundi 3963. V. C. 662. jam Roma ſuo ipſa pondere fatiſcens, inteſtinis bellis cœpit agitari. Primum occaſione Druſi ortum eſt, quod Marſicum à Marſis gente præcipua, Italicum, & Sociale dictum eſt: cùm Picentes, Veſtini, Marſi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites, fidiſſimi antè ſocij, exciti Druſi promiſſis, ad obtinendam civitatem, in ipſam quam ambiebant inſurrexerunt; tanto furore, ut nihil propius quàm ut victrix illa gentium, ſuorum manibus collaberetur. Tandem ingens Populi Romani virtus, & ſemper in malis major, totis contendens viribus, quos junctos non poterat, ſingulos vicit. Trecenta juventutis Latinæ millia hoc bello abſumpta, nec Romanis paulò commodiùs fuit: adeò miſerum eſt in civili bello vel vincere.

Sociale Bellum.

Anno Mundi 3967. V. C. 666. Marius ſervator ille patriæ, hanc nimia ambitione peſſumdedit; jam penè decrepitus dum ſeptimum ambit conſulatum, & decretam Syllæ provinciam captat, fugere primùm coactus, dein ab Africa redux, per Cinnam, Carbonem, & Sertorium, Octavium vincit, & diriſſimam lanienam Romæ exercet; in qua Scævola, Catulus, & præclariſſima Reipublicæ lumina per indignum nefas occiderunt. Sed mox rediens ab Aſia Sylla, patre Mario

Mariana bellum.

Mario ſeptimùm Conſule jam defuncto, Marium filium & Carbonem vicit, tantúmque ſanguinis in Urbe per Italiam fundit, non modò per militem, ſed per ſæviſſimam proſcriptionem omni carnifice immaniorem, ut vindicta Marianorum ſcelerum ipſis ſceleribus funeſtior fuerit. Nono poſt anno Sylla dictus felix (ſi in tantis criminibus ſit ulla felicitas) Romæ privatus obiit, depoſitâ ſponte dictaturâ? ſed tot interfectis parentavit Divina vindicta, pediculari morbo in acerbiſſimis cruciatibus felicem illum hominem conſumente.

Anno Mundi 3973. Lathurus Ægypti Rex diem obiit, à matre pulſus, ac pòſt reſtitutus, ipſa eadem matre per alterum filium cui paraverat regnum interempta. Capeſſit regnum Lathuri filius Ptolemæus Auletes dictus, ab inſano tibiarum amore, *Auletes.* cùm ſe Dionyſium quaſi novum Bacchum appellari vellet, vir otio & vitiis omnibus corruptiſſimus.

Quo anno Pompeius adhuc eques ſub Dictatore Sylla triumphavit de Africa, & primam pro Quintio Orationem habuit Tullius, uterque ætatis anno 25. geminis illis viris per ejuſmodi tirocinia ad incrementa ſumma ſe comparantibus.

Anno Mundi 3981. V. C. 680. bellum ſervile in Sicilia per Aquilium Prætorem confectum, ac deinde Spartacum in Italia per M. Craſſum. Eruperant ex ergaſtulis ſervi, & ex ludo, duce Spartaco gladiatores; ingens periculum, *Servile bellum & Spartacũ.*

Digitized by Google

periculum, ni utraque manus freto Italiæ dirempta eſſet. Victi ſunt non ſine ſanguine; documento mortalium rerum, nihil eſſe tam humile, quin vel excelſiſſimis periculo ſit.

Sertorius. Eodem anno Sertorius, unus Marianarum ſuperſtes partium, in Hiſpania Pompeio par, per proditionem à ſuis necatur: hic vir ingens, Romanus Annibal, Hiſpanos armaverat, præclaríſque artibus, militiæ peritiſſimus Dux, contra omnes Romanorum vires propugnarat, donec conjuratorum dolo in convivio periit; ſummæ profectò, ſed calamitoſæ virtutis.

Virgilius. Anno Mundi 3984. V.C. 683. quo Verrem nequiſſimum bipedum accuſabat Cicero; magnæ ſpes altera Romæ Virgilius naſcitur Mantuæ; indulgente in Romanam gloriam numine, ut ne Homerum ſuum jactaret Græcia, & haberet Italia, quo per urbium & Imperiorum ruinas in ultimis longè ſeculis triumpharet.

Piraticũ bellum. Anno Mundi 3687. Pompeius bellum Piraticum 40. dierum ſpatio mirâ celeritate confecit. Piratæ à Cilicia profecti Mediterraneo quàm latè patet circumfuſi, ſic omnes portus, littora, oras obſederant, ut Roma quaſi caput à membris divulſum propè interitet; ipsáque membra paſſim cæderentur: cùm Pompeius jam ab Africâ Magnus, ſic ſingulos intercepit, ut cuncti incruento victi certamine mari ceſſerint, & in Ciliciam ſuam acti, in aratra remis

Digitized by Google

mis commutatis, terram pro aquis feliciori ſorte proſciderint.

Anno ſequenti Pompeius lege Maniliâ Mitridaticum bellum ſuſcepit. Mitridates Tigranem Armeniæ & Syriæ Regem, quem conſortem belli acceperat, accepit & cladis; alter parte regni, alter vitâ mulctatus, Romanis Aquilis ignotas vel nomine regiones aperuerant. Iberi, Albani, Judæi, Arabes luſtrati victoriis, Aſiam extremum imperij limitem, meditullium fecerunt; & præter Parthos, quibus fœdus magis quàm bellum placuit, ad Indos vix dum famâ notos, intra Rubrum mare, Caſpium & Oceanum, ad Orientem & Boream terræ Pompeij ſignis domitæ & territæ Romam domitricem Orbis ſuſpexerunt. Ipſe Pompeius ante in Africa & Europa victor, triumphum de Aſia magnificentiſſimum egit, triumphi materia mox futurus. *Pompeij victoria.*

Anno Mundi 3991. V.C. 690. dum Pompeius orbem terrarum Romæ ſubigit, ipſa Roma interna Catilinæ conjuratione tantùm non perit. Is multis virtutibus ad peſſimas artes abuſus, cùm patriæ inferret incendium, à Cicerone Conſule deprehenſus & repreſſus, poſt ab Antonio victus, parricidij pœnas tulit. At quanta Conſulis eloquentia, quæ audaciſſimum hominem elinguem effecit; quæ prudentia, quæ incenſas faces reſtinxit; ferrúmque retulit jam eductum; quod animi robur; quod Catilinam infregit! Injuſti Quirites, qui *Catilina.*

Digitized by Google

qui manui tantùm, non linguæ vel animo triumphum decernitis.

Gallicum bellum.

Anno Mundi 3995. Julius Cæsar ex Consulatu Gallias obtinet, susceptque inde Gallicum bellum, quod per novem annos gestum plusquam quadringenta hominum millia perdidit, plura in captivitatem abduxit. Ex quorum spoliis assequutus Cæsar, ut venalem illam quam asserebat Jugurtha urbem, pretio redemptam, sibi tandem refragante nullo manciparit.

Cicero exul.

Anno sequenti per Clodium perditissimum nebulonem in exilium actus est Tullius ille patriæ pater, ab eo populo quem centies in admirationem sui rapuerat: adeò incerta sunt quæ humana gratia nituntur.

Cyprus occupata.

Nec justiùs per Catonem idem populus Cyprum occupavit; Ptolemæus Auletis frater ullâ suâ culpâ regno spoliatus, ne huic cum ignominia supereſſet, in ferrum irruit; Cato ingentes opes hac rapina partas ærario intulit, quas illicò Cæsar in injusti populi, ruinam convertet.

Auletes reductus.

Et ne in uno fratre peccaret populus peccavit & in Aulete restituendo, contra religionem instructo exercitu: Berenices filiæ cedes restituti principis operæ prætium fuit, quam deinceps pluribus aliis quasi accessionibus cumulavit.

Cicero revocatus.

Est tamen Roma quod tibi gratuler, quæ Suadæ medullam Ciceronem tuum revocasti, quæ incredibili plausu excepisti foro, & Curiæ splendorem & vocem restituisti,

tuisti, quæ gazas immortales postremas viri orationes ad posteros traduxisti? quæ jactura orbis, si vel Milonianam, vel Philippicam alteram ignorasset.

Anno Mundi 4001. V. C. 700. bellum Parthicum infelicissimum exitum habuit. M. Crassus Romanorum ditissimus, cùm cupiditatem ultrà promoveret, Parthicam expeditionem sibi confecerat, innoxiam & amicam gentem bello provocando. Nusquam cupiditati injustæ justius fuit; Imperator transmisso Euphrate, ad Carras post undecim legiones cæsas vel disjectas, filium unicum sub oculos suos confossum, & ipse cæsus est: nec cæso parcitum, aurum liquidum in os infusum est, ut quo auro animus tantoperè arserat, eo & exangue corpus uteretur. Quanta hoc sæculo mortalitatis exempla! irritæ opes in Crasso, autoritas in Pompeio, eloquentia in Tullio, regnum in Cæsare: quid est homunculi, quod iis pereuntibus concupiscatis? *Parthicum bellum.*

Sequenti anno Ptolemæus Auletes moritur, cujus regnum excipit Lagidarum postremus, Ptolemæus Dionysius, tredecim annorum puer, cum sorore Cleopatra. Quis in impuberibus illis ruinam Reipublicæ & Imperij fundamenta tunc cerneret? tamen ut per fratrem cæso Pompeio Julius ponet Imperium, sic Augustus per sororem corrupto, & occiso Antonio constitutam potentiam in plura secula confirmabit. *Ptolemæus ultimus.*

Anno Mundi 4005. V.C. 704. cùm Crasso

ambitionis obice ſublato, nec parem Pompeius, nec ſuperiorem Cæſar ferrè poſſet; orbis terrarura in partes diſciſſus eſt. Hinc natum bellum quod tempore breviùs, mole tamen rerum ampliſſimum, Romanam libertatem evertit, gradúmque ſtravit futuris Principibus. Nam Cæſar ſortitus animum tam capacem orbis quàm cupidum, cupiditati ſuæ ne deeſſet, hoc anno Ariminum invadit: Pompeium urbe & Italia pellit; Hiſpaniam, Siciliam, Sardiniam, ac Maſſiliam, quæ provinciæ inſtar fuit occupat; mox in Italia quaſi in capite dictaturam init.

Cæſar Imperator.

Pompeius victus.

Anno ſequenti in Pharſalia Pompeium vincit, qui ad Ptolemæum fugiens Eunuchi Grammatici peremptus conſilio, miſerè jacuit; víxque in orbe quem totum ſubegerat, ſepulchrum habuit in quo conderetur. Et puer idem perimebat Cæſarem, niſi juvante Cleopatrâ, Cæſar ipſe ſervatus naufragio, dubitantem victoriam tanto periculo redemiſſet: Captâ ſtatim Alexandriâ: Ptolomæus dum pugnat ſubmerſus, Cleopatræ Ægyptus traditâ: ſed, quod pudeat, in abjectis pudoris præmium. Pòſt in tranſitu Pharnaces viſus & victus: ne qua deeſſet triumphi materia.

Annus confuſionis.

Hæc hujus ſeculi anno ſeptimo, qui annus dictus confuſionis, ab Octobri inchoatus, dies habuit 445. nec mirum ſi orbis tam gravi bello laborans minus advertere ſydera potuit. Inde per Soſigenem Mathematicum

maticum & annus Julius conditus, & proviſum in poſterum, biſſextili anno invento; quaſi Cæſar non in terras modò, ſed & in aſtra uſurparet imperium.

Anno Octavo Cæſar ad Thapſum in Africa Jubam, Scipionem, & Catonem conſtantiæ nomen non hominis acie vincit. Nono ad Mundam in Hiſpania Pompeij liberos decretoriâ pugnâ infringit : ac demùm decimo, Idibus Martiis, in Curia, Senatorum ſicis confoditur, expeditionem Parthicam meditans: anno Imperij diceres, an belli quinto. Vir Imperatoriis dotibus ſuprà omnes clarus, nec ingenio minor, qui eloquentiâ Tullio proximus: ſed tantas laudes in perniciem patriæ vertit ambitio: tetrum virus quod virtutes perdit. Nec tamen Deus percuſſoribus ejus ignotum voluit : nemo triennio amplius ſupervixit neque ſuâ morte defunctus eſt, ita plerúmque ſanguis ſanguinem elicit. *Cæſaris regnum & mors.*

Anno Mundi 4011. V. C. 710. qui fuit Auguſti & Imperij Romani primus, ſublato Imperatore, manſit Imperium. Nam cùm Antonius turbaret omnia, & in Cæſaris bona invaderet : cùm Sextus Pompeij patris bona repeteret, Octavius vix adoleſcens avunculi Cæſaris hæreditatem adiret, hinc turbæ variæ. Declaratus per Ciceronem hoſtis Antonius, vincitur quidem ad Mutinam ; ſed Conſulibus Hirtio & Panſa à prælio morientibus, ſolus Octavius ſuſcepit Imperium. Inde turpiſſimus inter ipſum, *Auguſtus*

Digitized by Google

Lepidum & Antonium Triumuiratus, horribilis proſcriptio, quâ per ultimum nefas Tullius cæſus eſt, capútque illud ſcientiarum ſedes in roſtris poſitum. Quo tamen anno natus Ovidius Poëtarum ingenioſiſſimus, & Lugdunum urbs in poſterum florentiſſima in monte condita à Munatio Planco; ut tanta jactura compendio aliquo ſarciretur.

Lugdunum.

Auguſtus ſolus.

Tum deinde victi in Theſſalia Brutus & Caſſius: Sextus Pompeius Agrippæ operâ prælio navali ad Siciliam fuſus, poſteà juſſu Antonij cæſus: ipſe Antonius ad Actum victus, cùm ante Cleopatræ amoribus fractus, omni voluptatum modo emarcuiſſet, pòſt Alexandriæ ſibi ſpontaneam mortem conſciſcit. Nec audacter minùs, ne fortiter dicam, Cleopatra, induſtriâ ad omne flagitium fœmina, quæ aſpidis morſu venenum ebibens, in regio cultu, ne captiva viveret, obiit. Ita ſolo Auguſto ſublatis æmulis imperium orbis paratum eſt.

Livia.

Nec omittendi in Auguſto, Livia, Agrippa & Mecenas; è quorum diſciplina Princeps evaſit; nam qui ſibi inceptum, *iis* confectum imperium debuit. Sanè Livia non in thalamum modò, ſed in arcanum Auguſti pervadens, prudentiâ ſupra fœminam conjugem rexit: Agrippa Principem victoriis auxit, & firmavit conſiliis; Mecenas comitate morum & ſuavitate naturæ; imperandi tædia mitigavit: nec ſinè

Agrippa

Mecenas.

præmio;

præmio ; dubium utri majus, cùm alter Juliam Principis filiam, amicitiam Auguſti alter impetrarit. Et in Horatio Mecenatis laus cujus beneficiis Poëtam clariſſimum; perpurgati judicij, limatiſſimíque ingenij, poſteritas debet ; tam elegantia nitidum, quam lepore comem, dignum ſanè quem Auguſtus ambiret. *Horatius.*

Sed antè, anno nempè Mundi 4014. Herodes Aſcalonita, ope Antonij & Cæſaris, Rex Judææ à Senatu dictus, libertatem criminum impetravit: vir malarum regnandi artium peritiſſimus, optimus ſervus, peſſimus dominus ; qui deinceps per procerum Judæorum, liberorum & conjugis ſupra liberos ipſos clariſſimæ cædes inclareſcet, regnúmque Jeroſolymitanum, quâ dolo, quâ vi, occupatum flagitioſiſſimis rationibus conſtabiliet ; Deo tamen ſtatim nequiſſimas artes exſufflante. *Herodes.*

Anno Mundi 4038. V. C. 737. Virgo Maria è Davidis proſapia Solis Orientis phoſphorus felix, ex parentibus Joachimo & Anna naſcitur in pago Nazareth, ut veroſimile. Beatiſſima, quæ ſalutem mundi decimo quinto poſt anno, gravida cœlitus concipiet, & nono menſe plaudentibus cœlis & elementis ad mortalium liberationem in lucem proferet. *Mariæ ortus.*

Digitized by Google

VIOLÆ.

AREOLA X.

A JESU CHRISTI ortu ad eius obitum.

Humilitatem Christi nascentis, obscuritatem viventis, patientiam morientis, quid verius pingit quàm Viola? Humi Flosculus repens, odore se prodens, inter gelu nascens, contritus ad medicamenta. Sed quem in florem surgit hæc Viola? ut odore terram implet & cœlum!

Christus natus.

ANNUS Mundi 4052. Olympiadis 194. tertius, V. C. 751. expectatissimus ille tam supernis & infernis mentibus quàm mortalibus, tandem effulsit; quo Dei filius nono antè

antè menſe in Mariæ intemeratæ Virginis gremio. Spiritus Sancti operâ corporatus, in lucem prodiit, illibatâ Matris Virginitate 25. Decembris. At qua in purpura quo in Palatio; quo ſatellitio, quibus deliciis? in mediæ noctis aurâ perfrigidâ, viliſſima inter amentia, in antro deſerto, in fœno & palea; ut jam inde mortales doceret, aliquid ingens in apparatu tam novo componi, & ſupra hominem eſſe, qui propemodùm infra hominem ſponte naſceretur. Felix Bethleem, quæ tantis ditata cunabulis, cœlo ipſi habes quod opponas.

Annus Chriſti primus à ſalutifero Jeſu nomine ſumit auſpicia; quod Kalendis Januariis Dei & Mariæ filio in Circumſione impoſitum, ut humanum genus ſpe vitæ erexit, ſic Deum natum mortis admonuit: imò Regem oſtendit, quaſi rapta cutis & effuſus cruor Diadema texeret, purpurámque imbueret. *Jeſu nomen.*

Sanè ſexto die Rex & Deus colitur & adoratur ab Arabiæ Regulis, quibus ſtella dux non tam oculis, quàm animis prælucens, Deum in carne, Regem in inope, in infante virum propalavit; & functa munere ſtatim evanuit; nam poſt oſtenſum Deum, quid commonſtraret. *Magorum adventus.*

At Simeon ut Jeſum noſceret, ſtellâ non eguit; divino radio colluſtratus penetravit ad intima, & qua ætate caligant cæteri perſpicax ſenex, Aquilinio obtuitu *Simeonis occurſus.*

Digitized by Google

Solem inſpexit. Morere feliciſſime ſenum, depone gravem annorum ſarcinam, ſi qui vitam geſtat mori poteſt, & ſi quid grave eſt Jeſum ſuccollanti.

Jeſu fuga. At unde proſpera res adverſæ prodeunt? nec annus eo fluxu pergit, quo incepit? O humanarum rerum fixam varietatem! cui ſe ſubdidit Deus ne mutaret. In Ægyptum nondum ſtans pedibus, fugit infantulus; & qui Regum ſacerdotúmque ſuffragiis Deus audierat, ut homuncio fugam nocte tegit, & agnoſci timens Ægypti caligine circumfunditur. Ite nunc homines, & improſperos caſus non amate.

Innocentes cæſi. Nec tu Bethlehem Dei naſcentis aucta primordiis, felicitate donatis propriâ: Herodes, immanitatis nomen, in te ſævit, & infantibus cæſis, undecúnque te fœdat ſanguine. O ſuccidaneæ pro Jeſu victimæ, primitiæ Martyrum diminutæ, Crucis Symbola Deíque prodromi morientis! ite felices, quo vos ferrum mittit, non moleſtum ſit, orbari vitâ tantùm delibatâ: in naufragio ſanguinis portus eſt, deſinendo vita incepit, & jactura temporis Ævum redemptum eſt.

Herodis mors. Quamvis nec Herodi à quo cecidiſtis impunè fuit. Nam anno vel eodem vel proximo, tortus cruciatibus morborum periit. In ſuas ipſe pœnas ferax, atrocitatem dolorum fovit alimentis: & immanitatis libidiníſque prodigium, iam tormentorum portentum, ea paſſus eſt quæ votum mortis faceren-

facerent. Sed nec mori tam citò potuit, tametsi vivus sepeliretur, corrosus à vermibus quos genuerat, in quibus alendis turpissimam tandem efflavit animam. Vir politicarum artium peritissimus, quibus privati sortem mutaverat regia, Cleopatram apud Antonium vicerat, & Antonio charus Augusti animum expugnaverat. Pravè tamen iis usus artibus, suorum cruore totus immaduit; affinium, uxoris & liberorum cæde perfusus, vel sub ipsâ morte natum mactans, imò suum funus procerum sanguine cupiens obrui: ut infeliciſſimus mortalium clamet silentio, malè per crimina regnum stabiliri. Mortuo filij succedunt, Archelaus, Philippus & Antipas; Judæâ in tres partes ab Augusto quas Tetrarchias vocavit divisâ: sive ut principes æquali portione singulos demereretur; sive ut totum in partes scindens sibi cónsuleret.

Anno Christi 4. Augusti clementia in Conjuratione Cinnæ eluxit; veniam reus consecutus & præmium, cùm Gemonias cogitaret, ad Fasces evectus est. Hoc telo inimicos Princeps exarmavit, parcendo satellitium geminavit; adeò Regum stipator insuperabilis amor est, cui stipendium clementiâ penditur. *Cinnæ.*

Quo & anno idem Augustus privignum Tiberium è Livia & Nerone natum in familiam Juliam & spem Imperij adoptavit, à Rhodio, vel secessu, vel exilio post annorum octo patientiam revocatum. *Tiberius adoptatus.*

Digitized by Google

Caij & Lucij mors.

Huic ad Imperium viam muniebat Caij & Lucij Cæſarum mors acerba; qui è Julia Auguſti filia & Agrippâ nati, dùm ab avo in diverſas partes quaſi orientia ſydera dimittuntur, defectione ſubitâ occidunt: primus Lucius Maſſiliæ morbo; poſt Caius in Armenia ex ſiccarij vulnere mente non integrâ dùm Romam redit, obit in Lycia; ambo ſuccreſcentes ſpes perdentes in ſemine. Ita Auguſtus poſt Marcellum, Druſum, Nepotéſque raptos, uxori dedit, ut & ipſe Tiberij Pater eſſet: quem ante adegit Germanicum Druſi filium adoptare; ſive adoleſcentis virtute, ſive patris memoriâ captus, quem ab ipſo natum pleríque affirmant.

Archelaus damnatus.

Anno Chriſti 10. Archelaus apud Aūguſtum à Judæis dominationis tyrannicæ poſtulatus, regno dejectus; Viennam Galliæ relegatur; Judæa Provincia Romanorum facta. Patrem in vitiis imitari diutiùs Archelao non licuit; ambos, Dionyſios Siculos dixeris, alterum parantem regnum, perdentem alterum.

Auguſtus hoc judicio Varianam cladem compenſavit, qua ſuperiore anno Quintilius Varus cum tribus legionibus à Germanis, duce Arminio, cæſus; dum jura expeditiùs, quàm arma tractat, labem non modicam intulerat Romano nomini: & ipſe pœnas ſpoliatæ per avaritiam Judææ, quam adminiſtraverat Præſes, tandem pependerat.

Secundo

Secundo pòſt anno Chriſtus duodennis, Solis inſtar per caliginem nubis effulgentis, Mariâ & Joſeph relictis, in templo ut rem Patris ageret, percontando Doctores docuit : ſive ad majora proludens, ſive ſilentium ſequentium annorum commendans. Nam ab hoc facto ad trigeſimum vitæ annum, ſe pro fabri filio gerens, ſilentio dumtaxat loquutus & opere, Dei filius in viliſſima arte delituit. O terrarum imperia, quanti eſtis ? quæ ipſa ſapientia præ ſecuri & aſcia ſpernit. *Chriſtus in Templo.*

Poſt annos aliquot, nam incertus numerus, caſtitatis vivæ connubium caſtiſſimi Joſephi morte diremptum eſt. Felix quem Maria, & conjugem novit, & pudicitiæ cuſtodem coluit : cui in carne Deus alimenta debuit, obſequia præſtitit : qui pro corporato Angelo Chriſto cotraditus, cœli terræque ſpem multa inter diſcrimina indefeſſus texit. *S. Joſephi mors.*

Anno Chriſti 18. Octavianus Auguſtus ætatis 76. Imperij 57. Nolæ morbo & ſenio, addunt alij veneno à Liviâ præbito, (quaſi morbus & ſenium parum eſſent) vitam clauſit. Principum ſummus, qui prudentiâ fortunam emendans, vix adoleſcens comparavit imperium, & oppreſſis per immenſa pericula Æmulis, fortitudini & ſapientiæ debuit, quod regnaret : hinc imperio uſus moderatè, ſibi ſecuritatem, perennitatem poſteris peperit. *Auguſti mors.*

Quâ & prudentiâ domeſtica mala emollivit

emollivit; in Marcelli & Nepotum morte, Juliæ libidinibus, Druſi obitu, tam ſui compos quàm æqui amans, fortunam tulit, vitium plexuit; electus è pluribus, qui bellis extinctis Chriſto naſcenti orbem componeret. Ut vivus amori ſic à vita luctui fuit; adeò virtus per oppoſita magis eluceſcit.

Tiberius. Nam ſucceſſorem Tiberium privignum dixit, qui virtutum ſpecie ingentia prætexens vitia, ſtatim oſtendit, quanta eſſet clades peſſimus Princeps; nec Auguſtum fulgere ſplendidiùs quàm à Tiberio.

Colonia. Circa hunc annum Colonia in Ubiis ad Rheni ripam à Germanico condita, quæ poſteà Agripina à conditoris uxore vel filia cognominata eſt; tunc Romæ propugnaculum ad Germanorum impetus contundendos, poſt religionis & litterarum domicilium.

Ovidij Nasonis. Sed per hæc tempora Romana majeſtas duorum ſyderum luce orbata eſt. In Ponto vitam Ovidius exul poſuit; cujus ingenium niſi corruptela morum infamaſſet, haberet Roma quem Ciceroni componeret, Græcis anteferret, futuris ad invidiam ſæculis oſtentaret. Sed tanti eſt pudicum eſſe ſcriptorem, ut in Ovidio peccet ingenium, nec laudari poſſit ſine culpa.

Et Titi Livij. Laudibus dignior T. Livius Patavinus, qui Romanas res amplitudine ingenij aſſecutus, famâ meruit ut Romæ præter Romam aliud quæreretur: Et implebat famam;

dum

dum Romæ ſcriptis æternitatem parabat, quam tot in triumphis totius orbis victrix non habuit.

Anno Chriſti 19. Germanicus cùm antè de Germanis victis triumphaſſet & ad Orientem provincias, magno omnium plauſu adminiſtraſſet, Antiochiæ extinguitur, veneno, ut creditur à Piſone impulſu, Liviæ præbito; jacturâ imperij Romani longè graviſſimâ, quâ peribat princeps ut bello ſtrenus, ſic pace temperans, in quo Reſpublica vel decore poterat cumulari; qui demùm patrui vitia quaſi reducto fræno coërcebat. Sanè eo rapto, Tiberius in nefaria omnia paſſim prorupit, abjectâque larvâ virtutis tametſi ſtudioſiſſimus ſimulandi, totum ſe exprompſit. *Germanici mors.*

Anno Chriſti 23. Ælius Seianus Druſum unicum Tiberij filium, corruptâ Livillâ ejus uxore, veneno perimit, tam callidè ut octo annos nefas latuerit. Hic Seianus à flagitioſa adoleſcentia per ætatum gradus ad robuſtiora profectus ſcelera, viſus eſt aptus Tiberio per quem immanitatem ſuam ſatiaret: Ideò ei præter poteſtatem ſummam permiſſa omnia; & ad eam vir nefarius dum aſpirat, regni tollit hæredem, filióſque Germanici aggreſſus, Neronem & Druſum, populi Romani delicias, falſis delationibus irretitos perdit, Agrippinam matrem relegat; nullíque cædi parcit, dum votis fruatur. Roma miſera, quæ dum ab altero poſſidetur, optatur ab altero, ne alterutri pereat, ab utróque perit. *Seiani initia.*

Secundo

Tiberij secessus.

Secundo pòst anno Tiberius Romam non amplius reversurus, Capras petiit; Insulam ideò dilectam, ut liberiùs & occultiùs turpitudinem omnem exerceret; adeò nihil est, quod in pravum malignitas hominem non detorqueat. Quid enim ad honestam vitam & cælitibus proximam, solitudine aptius? quam tamen bipes impurissimus infandis spurcitiis inquinavit.

Cremutij libri.

Is ante secessum, Cremutium Cordum in necem egerat novo crimine, quòd Brutum Romanorum ultimum scripsisset: libri ejus in foro cremati, splendorem dederunt ingenio, ad ætates ultimas duraturum.

Liviæ finis.

Anno Christi 29. Livia Imperatorij olim thalami & propemodùm potestatis consors, mulierum ambitiosissima diem obiit: diu gratiâ apud Tiberium orba, qui fœminam jam ab Augusto assuetam imperio cùm non ferret, matrémque non Dominam agnosceret, impotentiùs exprobrantem beneficia, vix matrem agnovit. Quantum sibi malum ambitio, cui vel crescere vel cruciari necesse est!

Christi Baptismus.

Jesus Christus Anno vitæ 30. æternæ arcana sapientiæ, occulta hactenus mortalibus incipit revelare. Solem præcurrebat Phosphorus, Joannes è deserto quasi è Paradiso prodiens Angelus, & voce pœnitentiam scelerum nuntians; felix qui Dei filium aquis intinxerit, ipsúmque digito præcognitum cœlitus commonstrarit.

Jesus

Jesus ab eo demissionis tyrocinio, victis in Eremo naturâ & Dæmone, statim prodigiis & admirabilitate vitæ inclarescens, totam divinitatis suæ lucem Judæis offundit : at caligantibus tanta cæcitate, ut Deum inficiantes in homine, repudiato lumine, in eas tenebras se abdiderint, quibus etiamnum luctuosissimè involvuntur. Adeò difficilè est emollire culpam, quæ occalluerit. *Et Prædicatio.*

Anno Christi 31. Joannes veritatis calculo supra sanctimoniam ipsam venerandus, ut adversis prospera coronaret, cùm ante ab Herode Antipa ob Herodiadem, Philippi fratris uxorem, incesto thalamum polluente conjectus esset in vincula, quòd impudicam consuetudinem liberiùs arguisset, vir tantus, imò suprà virum corporata virtus, Herodiadi in saltationis præmium traditus, capite cæsus est; pudicitiæ Martyr, Christiani præconis ideâ, mortalium omnium laudatissimus, cùm ab ipso Deo Panegyristâ sit mortalibus cæteris antelatus. Herodes post annos aliquot à Caligula regno privatus, Lugduni in Gallia exul contabuit : Herodiade utriúsque fortunæ sociâ, hic amor conjugem, quàm adulteram magis decuisset. *Joannis cæsus.*

Eodem anno admirabilem fortunæ turbinem in Sejano Orbis obstupuit. Is tot criminum reus, cùm extremum in Tiberio attentaret, quo die in Senatu Tribunitiam potestatem hoc est Imperij consortium operiebatur, *Sejani cæsus.*

operiebatur, eo litteris quas eam in rem laureatas ipſe attulerat, jubetur à Tiberio ut hoſtis publicus interire. Nuſquam effuſiùs Principi obtemperatum; tum ipſe in votorum apice, tum filia ſummorum adoleſcentium votum & ſpes, tum amici dignitatum omnium adminiſtri, Imperiali oppreſſi fulmine, ſubitâ rotæ converſione, vita ſpoliati, ad Gemonias unco protracti ſunt. Vix ullus ad Imperium admotus propiùs, vix alius tam repentino caſu excuſſus eſt: ſanè in regnandi libidine inter ſummum & infimum nihil medium eſt.

Jeſu mors. Ieſus Chriſtus Anno Mundi 4086. V. C. 785. vitæ ſanctiſſimæ 33. eam in Calvariæ monte, impiiſſimâ Pilati ſententiâ Cruci affixus humani generis Hoſtia poſuit. Ante contumelias & cruciatus perpeſſus, quos Orci furor commentus eſt per Judæos. Sed *Et Reſurrectio.* die tertio renaſcens è tumulo, veriſſimus Phœnix, mortémque ſpolians in ipſo Libitinæ ſpoliario, ſuorum ſpes emortuas vivus ſuſcitavit: quadrageſimo póſt die in cœ- *Et Aſcenſio.* lum aſcendens, coronâ de orbe toto, non ſubacto modò ſed ſervato, quà Triumphali quà Civicâ à Patre donandus.

Penteco-ſtes. Quem Deum exhibuit, donum decimo die ab eo cœlitus in terras miſſum, Spiritus ſanctus ignitarum linguarum forma prolapſus, ea ubertate Diſcipulis ſuperfuſus, ut repente quaſi divina fornace immutati, novos ſenſus induerint; & cœleſti robore vegetati Chriſtum Deum enuntiaverint, quem modò

modò in Cruce vix hominem fatebantur. Tanta eſt inter humana ſpirare ſuperos, & fortitudinem inde hauſiſſe, ubi germana eſt.

Sanè illius ſpecimen ingens edidit Stephanus, Primipilus Martyrum, Pentathla fortiſſimus, & ſuum ipſe Trophæum inter ſaxa quibus obrutus eſt. Quàm multa in uno certamine mira! os Angeli, ſi beatæ mentes corpus induerent, eloquentia quæ Judæos flecteret, niſi jam in ſaxa induruiſſent; cœli expanſi, & Jeſus Agonotheta quaſi ad pugnam ſtando ſuccinctus, ſi in felicitate ſumma pugnæ locus: at nihil mirabilius, quàm ſub ictum mortis preces fundere pro percuſſoribus, & iis ignoſcere à quibus pereas. Macte hac virtute Stephane; hac una voce ſupra Græcas palmas triumphóſque Romanos, quidquid quadraginta ſeculis fortitudinis fuit, ſuperaſti. *Stephanus.*

Et in hac reparati Mundi felicitate, par eſt noſtrum iſtud tenuiſſimum opus abſolvi: quod, mi Lector, non ingratum erit, ſi ab eo diſcas, ut à Deo petenda initia, ſic à Jeſu finem arceſſendum; reliqua omnia futilia eſſe, falſa & caduca; tot inſtar Principum, quorum præter memoriam inanem nihil admodum ſupereſt; de quibus ut multa dicta ſint, tandem dicendum eſt, obiiſſe.

Sperne terrena, ama Cœleſtia.

MARTA

MARTAGONES

AREOLA XI.

A JESU-CHRISTI obitu ad Constantinum.

Turgent Martagones, & rubore saturo frondes ornant, Circumspiciunt se Romani Imperatores sua in purpura, plerúmque sanguine proprio purpurati. At Martyres Christi & suo cruore pinguntur & radiant; quanto discrimine, dum utérque necatur, Tyrannus & Martyr; hic victima cœli, ille orci.

EVOLUTIS quadraginta seculis, levius opus, si spectes spatium temporis, supereſt; gravius porrò, si rerum molem infinitámque propemodum silvam,

ſilvam. Nam è ruina Romani Imperij Regna progenita ita mutuis bellis depugnarunt, ut poſt extorrem ab orbe pacem, Cadmæam ſementem terris immiſſam, natóſque Homines ad internecionem ſui credideris. Sane poſt Gothos & Vandalos diutinâ malorum patientiâ expugnatos: poſt Saracenos & Turcas victoriis & ſpoliis & trophæorum onere delaſſatos, quieſcere nobis per nos non licet; fratréſque pugnamus, & quod acerbius, fraternis odiis. Sed hæc humanæ vitæ conditio eſt, ut cùm Elementa Mundi conſerant pugnas, & Homo per corporis animíque affectus ſit aſſidua belli materia, ideò non quieſcat Totum concuſſis Partibus, diſcántque Mortales tranquillitatem nullam terris eſſe. Uno itaque verbo contexet hiſtoriam Mundi, qui ſcribet, *Bella, horrida Bella:* Quæ nec à Chriſto nato conquieſcunt, quia Chriſto ſat fuit peperiſſe pacem futuram in Cœlis, ad quam itur & per noſtra bella. Sed ut in uno belli verbo literas & ſyllabas deſignemus: ſit initium.

Paulus converſus.

Annus Chriſti nati 34. poſt ipſius obitum 1. in quo Saulus infenſiſſimus ille JESU hoſtis, dum irâ tumidus Damaſcum petit, ab ipſo JESU circumfulgente luce profligatus, mutatus in alium, Paulus effectus eſt: & ex lupo Agnus, quódque mirabilius, ex Judæo Chriſti aſſertor, eos hauſit ſpiritus, quos per univerſum Orbem effudit. Novus Chriſtiani nominis Alexander: nam JESU fretus, & corpuſculo ſuo accinctus,

cinctus, Syriam, Asiam, Græciam, Macedoniam, Italiam & Hispaniam, ut multi contendunt : quin & ipsam Romam Mundi caput victoriis suis consignavit.

Magdalena. Eodem anno Sororum par Jesu acceptissimum, Maria & Martha, cum fratre Lazaro, aliisque comitibus, cymbæ, remis velisque detractis impositæ Massiliam appulerunt, Angelis remigum & gubernatoris vicem implentibus. Fortunata merx, quâ non modò Massilia Emporium nobile in futurarum omen locupletata est, sed & tota Provincia per sanctas Hospites cœlum emit. In ea adhuc visitur Magdalenæ antrum, rupes in aëre, imò conclave divinorum conscium : ut Pœnitentis pœna, sic Amantis thalamus : à quo pietatem haurit vel *limpius*, non tam corpora quàm animas cœlis admovente.

Tiberij Anno Christi 37. Tiberius ætatis 78. Ca-
ejus. preis animam egit impurissimam & immanissimam; bellua, ut dictus est, luto & sanguine macerata : sui tegendi peritissimus artifex, totus tamen posteritatis oculis patuit ; Deo hypocrisim detractione larvæ plectente. Lentis suppliciis in reos grassari solitus, ne voluptatem torquendi perderet, néve miseri pœnas morte lucrarentur. Monstrum, cui aliena mala bono essent, & aliquid acerbius morte commentus sit.

Paterculus. Nec sub eo cessatum à litteris, Augusti Genio Tyranni invidiam profligante: nam præter eximios Senatores innutritos ætatis prioris studiis ; Valerius Maximus privatam ex multis

multis concinavit hiſtoriam; & Paterculus Romanam, coëgit in epitomen; novo utérque propemodum ſtylo, ad acutas delapſi ſententias quarum in poſterum laus celeberrima. Dubium tamen an eloquentiæ ornamento, an fuco: ſanè origo acuminum prava, quæ ut Tiberio placerent nata ſunt. *Acuminа.*

Capeſſivit Imperium Cajus Germanici filius, Tiberij ex fratre abnepos, dictus Caligula; qui à cæde Patrui ordiens, ea flagitiorum omnium dedit ſpecimina, ut furioſum armatum, non hominem dicas. Quis credat Germanici filium, in caſtrorum diſciplina natum, ſic à temperatiſſimo patre degeneraſſe? Tam lubricus eſt à virtute flexus in vitium; & rariſſimum eſt, Adoleſcentia tenax probitatis. Hic anno quarto Imperij dicam an furoris; à Chærea & aliis cæſus, qui populum Romanum uno ictu confectum optaverat, triginta periit; cui parcunt Hiſtorici, cùm amentem dicunt. Tunc viguit Grammaticus Appion, dictus ob vanitatem Cymbalum Mundi; cui Judaica ſapientia Philonem oppoſuit, à ſchola Platonis eloquentem Philoſophum. Sed præſtantiſſimus omnium Matthæus, qui primus mortalium Jeſu Chriſti geſta conſcripſit, tàm argumento quàm veritate ſcriptorum omnium, eminentiſſimus: quem deinceps ſequuti Marcus & Lucas; hic Pauli, ille Petri arcanorum conſcius; mirâ inter diverſos concordiâ; cùm ab uno fonte qui eſt ſanctus Spiritus, ſinguli haurirent. *Caligula.* *Philo.*

Anno

Claudius. Anno Christi 41. Claudius Drusi filius, Caligulæ patruus, alio amentiæ genere fœdavit Imperium; ad humanarum rerum ludibrium Orbi impositus; cùm Reipublicæ Sapientiâ & virtute bellicâ partæ *ignavissimus* & stolidissimus præficeretur. Ideò maximè alienis obnoxius nutibus, vel uxoribus ad ignominiam gentis Augustæ, vel libertis ad rapinam Imperij mancipatus, vir uxorius, & Dominus serviens; cui libertas Mundi addicebatur, suam ipse nescivit.

Agrippa. Eodem anno Agrippa ille regnare jussus à Caio, catenâ ferreâ in auream versâ, (adeò vincula captivis & Regibus communia sunt) auctus & confirmatus à Claudio, Jacobum affinem Domini Jerosolymis capite minuit; idem perfecturus in Petro, nisi in capite ser-

Petri vincula. vasset Ecclesiam Christus, ruptísque vinculis Sansonem novum misisset è carcere. Sanè is admirabilitatem veteris vicit, cujus vel umbra, laborantibus morbo sanitas fuit, qui verbo naturam emendabat in melius, tam animorum instaurator quàm corporum, integri hominis verus Hippocrates.

Apostoli. Ex Judæorum sævitia in reliquum Orbem disjecti Apostoli, præclari Imperatores sibi suas quisque provincias partiuntur, futuri de Orci præside triumphatores: sed priùs collatâ quâ se dignoscerent tesserâ, Symbolum totius Fidei normam & canonem inscripserunt, quod angustis verborum terminis, supra omnem humanam scientiam, Deitatem ipsam comprehendit.

Nec

Digitized by Google

Nec Agrippæ impunè fuit popularitas impia; nam anno pòst altero Cæsareæ in ludorum pompâ, dum veste argenteâ radians Deus salutatur; repente conflictatus dolore acerrimo, ac putrescente in vermes corpore, quinto die efflavit animam: brevissimo illo inter Deum, ut audiebat, & cadaver spatio. *Agrippa.*

Anno Christi 43. Petrus Ecclesiam in Orbis capite positurus, unde ut à fonte in terras omnes derivaretur; Romæ sedem constituit, quam 24. annis obtinuit. Alter Urbis Romulus, sed melior auspicio, suo sanguine conditurus Imperium, quod potestas nulla revulsura esset, quódque in ipsos animos per inauditam Imperantibus vim protenderetur; adeò in satis erat, ut Roma terrarum & gentium Princeps esset. *Petrus Romæ.*

Anno Christi 46. Naturæ & Gratiæ tam fastigium quàm ornamentum, Maria Deipara, ætatis ut creditur sexagesimo, cumulatissima meritorum, amoris igne collique facta, ne moreretur diutiùs, obiit aliquando. Nec enim placet cum aliis in annum 72. patientiam vitæ differre: enitente dudum è carcere Animo. Corpus Angelicum mandatum tumulo Cælum mox rapuit, nec terris præter memoriam relictum quidpiam: At immortalis ad ultima secula perennabit, nec usquam tam malè merebitur de Deo mortalitas, ut excidat Matris recordatione: quàm pessimè nobis esset, si Mariam semel obliteraremus. *Obitus Mariæ.*

Anno

Meſſalina. Anno Chriſti 48. Claudius ex ignominioſo veterno tandem experrectus, Meſſalinam conjugem, Auguſtæ domus turpitudinem, paſſus eſt interfici; eò prolapſam audaciæ, ut in Palatio C. *Silio* nupſerit palam; præter aſſiduam ſtuprorum infamiam, quibus libidinoſiſſima mulier pudori erat Romæ vel perditæ. Mutata Claudij ſervitus, non abrupta; nam flagranti ambitu inter *Agrippi-* libertos de uxore pugnatum; donec Agrippina Germanici fratris filia Pallanti victoriam peperit, ſibíque Imperium, nubens neptis patruo: regni ſitientiſſima fœmina, prompta id aſſequi per omne nefas: Ex Ænobarbo Domitio Neronem ſuſceperat, cui regnum quærens, malo omine dixerat. Occidat dum imperet: & ad utrúmque promovit infeliciſſima matrum: primò quidem ad Imperium, ignara in eo foveri parricidium.

Concilium Jeroſolymitanum. Anno Chriſti 49. Exurgente Dæmone, Chriſtiani cum Judæis Româ pelluntur. Nimirum Deo in Judæam Petrum evocante, ut cum Paulo, Joanne, Jacobo & Barnaba, Chriſtianos Moſaïcæ legis jugo vindicaret: nec enim ſervitus, ubi libertas. Id primum ordine & dignitate Concilium, quod habitum Jeroſolymis fidem fecit poſteris veritatem deinceps expandi, nec tota ſimul retexiſſe myſteria, ut vel noſtræ infirmitati, vel ſuæ majeſtati conſu- *Dionyſius Areopagita.* leret.

Anno ſequenti Paulus Chriſto Dionyſium

ſium peperit, habitâ in Areopago concione, quâ permotus æquiſſimus Judex, Deo ſe tradidit, animo corpus adjudicans, futurus cœleſtium rerum mirus contemplator, dum amorem Platonicum in Divinum cõmutat, choris Cœlitum viſus intereſſe. Is poſtea Chriſtum in Gallias feret, & abſciſſo capite ſedes quæret, futuris Regibus venerandas.

Anno Chriſti 54. Claudius per Agrippinam veneno boletis infuſo periit, cibo gratiſſimo mortem vorans. Nero matris artibus prætermiſſo Britannico, natus annos 18. ſupra 12. imperaturus ſufficitur; Burro Præfecto Prætorij, & Senecâ aulæ moderatore ſub illorum poteſtate futurus, & virtutum famam collecturus, quam poſtea per omnia vitia diſſiparet. Primum illius quinquẽnium quaſi boni Principis celebratur, quòd tamen expers non fuit ſceleris, Britannico fratre per præſentiſſimum Sirus ſublato; ne haberet vel mater vél Orbis quem cum ipſo componeret; vel fratricidio proludens ad parricidium. *Nero.*

Sub Claudio Q. Curtius Rufus Alexandri memoriam hiſtoriâ ſcriptâ inſtaurabat; ſtylo per omnia victorem ſequutus; at tam eleganti, ut in Appelle & Lyſippo mortuus domitor Orbis, in Curtiõ vivat. *Q. Curtius.*

Anno Chriſti 58. Domitius Corbulo inſignis, poſt domitos Friſios, Artaxata caput Armeniæ cepit incendítque. Id regnum diu committebat Parthos & Romanos: donec Corbulo vetere republica dignus, revocatâ *Corbulo.*

Digitized by Google

disciplinâ Castrensi, & per ejectas voluptates expugnatâ militum ignaviâ, fugatis Parthis subegit Armeniam, misitque Romam Tiridatem, quem Diademate Nero ornaret; adeò Romanum erat, regna perdere & constituere. Sed tantæ gloriæ fons ipse Corbulo, cùm scelus esset sub improbo Principe probum esse, evocatus in Græciam à Nerone, ne periret ignominiosus, sibi manus intulit; quasi honestius esset suo crimine mori, quàm alieno.

Nero matricida.

Anno Christi 59. Ausus est nefas postremum omnium Nero, Agrippinâ matre bis necatâ; semel conatu, cùm navi solutili mergendam commisit; iterum effectu, cùm Anicetum immisit scrutatum ferro viscera, quæ tale portentum ediderant; quibus abortus optabilior fuisset quàm partus, & quæ pœnas Orbi debebant Neronem genuisse. Mox matricida in omne flagitium præceps ruit; pudoréque obruto, nihil non licere credidit; impunè matrem qui necasset.

Lugduni incendiū.

Quo & anno LUGDUNUM in Galiis colonia celebris unius noctis incendio periit, & inter magnam urbem, nullámque vix horarum aliquot spatium fuit: ita sunt & Urbibus repentinæ mortes, & felicitatem adversitas rumpit. Quæ tamen Urbs mox in plano posita venit ad posteros, & clarissimos amnes complexa, quod habitetur laxiùs debet incendio.

Anno Christi 64. Prima persecutio

Nero

Digitized by Google

Neronis edicto Chriſtianos vexat, Orta occaſio ex Romæ incendio, quo ſex dies Urbs devaſtata culpam conferebat in Principem (id parricidæ ſupererat ut & patriam perderet) quam amoliturus Chriſtianos ſubſtituit, acerbiſque ſuplicíis laceravit ad inimicorum miſerationem. Pòſt latè in incendij ruinis Domum inſtar Urbis extruxit, in qua novo luxu gemmæ & marmora ſuperata, & per agros ſtagna amnes & fontes natura vilis pretioſam vicit. *Chriſtianorum perſecutio prima.*

Annus ſequens magnam graſſandi ſævitiæ. Principis obtulit ſegetem; detectâ Piſonis nobiliſſimi Juvenis conjuratione; cujus vitio præclariſſima lumina Romæ extinxit. In quibus Seneca & Lucanus; ille moderator ſtudiorum Neronis, hic ſocius rapti hoc turbine; Nepos & Patruus, digniſſimi qui ultra ſeculum diem propagarent, ſi litteris & bonis artibus ſenectus proſtaret. Dubitarunt poſteri, ubi graviùs peccaverit Nero, in Matre, an in præceptore; ſanè Matri ortum & regnum debuit, quibus corruptus eſt; debuit Senecæ, quibus ſe accommodans, probus eſſet. *Seneca. Lucanus.*

Poſt tot cædes levius eſt referre Octaviam, quæ Palatio dudum pulſa, qui amorum innocentiâ mariti turpitudinem illuminabat poſtea inductu Poppææ per Anicetum poſtulata ſtupri pudiciſſima matronarum, pœnas dedit alienæ libidinis, quaſi apud Neronem delictum eſſet, pudorem colere. Nec Poppææ ab humanâ viperâ *Octavia,*

Digitized by Google

ſecurius fuit ; nam prægnans ab iratò calce uterum percuſſa, cum fœtu extincta eſt; ne quod ſcelus teterrimo Monſtro intentatum eſſet , dum fratrem , matrem , uxores , & prolem crudeliter necat. Erat Poppæa formæ ſpecie, & voluptatum uſu ſpectabilis ; quæ ab Othone conjuge Neroni tradita meretriciis artibus perdito grata, graviſſimorúmque criminum conſors, dignum vitâ exitum habuit, ab eo cæſa per quem deliquerat.

Poppæa

Petronij. Arbiter.

Nero tamen aliquando juſtus, qui novus Phalaris tauro ſuo Peryllum incluſit ; hoc eſt qui Petronium Arbitrum eruditi luxus ganeonem ad mortem impulit. Conſtat eum libidinum Principis fuiſſe arbitrum , & mandaſſe ſcripto quorum pars fuerat. Scripſit res Nerone dignas, at ingenio Scipione digno. Pudet præclarum artificem vili materia deturpatum ; morum intererat ſi nunquam ſcripſiſſet ; elegantiæ Latinæ, ſi aliud.

Judaïcum bellum.

Eodem anno Judæi Præfectorum avaritiâ & crudelitate vexati, à Romanis tandem deficiunt. Felicis & Albini rapinus exhauſti ; Seſtij Flori contemptu & ſævitiâ provocati , totâ Judæâ & Galilæâ Romanos perimunt , intendúntque fulmen , quo conflagrabunt. Veſpaſianus eximius bello Dux , & Britannicâ laureâ florens , in eos mittitur. Galilæa multâ Judæorum cæde expugnatur , agri & amnes incolarum exundant ſanguine arx Lotapata expugnatur , Joſepho propugna-

tore in posteritatis curam servato; prorogatúmque à Vespasiano Jerosolymæ tempus, ut se internis cædibus perderēt, minúsque hostium occuparet.

Anno Christi 67. Petrus & Paulus, excelsissima Orbis capita, eadem die Romæ pro fide Domini subeunt mortem. Petrus quidem post Simonem Magum oratione, telo potentissimo, in Theatro victum; Cruci affixus est, ad ipsius votum inversæ: seu ut patientiam spectaculo cœli armaret, sive Crucem quasi Dei thronum non auderet rectam inscendere. Successit Linus in primaria Mundi sede, habiturus in ea coævos Orbi successores. Paulus capite plexus est, clarus victoriis de Idolatria ferè ubique gentium reportatis: cujus in contracto corpore Dei capax animus, mundo sublimior, jam olim cœli receptus adytis, uno ictu debuit in locum migrare, cujus erat hospes. Terra hausit sanguinem, fontésque reddidit: quasi lacrymis prosequuta jacturam, vel ostensura Martyrum sanguinem fontes esse, in Ecclesia nunquam exsiccandos.

Petri martyrium.

Et Pauli.

Anno Christi 68. Humani generis apostema Nero ipse se confodit: nec enim dignior toto Imperio: morientis manum exoleti juverunt, Epaphroditus & Sporus, iisdem pœnæ sociis qui fuissent scelerum. Victima Orbi debita, quem omni flagitiorum genere inquinaverat: Auriga, Comœdus, Leno, Adulter, Impudicus, & postremo vitæ actu Gladiator, nullum alium parem præter se nactus. In eo

Neronis mors.

Digitized by Google

Auguſti familia ut in ſcopulo paſſa eſt naufragium.

Seneca. Nec hujus Monſtri tempora præclaris defuerunt ingeniis. In quibus jam dictus. Annæus Seneca Rhetoris filius, fecunditate admirabili præditus, Rhetor & Philoſophus, ſtylū miris inſtruxit argutiis, Philoſophiam eloquentia condiens; unâ tamen ubertate peccans, nec in ſe caſtigans, quod emendabat in aliis. Luſit etiam verſibus ſublime ingenium, & amœnam Philoſophiam in Theatrum mittens, ereptum Græcis Sophoclem ſuis exhibuit, majeſtatem Romanam ſenſibus Tragicis aſſecutus.

Lucanus. Lucanus Senecæ ex fratre nepos, tam forti animo quàm ingenio, ſenſus Republicâ dignos in verſus contulit. Exſcribit Pharſalica fervidam indolem, ſummorum capacem, & ſi ætate māturuiſſet, vel ſummis majorem. Sanè quæ peccavit vel condonanda ætati; nam anno 27. vitam claūſit, vel eo etiam amanda: adeò pulchra ſunt ingenioſa, & quo aberrant delectabilia.

Perſius. Perſius alia laude traditus poſteritati, Neronis vitia deſcripſit in Satyris, caligine lucis involutus, nam quaſi ſolem pingas in tenebris, noctem offuſam limatiſſimi judicij

Silius. radiis diſcutit; & ipſe fato præclararum rerum, cito vitâ reptus, anno nimirum 29. Longè plures egit Silius Italicus, bello Punico quàm Conſulatu clarior, qui opibus & dignitatibus Muſas præoptavit, gnarus litterarum dotem eſſe immortalitatem.

Sed

Sed fortaſſe omnium præclariſſimus Epictetus, qui ſervus Epaphroditi Neronis liberti, in aula voluptatibus corruptiſſima, magiſter fuit libertatis & temperantiæ. Dicas Imperatorem orbis Epictetum, Neronem mancipium; irriſum eſt ſummo faſtigio, cùm ſerviret dignus, imperaret indignus; nullúmque eſſe malum, quin aliquâ boni guttâ condiatur. *Epictetus*

Anno Chriſti 69. Paſſus eſt Orbis quatuor Principes. Neronem ad mortem impulerat Galba adventans, & in Hiſpania dictus Imperator, ætate propè decrepitâ: Cui ſatis fuit meruiſſe Imperium, nec enim iis artibus geſſit quibus meruerat, obnoxius amicorum regimini, auctoritate Principis obvelantium cupiditates. Statim placuit, ſtatim diſplicuit, ſexto menſe interemptus ab Othone, cum Piſone quem adoptaverat; dignus Imperio niſi imperaſſet: adeò diſcrepant eventa conſiliis. *Galba.*

Salvius Otho deguſtavit, non geſſit Imperium, morte generosâ turpitudinem vitæ emendans; Poppææ conjux, & Neroni familiaris, neutri placuerat ſine vitiis; quibus fretus, corrupto promiſſis milite, & Galbâ ſublato, 95. dies imperavit. Nam Vitellius à legionibus Germanicis Imperator dictus, ab ipſo bis victus, noviſſimè vicit. Otho vel Imperij deſperatione vel tædio, cùm ad repetendam pugnam urgerent milites, maluit purpuram ſuo damno ponere, quàm retinere alieno; eóque animo ferro *Otho.*

incubuit. Sed deſperatio abjecti animi eſt non erecti, & fortitudo tam patientiam præſta quàm audentiam.

Vitellius. Aulus Vitellius idem Princeps fuit qui privatus; vitia docuit quæ didicerat; gulæ profundæ, luxurioſiſſimæ voracitatis, & crudelitatis magiſter. Octo menſes bacchatus in Imperio; donec à Ducibus Veſpaſiani Romæ victus, & inſtar ſpurciſſimi nebulonis productus in medium, omni contumeliâ laceſſitus à plebe, in Gemonias tractus, excarnificatus interiit. Sed publicâ propemodùm ruinâ; nam dum pro abdomine contendit pugnaciter, Cremona cum ſuorum clade everſa funditùs; in Urbe fœda prælia, cæſa 50. hominum millia; Sabinus Veſpaſiani frater interemptus; & Capitolium tam religione tutum quàm munimentis, furore Vitellij conflagravit. Ita nihil propius factum, quam ut ab ignaviſſimo homine caput Orbis civitas perderetur.

Veſpaſianus. Interim Flavius Veſpaſianus Imperator dictus à militibus Syriacis & Pannoniis, honoris cupidus; ut quem ſinguli ſummum aſſequi non poſſent, ſaltem conferrent, cùm cunctanter ſuſcepiſſet Imperium, fortiter geſſit. Ab Auguſto primus veterem Romani nominis gloriam revocans: natales obſcuros militari laude illuminans, in Britannia celebris, ubi tricies cum hoſte conflixit; inde in Africam, pòſt in Judæam translatus; ubíque dignus Imperio, vel in ipſo Neronis comitatu: mox Othone, Vitellio,

tellio, Antonio primo, Cereali, Julio Sabino, patriam discerpentibus; amicis cogentibus Imperatorem se dedit, suscepítque nutantem Rempublicam, & servavit ad annos decem.

Anno Christi 70. Judæi meritissimas à Christi morte pœnas exsolverunt. Jerusalem caput impietatis, post internas cædes, abominabilem famem quâ ipsi mortales in alimenta cesserunt, à Tito Vespasiani filio, quarto obsidionis mense expugnata, non simul; sed ut vinceretur sæpius, & everteretur funditùs, primò capta inferior Urbs, pòst biduò Templum, quod invito Tito incensum; tandem Urbs superior, omniáque abolita ferro & flammis. Perierunt in obsidione Judæorum undecies centena millia, captivorum 97. millia abducti; tota in Imperio deleta gens pervicacissima; ut fatente victore Numen ipsum grassaretur in victos. Expungenda civitas quæ Christum Regem abnuisset, & suo inundanda sanguine, quæ fudisset innoxium. *Jerosolymitana clades.*

Anno Christi 79. Vespasianus constitutâ in Imperio Pace, cui primus omnium Templum posuerat, diem obiit; vir Imperatoriis, si avaritiam demas, virtutibus clarus; frugalitate, modestiâ morum; & temperantiâ, quæ veræ sunt sumptuariæ leges, luxum Urbis effrenem aliquatenus inhibens. Persanavit Imperium concussum bellis civilibus; & quod infrequens est, pacem coluit homo militaris. *Vespasiani mors.*

Titus. Titus filius ſucceſſit in Imperio, quod rariſſimum, emendationem morum aſſequutus; nam qui privatus *Nero* audiebat, princeps ita ſuperavit Auguſtum, ut humani generis Amor dictus ſit; liberalitate ſummus, vt vox illa, *Amici, diem perdidi*, ſatis inſinuat, quaſi jactura Principum ſit, non perdere, ſed ſervare. Duobus annis imperavit; adeò quæ eximia, rara ſunt & caduca; in ſucceſſore natus votum Auguſti; ut & eo nomine deſideraretur.

Veſuvius. Eodem Anno 79. Veſuvius Campaniæ mons primùm exarſit, flammam ejectans & cineres, impetu tanto, ut in Africam & Ægyptum cinis pervenerit. Herculianum & Pompeij penitus obruti; ingens mortalium *Plinius.* vis oppreſſa; in quibus Plinius ſenior, jacturæ tantæ non modica pars, vir omnibus litteris ingenio par, non naturam modò ſed doctrinam omnem complexus libris; qui ne quid neſciret, ſcrutans incendium, flammis raptus eſt vel conſecratus. Incendium identidem prorupit in poſterum, in amœniſſima Orbis regione; vel ad gentis ne peccaret obſtinatiùs medicinam; vel ad Providentiæ regimen, ne una regio ſive mixtura mali felix eſſet.

Domitianus. Anno Chriſti 81. Domitianus Titi frater, naturâ non moribus, ſuſcepit Imperium; vitia virtutum ſpecie primùm obvelans, mox detracta perſonâ, libidine, avaritiâ, & crudelitate ſuppar Neroni. Nec ſago quàm togâ melior, à Decebalo Dacorum Rege

Rege victus, emptâ pace Romæ de ignavia ſua triumphavit. Profuit tamen Reipublicæ litterariæ, quod Poëſim vel amarit; vel non oderit: nam ex Agonibus Capitolinis, unde ex æmulatione & præmio Poëtæ fierent, quaſi ex ludo præclariſſimus evaſit Statius, verè entheus, & Muſarum œſtro perculſus, cujus ſilvas Parnaſſi laureta dixerit & Martialis Epigrammatum laudabilis ſcriptor, ſi caſtior; quamvis de Roma Domitiani nihil niſi turpe eſſet quod ſcriberet: & Juvenalis, non donis Principis, ſed inquinatiſſimis incenſus moribus, Satyras ſcripſit, quæ ſteterunt exilio: adeò vitium turpe eſt vel amanti: deflexit ab Horatio Juvenalis, & cothurno ſoccum mutavit.

Statius.

Martialis.

Juvenalis.

Nec eloquentia Poeſin deſtituit; in Quintiliano ſcholaſtica duntaxat, à Roſtris & Curiâ declamatiunculis ut remis addicta. Laus tamen magna Quintiliani, quòd Romanis non modò ab innocentia morum, ſed etiam ſtyli prolapſis in vitia, perſpicax ipſe & Ciceronem antepoſuit Senecæ, & declamavit, ſin minus auſus in morum vitia, in ſtyli peccata.

Quintilianus.

Et Philoſophiæ cultores fuerunt; in quibus Muſonius probitate morum doctrinam eximiam illuſtravit; & Apollonius Thyaneus Philoſophiæ decus in ſpeciem, revera probrum & catharma; qui turpiſſimam artem edoctus à Dæmone, præſtigiator inſignis, pro Deo habitus, ut haberet Orcus quem

Apollonius.

Chriſto

Chriſto opponeret, morte tandem patris dignâ prodigiis exteſſit, peremptus à Dæ-
Joſephus. mone. Et Joſephus Veſpaſiano gratiſſimus, ſtudiis ſcriptáque Hiſtoriâ Judæis ſuis famam comparabat: vir utriúſque Minervæ; ſed ut bello infelix, ſic ſcripto inſincerus, emendationis materiam reliquit poſteris.

Agricola. Quin & militaris ars ſub ignaviſſimo Principe per Julium Agricolam inclaruit; qui Britanniam abs ſe domitam claſſe circumvectus, primus Romanorum Inſulam reperit, & Oreades Inſulas ignotas hactenùs detexit ſubegítque; veneno poſtea interceptus per Domitianum, cui alienæ virtutes vitiorum erant alimenta. Vitam tamen non potuit Tyrannus eripere, quam Taciti generi ſcriptis adeptus eſt; adeò quidpiam ferro Imperantium potentius eſt.

Joannes Evangeliſta. Anno Chriſti 92. Ne cui innoxius Domitianus eſſet, edicto & ferro perſequutus eſt Chriſtianos; in quibus Joannes Chriſto ille chariſſimus, ſenéxque puriſſimus, è dolio ferventis olei illæſus & integer, relegatus in Pathmum; qua in ſolitudine arcanorum cœleſtium particeps Apocalypſim ſcripſit: hoc eſt, Eccleſiæ pugnas & triumphos, inpoſterùm pro moribus variis ſpem aut metum. Is ſub Nerva rediens Epheſum, ſcriptóque ad aſſerendam divinitatem Chriſti Evangelio, dein ſub Trajano, Chriſti anno & ſuo 99. poſtremus & unus Apoſtolorum

lorum ſiccâ morte functus eſt. Non Alexandri quidem Hepheſtion, ſed Jeſu amicitiâ celebris; cujus Matri ſuffectus adoptitius, ſupereminuit omne faſtigium, Chriſti frater, Mariæ filius.

Eodem anno Flavius Clemens, Domitiani patruelis, & in Conſulatu collega, objecto Chriſtiani crimine, occidit, & Flavia Domitilla ejuſdem ſceleris hoc eſt laudis conſcia, relegata. Nam præclariſſimis capitibus pro Chriſto mori omni Imperio fuit antiquius, placuítque Purpura quæ ſuo imbuta ſanguine aboleſceret nunquam. *Clemens & Flavia.*

Tandem poſt tot cædes, Domitianus à ſuis, cubiculario & Domitiâ uxore conſciis, confoditur in Palatio anno Imperij 15. Fratricida, ſuorum peremptor, lues graſſans in Curia, ne muſcarum quidem in ſolitudine patiens. Credo homines pro muſcis habuit, quos nullo delectu paſſim interemit. *Domitianus.*

Anno Chriſti 96. Nerva Cocceius jam extremâ ætate apud Sequanos Imperator dictus, cùm à ſenio & morum indulgentiâ cuíque vel improbo eſſet obnoxius, nec Aula mutato Principe mutaretur, vidit prudentiſſimus ſenex quanta moles eſſet Imperium, & adoptavit Trajanum, dixítque Cæſarem; hoc uno verbo de orbe terrarum optimè meritus. Vivus prodeſſe non potuit, proſuit mortuus; nam ſtatim poſt annum vertentem obiit, ſecurus ſui, ſecurus Imperii in Trajano. *Nerva.*

Trajanus

Trajanus. Trajanus Hiſpanus, Nervæque extraneus, Coloniæ Agripinæ ſuſcepit Imperium Anno Chriſti 98. tam gratus Senatui boníſque omnibus, ita comitate potentiam mitigans; uno verbo ſic à Domitiano diverſus: ut unus Principum nomine Optimi inſignitus, nemine præter Chriſtianos affecto injuriâ, privati temperantiâ, Principíſque magnanimitate, vivus nomen ſuum in Romanorum animis conſecraverit.

Plinij panegyricus. Anno Chriſti 101. Plinius Conſul celeberrimum illum Panegyricum Trajano abſenti in Senatu dicit: immortale tam Conſulis quàm Principis monumentum, ut boni Principis ſic Oratoris optimi exemplar, ubi dignum argumento Ingenium vel ſupra ipſum eminuit. Vincebat interea Decebalum Trajanus, non ſine ſanguine, Iſtrúmque primus conjunxit prodigiosâ lapidum mole: pòſt Romam redux Columnam illam excitavit, rebus ſuis mira arte inſcriptam, Coloſſo parem: variáſque condidit Bibliothecas: gnarus opera manuum ruinæ obnoxia, ingeniorum partus æternos. Deinde gloriæ flagrantior à Septentrione in Orientem converſus, quærens bella quæ gereret, ſubegit Armeniam, Parthos Tigri ſubmotos Cteſiphonte ſpoliavit & Seleucia: mari rubro claſſem immiſit, quæ de Indis referret ſpolia, longéque toto victor Oriente, ſe Romanum prædicabat Alexandrum, mox ipſius fatum ſubiturus.

Trajanus.

Chriſtiani ſub Trajano. Verùm tot præclara, crudelitate in Chriſtianos

ſtianos fœdavit; à quibus victus eſt. Præclari pugiles in hoc certamine triumpharunt, Simeon ætatis anno 120 par tormentis Crucis : Ignatius Antiochenus, beſtiarum quibus objectus eſt cupidior, quàm gloriæ Trajanus : Euſtachius Perylli ſupplicio redditus, Oneſimus, aliíque æterna tam boni Principis opprobria: adeò bonum præterquàm à Chriſto nullum ſincerum eſt.

Antiochiæ terræmotus.

Nec Trajanus pœnas in Orcum diſtulit: nam anno Chriſti 115. Antiochiæ cujus Præſulem occiderat, terræmotu tanto concuſſus eſt, vt metu propemodùm interierit: ſervatus tamen ab ignoto quodam per feneſtram Palatij, ut malo vel bono reſipiſcere diſceret : ruinis vis magna mortalium ex omni gente cum Pedone Conſule oppreſſa eſt : unde, Urbs una calamitas Orbis. Dicas Antiochiam orbam Ignatio, quaſi detracto fulcro in præceps ruiſſe.

Trajani mors.

Et altero pòſt anno Selinunte in Cilicia aquâ intercute & apoplexiâ Trajanus obiit; cùm tot ærumnas ſuas vidiſſet irritas: nam rebellarunt ſubactæ Provinciæ, Parthi Regem impoſitum depulerunt, Judæi in Paleſtina & Cypro ad quadringinta ſexaginta hominum millia efferati rabie peremerunt: & ipſe fulminibus portentiſque ab Agarenis quos impetebat repulſus, pœnam ambitioſo capiti acerbiſſimam paſſus eſt, cùm nihil ex tot periculis præter unam mortem reliquum vel Reipublicæ vel ſibi faceret. Romam cinis delatus, ingenti pompâ

pompâ triumphavit; hoc eſt Mors ipſa de Mundi gloria triumphum egit.

Plutarchus. Vir tamen militaris, diſciplinas promovit, tam ſcriptoribus quàm Tribunis gratus; cùm per eos geſta, per illos traderet poſteritati. In iis principes Plutarchus Chætonenſis, literaturæ omnis fundus uberrimus, tam alienis exemplis quàm præceptis ſuis morum inſtitutor; *Dion Pruſæus.* Dion Pruſæus ſive Chryſoſtomus Græcæ facundiæ ſpecimen ingens. *Plinius.* In Latinis Plinius Tullij admirator potiùs quàm æmulator, dignus ipſe quem non laudes modò ſed æmuleris. *Suetonius* Suetonius accuratus minimorum ſcriptor, nullo ornatu. *L. Florus.* L. Florus ſtyli compendiosâ picturâ res Romanas illuminans, à brevitate quod difficillimum depulſis tenebris. Et omnium *Tacitus.* inſtar Cornelius Tacitus, ſententiarum pondere ſuccóque ſenſuum commendatiſſimus; politicæ rei, vulgò magiſter, cùm in eo legas plura quæ fugias, vix quod æmuleris.

Adrianus. Anno Chriſti 117. Adrianus ex conſobrinâ Trajani genitus, vel ipſius teſtamento, vel Plotinæ artibus Imperium adiit: ac ſtatim vel Anteceſſoris invidiâ, vel belli odio, vel ad ſecuritatem, omnes trans Euphratem gentes victas à Trajano ſuis legibus juribúſque reliquit, ut cum arte bellicâ eminere non poſſet, pacis præpoſtero ſtudio emineret. Luſtravit provincias Imperij Romani, Præſidum ruinas quâ poſſet ſarciens, gnarus eſſe principis beneficiis fovere

fovere quos regeret, tanto labore, ut ad frugalitatis exemplum incederet pedibus. In Britanniâ murum ad 80. passum millia erexit, imbecillitatem fassus, cùm veteribus militum animi pro muro essent. In Ægypto urbem Antinoën condidit, juvenis Antinoi monimentum an monumentum, ut vitam rependeret quam adolescens ad servandum Principem ultrò profuderat, sed malè rependitur, quod ereptum semel reddi nequit.

Judæi domiti.

In Palæstina gravissimo bello Judæos contrivit, cùm eversâ Jorosolymâ Æliam Capitolinam adjuncto simulacro Jovis erexisset; rebellantem posteà gentem, duce quodam Barchocabo, cæsis quingentis octoginta eorum millibus, aliisque pluribus fame & igne perditis, vicit tandem; at magnâ suorum jacturâ, cùm hostibus furor & desperatio pro armis forent. Interdictus patriâ Judæus, quam nec adire vel ad flendum posset, ut & sola miserorum voluptas eriperetur.

Dionysius Areopagita.

Hæc meritò in Palestina; at immeritò Christiani toto Orbe vexati, in quibus Dionysius ille Areopagita Galliarum Apostolus, cùm vitam ad 100. annos produxisset, Athleta nobilis, coronam Martyrio reportavit, suique triumphi curus & ferculum, truncatum caput trophæum mortis longius detulit. Feliciùs obiens quàm Tyrannus suus Adrianus, qui 22. Imperij anno vitæ 72. acerbissimis confectus doloribus, cùm

Adrianus.

doloribus, cùm mortem quam anteà per Antinoum,& præſtigias Dæmonum fugarat ardentiſſimè quæreret, tandem invenit, fame & inediâ ſemet perimendo: gnarus in paucis virtutum ſpecie velare vitia;at crudelitate per Juſtitiæ Larvam emergente? Doctrinæ famâ ſic ambiens, ut doctiſſimum quémque irrideret, plurium more, contendentium eminere unâ aliorum obtrectatione. Magiâ infamis, à qua æger non adeò vitam impetravit, ut nec mortem ipſam.

Ptolemæus & alij.

Litteris clari hoc tempore Ptolemæus Alexandrinus, Aſtronomicæ ſcientiæ decus & regula; Phlegon libertus Adriani benè de Hiſtoria meritus per Olympiadum calculum; Arrianus Nicomedienſis in Alexandri rebus nactus monimentum; Agellus è noctibus Atticis lucem quærens. Sed & hominum detrimenta Hæretici, Baſilides, Carpocras, Marcion,& portentum humani generis Gnoſticorum turba;jam Orco novum Tyrannorum genus in Eccleſiam Chriſti intentante.

Antoninus Pius.

Anno Chriſti. 138. Adriano ſucceſſit Antoninus Pius,cognomine ſupra Africanos ipſos præoptando, quod meruit pietate;ſive in Adrianum, cujus & mortem quantùm licuit diſtulit, & mole Adriani ſepulchrum erectâ poſterorum vitæ conſignavit; ſive in Senatores, quos ſævitiæ Auguſti ſubtraxit; ſive potiùs in humanum genus, quod amore & beneficiis complexus eſt univerſum.

Ad

Digitized by Google

Ad annos 23. non tam Imperio præfuit quàm profuit, ab Italia nunquam, vix Româ profectus, adeò contrariam Adriano viam inibat, ſeditiones & Barbaros autoritate virtutum non armis compeſcens. Sanè hoc virtutum clypeo non paucos retulit; quippe Pharaſmanes Iberiæ Rex quæ abſenti negaverat, præſenti conceſſit: Vologeſes Parthus occupatam Armeniam lectis Auguſti litteris pudori impar dimiſit: Indíque & Hircani, hoc eſt ipſa barbaries non alium arbitrum controverſiarum legerunt: adeò pax potentior bello, vbi ſumma auctoritas in virtute ſumma innititur. Febri Antoninus obiit, ætatis anno 70. verè Civicâ dignus, niſi Deorum ſtudioſior paſſus eſſet, Chriſtianos plecti: in quibus Romani Præſules Teleſphorus & Hyginus ſuo ſanguine Eccleſiam conſtabilierunt.

In litteratis Galenus Pergamenus, Medicinæ ab Hippocrate alterum numen: Maximus Tyrius è Schola Platonis Rhetor philoſophus: Ælianus hominum & animalium complexus ſingula: Juſtinus Trogi Pompeij Hiſtoriarum venenum ſuave, quas in epitomen contractas perdidit univerſas: Diogenes Laërtius, Philoſophiæ non dogmata ſcribens ſed exempla, & Sextus Chæronenſis Plutarcho avunculo doctrinâ ſuppar, non felicitate, nullo monumento præter inanem famam ſuperſtite: aliíque quorum corpora & ingenia alebat unius Principis amor & liberalitas. *Galenus & alij.*

Anno

M. Aurelius. Anno Christi 161. M. Aurelius Antoninus Philosophus, L. Verus adoptati olim à Pio, susceperunt Imperium, gesserúntque concordi animo, quamvis diversissimis moribus. Aurelius Faustinâ Pij filiâ in uxorem ductâ, Stoicam Philosophiam non sectâ modò sed vitâ professus, verè Philosophi nomen integritate morum implevit. At Verus Æli filius jam ab Adriano ad Imperium destinati, luxu & libidine diffluens, mancipium erat voluptatis; ut in uno Palatio virtus & vitium hospitarentur. Tamen in rebus publicis ac-

L. Verus. commodavit se Verus Aurelio, statímque turbante Vologese missus ad Parthicum bellum ut Martis periculis purgaret Venerem. Sed consilium Aurelij fefellit eventus; bellum per Cassium Legatum quinquennio gestum, prosperè quidem; cùm Parthus submotus Armeniâ, captísque ad Tigrin regiis urbibus, ad petendam pacem adactus sit; sed Lucij nullâ emendatione, qui in Syria terrarum voluptuosissimâ considens, palam obiens quæ Romæ clanculum, rediit inde libidinibus corruptior, tenaciórque consuetudinis pravæ; adeò animus mutatione cœli non curatur.

Marcomannicū bellum. Parthico Marcomannicum bellum successit magnis copiis apparatum, majoribúsque periculis gestum: Nam à Pannonia, dum in urbem Lucius redit, correptus apoplexiâ, nono Imperij anno, voluptates cum vita concluſit: & ipse Aurelius dum Marcomannis victis pugnat in Quados, ab iis interclu-

sus,

ſus, ſiti & calore cum exercitu periturus, ultimam naufragij tabulam apprehendens, Legionem Chriſtianam quæ militabat in caſtris appellare paſſus eſt Deum ſuum. Nec fruſtra, cùm repente cœlum diffluens imbribus & coruſcans fulmininibus, iis perculſos Barbaros diſſiparet, illis Romanos potos reficeret; quaſi Deus mare Rubrum renovarit in Nubibus, quæ ſervarent ſuos, perderent hoſtes. Legio dicta FULMINATRIX, non tam Quados quàm infirmam Deorum colluviem fulminavit.

Male tamen Aurelius de Chriſtianis meritus, quos antè inſequebatur ſævissimè; in quibus Pius, Anicetus, & Soter Romani Pontifices; Juſtinus ex Philoſopho Chriſti aſſertor, geminâque Apologiâ clarus; Polycarpus Smirnenſis Præſul, flammis illibatus, quas & fuſo reſtinxit ſanguine; ſeptémque nati Felicitatis, partu fecundiſſimo enixæ cælo, quos ferrum necabat. Recruduítque poſt Marcomannicum bellum ſævitia Philoſophis; penes quos Aurelius, Chriſtianas virtutes per quas ſuæ larvam deponerent, inſectantibus. Tunc clara Lugdunum cœlo Aulicos peperit, in pluribus, Photinum Præſulem ſenectutis ornatum, & Blandinam in ancillæ corpore regio animo, ea tolerantem quæ Romanam fortitudinem vincerent; Deo per ſervam & fœminam vires & ſplendorem tanti imperij triumphante. *Chriſtiani vexati.*

Nec Orbi Chriſtianos mactanti pœnæ de

Calamitates publicæ.

defuerunt : nam præter bella quibus attritus eſt , terræ motus quibus eſt concuſſus, famem quâ oppreſſus, inūdationes amnium quibus merſus : tam atrox peſtis graſſata eſt, Babylone in reliquas terras propagata : ut facilè Deum plectentem agnoſcas. Sed & Principi foris nulla ſecuritas , quem Marcomannico bello expeditum evocavit Oriens rebellante Caſſio, & ab ipſo victo pugnantem in Sarmatia mors excepit : tam infelicem domi quàm foris, quippe qui coniugis projectam impudicitiam Socratico animo toleraſſet, Commodúmque ab ea natum, vivam matris effigiem, eò prolapſum ſceleris noſſet , vt Patri per Medicos mortem offerret : quam oblatam , vel à medicis, quorum erat repellere, vel à filio cui vitam dederat , tam æquo excepit animo, quaſi à neceſſitate ſola immiſſam , anno Imperij 19. vitæ 58. virium etiam quàm ævi validior. Vir integritate morum præter ſuperſtitionem , nulli ſecundus , ſuis ipſe Philoſophis ſanctior, Romanis tamen infeliciſſimus ob aſſiduas calamitates. Mox in Conſtantino ſpectabit Orbis , quantùm interſit Philoſophum inter & Chriſtianum, & aliunde quàm ab inani ſapientiâ felicitatem arceſſendam.

Aurelius.

Athenæus.

Philoſtratus.

Famâ tunc illuſtres Hermogenes Rhetor, Herodes Atticus , & Athenæus; priorum nomen, hujus etiam ſcripta varietate omni condita , doctis celebrantur ; Philoſtratus Lemnius , eruditus Sophiſta , Apollonij geſtis,

Digitized by Google

geſtis, hoc eſt mendaciis & fuco celebris Apuleius Afer, Philoſophico pallio Magiam obvelans, impuritatem mentis ſalebroſo ſtylo aperuit. Et circa hæc tempora Lucianus, qui ex Chriſtiano Atheus, tam benè falſorum Numinum, quàm male veri deriſor præclariſſimum ingenium ſcommatis & ſatyris maledicentiſſimus hominum contaminavit. *Apuleius* *Lucianus*

Anno Chriſti 180. Commodus Aurelij filius, vel ut plures volunt gladiatoris, Caligulam & Neronem Imperator dictus, excitavit. Publicarum rerum curâ in Perennem ac deinceps in Cleandrum rejectâ, quaſi graviore humeris ſuis Sarcinâ, cum exoletis & meretricibus in palatio, cum gladiatoribus & beſtiariis in arena, omni turpitudine dehonestatus, crudeliſſimus etiam in clariſſimos quóſque Senatorum, Herculis perſonã induens, pluréſque clavâ mactans, Patris virtutes ſpurciſſimis vitiis expunxit; adeò difficilius eſt filium probum gignere, quam eligere; felicibus ab uſque Trajano adoptionibus, infeliciſſimâ in Marco ſobole. Hæc peſtis graſſata eſt annos propemodùm 15. donec ab Narciſſo Athleta in palæſtra extincta eſt; cùm jam Sororem, affines, & voluptatum uſu chariſſimos peremiſſet: nam apud hæc monſtra, nec naturæ nec ſcelerum affinitas tuta eſt. *Commodus.*

Anno Chriſti 193. Jam ad caſum prolabens Imperium, in plura diviſum capita, vix uno nixum eſt. A nece Commodi Hujus Pertinax è Grammatico miles, è milite

milite ad Præfecturam Urbis evectus, à Senatu jam ſexagenarius Imperator dictus eſt. Sed ſtatim poſt menſem alterum à Prætorianis antiquos Principis mores minus ferentibus, novo facinore interemptus eſt, dignus ævo meliore, cui Romanæ virtutes placerent.

Did. Julianus. Inde milites vænale Imperium Didio Juliano togæ quàm ſagi artibus clariori commercio turpi addixerunt. Sed faciliùs capeſſitur Imperium quàm tenetur; adverſante tam indignum Principem populo, multíſque cædibus in foro patratis, cùm jam ſeverus adventaret, nec retinere Julianus purpuram poſſet, nec vellet deponere, à Senatu capitis damnatus, eo truncatus eſt, ſecundo menſe quo imperaverat; Nundinator infelix, qui mercem emerat quâ periret.

Severus. Nec ideò in uno quievit Imperium, quod Severus in Illyrico, Albinus in Britannia, Niger in Siria partiebantur; non diu tamen, cùm Severi celeritas Romam occuparet, fraus Albinum vinceret, aperta vis Nigrum. Quippe in Juliano perempto jam Romæ dominus, ne contra geminos pugnaret, more gladiatorum dividens; Albinum Cæſarem dicit, Nigrum hoſtem, variíſque prœliis fractum, tametſi fortiſſimum, tandem capit, necátque. Byzantium appendix victoriæ, quæ obſeſſa triennio, & expugnata, in vicum abiit: pòſt humanarum rerum ludibrio caput futura Orbis, quo expungebatur.

Inde

Digitized by Google

Inde Severus consortis impatiens in Albinum vertit, & ad Lugdunum Nigri fortitudine pugnantem & fato captum occidit; Lugdunum florentissima Colonia vastata igne & cædibus; adeò miserum stetisse à victi partibus.

Tum iterum petitus Oriens, Parthísque fractis, ob Christianum militem coronam in donativo recusantem, ut rerum ingentium parva exordia, acerbissima in Christianum nomen crudelitate sævitum; inter plures Irenæus Lugdunum missus à Polycarpo, tam virtutum dives quàm doctrinæ, vitam sub gladio fortissimè posuit. Sævitiæ causa Plautianus, Afer ortu & crudelitate, Socer Bassiani Imperator Imperatoris, opum supra cupiditatem plenus: at mox Deo vindice abs genero suo interfectus est; obstupescente Imperio, tam repente nihil esse, qui erat omnia. *Christiani passi.* *Irenæus.*

Obiit Severus Imperij anno 18. quem cruore maceratum dicas, tantùm effudit; agebat in Britannica expeditione, ubi animi mœrore contabuit, ob natorum hostile dissidium, securum tamen reliquit Imperium, cujus limites tuerentur legiones duæ supra triginta. Sed Christiana Religio in Sarmentitis & Semiaxiis tutior, quæ cladibus suis ferax, de ipso imperio triumphabit. *Severus.*

Sub Severo, Clemens Alexandrinus, summæ & Christianæ eruditionis, miris Stromatibus litteratum orbem *Clemens Alexandrinus.*

Digitized by Google

veſtiebat ; Tertullianus, animo, ingenio, ſtylóque Afer & igneus ; nimiæ auſteritatis, quâ præceps raptus in Montani hæreſim lapſus eſt; an reſipuerit incertum : ne ſomma ingenia vanitas efferat, quibus caſus ſæpè in cenſu eſt. Melius deſiit Minutius Felix ex inſigni cauſidico Chriſti aſſertor. Tunc & Papinianus Iuriſconſultorum ſcientiſſimus, Alexander Aphrodiſeus qui primus Ariſtoteli lucem impertiit, aliíque in ea temporum acerbitate, quaſi nives ſub Ætnæ incendiis viguerunt.

Caracalla. Anno Chriſti 211. Antoninus Baſſianus, Caracalla dictus à veſtis genere, cum Geta fratre, imperio potitur: at ſtatim ſolus, interempto fratre in matris gremio, ipſáque poſtmodùm in uxorem ducta ; adeo proclivis in extrema ſcelera caſus eſt. Nihil patris præter crudelitatem imitatus, viginti mortalium millia qui fratri faverant interemit : in quibus Papinianus oraculum Themidis, cum excuſare fratricidium nollet, de medio raptus illud auxit. Regibus paſſim & fidem fregit & gulam, ac Parthicæ laureæ cupidus in Artabanum nuptiarum ſpecie deceptum movit, ſed tranſito Euphrate, aſtu Macrini Præfecti Prætorio, à milite cæſus eſt : anno ætatis 29. ſuos inter milites, quibus ſibi ut licerent omnia, donabat omnia : ita ſcelus ſceleſi ſemper intutum eſt.

Macrinus. Id anno Chriſti 217. quo Opilius Macrinus

crinus gente Maurus ad Imperium gerendum ſponte coactus eſt, filiúmque Diadumenum Antoninum dixit & Cæſarem. Sed quis credat virum militarem à mulierculis pulſum Imperio ? Mæſa Juliæ à Macrino peremptæ ſoror, cui filiæ erant Semiamira Mammæa, milites auro expugnat, & Baſſianum Varium vix Adoleſcentulum, Semiamiræ filium : & ut volebat credi Caracallæ, Antoninum dictum Imperatorem appellat. Macrinus à militibus proditus, ac pugna victus, cæſus eſt cum filio, nihil ex paterna claritate præter immeritam mortem auferente.

Ita Heliogabalus à Sacerdotio ſolis ſic dictus 15. iniens annum, ingenti Romanæ Reipublicæ probro, non auro modò, ſed per ſeminam Barbaram imperat : Ipſe ultimum humanitatis portentum, tribus annis per infamia quæque volutatus, proſtibulo quovis corruptior, ne Aſſyriæ Sardanapalum Roma objiceret : tandem per milites confoſſus, in ſpurciſſimum locum projectus eſt, inquinamentum Naturæ : ſimúlque mater flagitioſiſſima mulier : digna enim verò quæ id monſtri pareret. *Heliogabalus.*

Vigebat tunc maxime Origenes Alexandrinus, ſublimis ingenij ſed ancipitis : qui ſuorum temporum ſtupor, poſteriorum error in pluribus : cupidiſſimus Martyrij adoleſcens, quod ſenex horruit : notior peccans quàm pœnitẽs, novus Salomon, præter ſuæ ſalutis ambiguum : docuit ſumma ingenia *Origenes.*

magnis esse navigiis paria, quæ mergantur facilius quòd magna sunt nisi gubernaculo pareant.

Alexander. Anno Christi 222. Alexander Mamææ filius, Heliogabali consobrinus & ab eo adoptatus, novâ rerum formâ gessit Imperium. In palatio justus, in castris severus, in pugna fortis, prioris monstri delevit infamiam; ut nullus Principum ad Naturæ leges magis accesserit. Togæ officia sic moderatus est, ut per Ulpianum aliósque Jurisconsultos legum justitia per se, Judicum emineret, bonorum delectu, malorúmque pœnâ. Et idem in castris non milites ducens, sed Quirites, revocatâ veteri disciplinâ, victis in Oriente Persis, Afris in Mauritania, cùm se ad Germanicum bellum converteret, ut orbem totum per partes vinceret à Germanis millitibus unà cùm matre ad Moguntiam interfectus est; vitæ anno 29. verè dignus Alexandri victoriis, si tam spargere didicisset quàm legere: sed mater avaritiæ propior filium perdidit. Quid enim militi, à quo exigis omnia, nihil donas?

Persicum regnum. Circa hæc tempora defecit in Artabano Arsacidarum vltimo Particum regnum, quod 400. annos perstiterat, magno Romanorum non terrore modò sed damno. Iterúmque Persicum instauratum Artaxerxe Rege; quod Parthorum succedens odiis, Græcos & Italos male multabit: Deo quasi familias ludente Imperia, & in sepulchris veterum nova susciţante.

Tunc

Tunc Dio Caſſius Principi charus & faſtis inſertus, inauguravit litteras trabeâ, Romanæ Græcus ſcriptor hiſtoriæ per quam accuratus: quam tamen negligentiâ temporum perdidit, dum ſtudioſa brevitatis in Xiphilino, ignorantiam fovet, & umbram amans corpus amittit. Tunc & mira præſtabat Gregorius ille Thaumaturgus Neocefareæ in Ponto Epiſcopus: cujus inter prodigia ſummum illud, quod ſuos cives Ethnicos mutarit in Chriſtianos: nec enim minus ſit in animos hominum liberos, quàm in rupes & maria dominari. *Dio Caſſius.* *Gregorius Thaumaturgus.*

Anno Chriſti 235. Maximinus Thrax, Cyclops & Buſiris dictus ob immanitatem, omnium primus ſine decreto Senatus, autoritate militari purpuram induit. Ac ſtatim direptis Germanis in Sarmatas movit, at cum Romanum ſanguinem paſſim effunderet, odio omnium in ſe collecto, æmulũ ſenſit, quantumvis imparẽ. Quippe in Africa Gordianus Senior octogenarius cum filio ad Imperium invitus evehitur: ſed fortunâ quem promoverat deſtituente, filio à Mauris interfecto, ipſe tanti ævi vitam abrupit laqueo: eò ſolùm Imperator, ne ſuâ morte decederet. At Senatus Gordiani fautor, vel Maximino vel omnibus pereundum cenſens, propoſiti conſtans, Pupienum & Balbinum dicit Imperatores, hunc nobilitate clarum, illum virtute, quibus Gordianus puer majoris è filia nepos adjũgitur: ut in trium Principum authoritate, nobilitate & fortitudine, conflaretur quodammodo *Maximinus.* *Gordianus Senior.*

Digitized by Google

unus è ſingulis. Inde Maximinus omiſſo bello Sarmatico, quaſi furens bellua properat Romam, futurus materies cædis non cauſa: cùm enim in via obſediſſet Aquileiam, militéſque ſæpiùs repulſos haberet crudeliter: ab iis cum filio non minoris ſuperbiæ juvene interemptus eſt: vir regno indignus, quod ſolâ immanitate teneri poſſe affirmabat.

Pupienus: & Balbinus.

Nec ideò Balbino & Pupieno firmum imperium: nam cùm primùm ob diſſimilitudinem morum diſcordia, dein contemptus mutuus, poſtremò militum odium Senatorios Principes indignantium, exortum eſſet, data occaſio Prætorianis interficiendi, primùm Pupieni, deinde & Balbini, ſuperſtite uno Gordiano militibus grato. Ita autoribus ſua placent, aliena diſplicent.

Gordianus junior.

Gordianus annorum ſexdecim adoleſcens, ſui ſpem eximiam excitavit ſtatim; non implevit, Miſitheum doctiſſimum virum delegit ſocerum, cujus conſiliis regeretur, ac ipſius ductu Perſas imminentes Italiæ trans Tigrin repulit præclarâ victoriâ. Ultra perrecturus, niſi extincto Philippi fraude Miſitheo, ipſe pòſt ejuſdem Philippi artibus ſpretus à milite, primùm parte multatus Imperij, dein toto, pòſt vitâ, juventutem egregiam calamitoſo fato clauſiſſet.

Gothi.

Circa hæc tempora, Gothorum nomen primùm Romanis innotuit: mox origo tantatum cladium, nobiliſſimíque ruina imperij. Ij incolebant regionem Scythiæ Europæ,

pæę, Tanaim inter & Pontum Euxinum, non longè à Danubio verſus Occidentem: quam Getis adſcribunt Geographi, unde poſtmodùm inſtar Oceani fractis aggeribus Europam obruent.

Anno Chriſti 244. Philippus Arabs, in præmium perempti Gordiani, quæ calamitas temporum erat, potitur Imperio: quo ad ſeculares, Ludos inſtituendos magnâ belluarum oſtentatione abuſus: ſexto poteſtatis anno Decium Legatum in rebelles Pannonios mittens, mucronem intendit quo peteretur: nam Decius à rebellibus dictus Imperator, arma in eum convertens, victum acie cædit: filius duodennis, tanta auſteritate ut nunquàm riſerit, Romæ perimitur. Dicas fortunæ rotam Romanum Imperium, vel Auguſtos ipſos victimas eſſe, ornatas tantùm ut ferirentur. An Chriſtum Philippi noverint, certò nihil conſtat; ſanè nihil admodùm in eorum moribus Chriſtum ſapit: & hanc dotem placet illibatam eſſe Conſtantino. *Philippus.*

Plotinus celebris Platonicus, & auditor Origenis, Romæ tunc docebat, ingenti mortalium plauſu. At longè melius Cyprianus Carthagine, eloquentiâ prius clariſſimus, verâ Chriſti doctrinâ ſuos imbuebat. *Plotinus.*

Anno Chriſti 250. Decius è Pannonia ortus nihil prius habuit quàm ſævire in Chriſtianos dirâ lanienâ, quâ præclariſſimi quique ſublati. Sed ſtatim à Gothis in quos pugnat oppreſſus, filio in conſpectu *Decius.*

Digitized by Google

perempto, vivus voragine hauſtus, nec cadaver ad ſepulchrum dedit, inſtar fulminis tam citò evaneſcentis quàm percellentis.

Paulus. Eremita.

At ex immanitate natum poſteritati miſeriarum Aſylum; cùm Paulus Ægyptius adoleſcens fugâ ſaluti conſulens, in ſolitudines invias penetravit, captúſque novâ tranquillitate, primus omnium vitam Eremiticam exemplo inſtituit; tanto deinceps ſtudio propagandam; ut in ſolitudine futura ſit Civitas; cujus tamen incolæ ſoli eſſent, & in frequentiâ ſinguli Pauli.

Novatianus.

Eo & tempore Chriſti Eccleſia paſſa primum Schiſma; dum in Cornelium legitimum Romæ Pontificem, Novatus Afer, qui jam contra Cyprianum in Africa ſchiſma conflaverat, curat Novatianum creari Pſeudopontificem? jam inde ambitu in res ſacras irrepente. Sed mox detumeſcente procellâ Petri navis in anchoris ſtabit; cœli quippe machina corruet, inconcuſſâ ſtante Eccleſiâ.

Gallus & Voluſianus. Æmilianus.

Decio perempto Vibius Gallus cum Voluſiano filio, pace cum Gothis initâ, ſummum rerum conſcendit apicem: à quo altero anno dejectus per Æmilium Æmilianum Pannoniæ Præfectum, cùm undíque Barbari in Romanum Imperium inveherentur. Nec ideò Æmiliano Mauro genere faſtigium ſecuriùs fuit; repente enim à militibus Valeriani mores & nobilitatem ſuſcipientibus cæſus; quaſi Parcarum forceps Imperium eſſet; aut Purpura foret ſtola Libitinæ.

Anno Chriſti 253. Aurelius Valerianus anteâ

anteà Cenſor, ex illuſtri familiâ, cujus vita pro morum cenſurâ fuerat, quaſi communi orbis ſuffragio Imperio admotus eſt, primò quidem ſibi conſtans, & prioris innocentiæ tenax; ſed mox à Mago corruptus, & à Macriano præfecto incenſus, Chriſtianos omni tormentorum genere excruciavit. Inter quæ Cyprianus ille Chriſti Rhetor, eximiè truncato capite peroravit, & Romæ Laurentius igne in craticula toſtus, Porſennæ dexteram toto corpore repreſentavit. *Valerianus.*

Sed ſimul lues & graviſſima bella orbi incubuere, Barbaris undíque Romanos limites revellentibus, Gallieno Valeriani filio Occidens traditus; ipſe Orientem ad comprimendum Saporem petit: infeliciſſimo & meritiſſimo exitu, nam poſt varias clades illatas à Schithis vaſtantibus Aſiam, ab ipſo Macriano crudelitatis face Sapori proditus, diu extremæ calamitatis quo pertingat humanitas exemplum fuit. Incurvatus præbebat humeros inſcendenti equum Sapori, in cavea ferrea belluæ inſtar circumlatus; verè quadrupes dum ſe incurvabat, & Fortunæ monſtrum, ex Imperatore Suppedaneum, & aſſertor Numinis, meritâ pœnâ docente populos. Nec mori honeſtiùs aut faciliùs licuit detracta cute fœdè laniatus, toto corpore animam egit, hominíſque formam adhuc vivus perdidit, cujus uſu diu caruerat.

At ſtatim; ad extremam Romæ infamiam Præfecti paſſim ſe Auguſtos dicunt, & Imperium velut hoſtile ſpolium partiuntur; eâ au- *Tyranni* 30.

daciâ ut exiguo tempore præter Gallienum triginta Cæſares vel Tyrannos Romanus orbis ſit paſſus. Sed vel duorum Regnum impatiens, quomodo tot ferret. Paſſim ergo mutuis attriti cladibus, ſibi invicem fuere exitio; dejecti parte dum totum ambiunt.

Odenatus. Vnus tamen memoriâ dignus Odenatus Palmyrenorum Princeps, qui ſe ultrò Perſis objiciens, eos repulſos ingentibus victoriis fudit, perfecítque ne Barbarorum ſpoliũ Roma eſſet. Sed ut ætatem cædium & turbarum dicas, Odenatus cum Herode filio Mæonij conſobrini dolo peremitur, itidémque Mæonius à militibus poſtmodùm cæditur: obruebátque Orientem Perſa; niſi *Zenobia.* Zenobia Odenati uxor, ſupra virilem animum femina, pro filiis impuberibus ſuſcepto imperio, ea in Perſas, Scythas, Arabes, & Armenos patraſſet, ipſúmque in Gallienum, quæ tot viris pudori eſſent; ita tamen ut militaris mulier & pudica foret; nec in ſexu alieno ſuum negligeret.

Franci. Tunc primùm Franci, gens bello fortis orbi innotuere, qui ſive à Gallis, ſive à Scythis ad Tanaim orti, è Germania prorumpentes in Galliam, totam ad Pyreneos diripuerunt, ſedibus in Batavia poſitis, è qua vix tandem à Conſtantio Conſtantini patre ſunt pulſi; mox ponendo in ævum imperio præludentes.

Gallienus. Gallienus interim inter ſocordiam & fortitudinem medius, imò utriúſque viciſſim particeps, vel luxu Romæ diffluebat, vel in caſtris

caſtris æmulos impetebat, direptúmque Imperium ſolus annos octo obtinuit; donec ob litteras ab Aureolo Mediolani obſeſſo fictas, à ſuis Ducibus in obſidione perēptus eſt; vir nullius frugis, niſi quod Chriſtianis pepercerit; quem non puduit haberi Principem orbis, dum Pater poſtremus omnium mortalium eſſet.

Claudius Dalmata Gallieno ſuccedit, vir reverâ dignus Imperio; quod tutatus eſt cæſis Gothorum trecentis millibus, navibúſque merſis bis mille; gens enim populoſa undecúmque in paratam prædam involarat. Altero anno Claudius periit morbo; Deo intercipiente lanienam in Chriſtianos iam expeditam. Tradit æ Quintillo fratri habenæ, quas uno menſe non tenuit, cæſus à militibus, verum & ſortem Principem extimeſcentibus. *Claudius.*

Tot inter turbas quis locus litteris. Infecunda igitur ætas doctis viris nec eos inter annumerandus Porphyrius, qui gente Iudæus, religione Chriſtianus, mox Apoſtata & impietatis Antеſignanus, ea evomuit quæ Orcum ſapiant: ingenioſus tantùm ut noceret, & Philoſophiâ quaſi cote atrociſſimam bilem exacuens. *Porphyrius.*

Anno Chriſti 270. Aurelianus Sirmienſis fortitudine militari clariſſimus, qui bello Sarmatico uno die hoſtes 48. pluribus diebus ultra 950. interfecerat, rebus perditiſſimis reparator occurrit. Ac primùm in Italia Marcomannos Romæ imminentes *Aurelianus.*

Digitized by Google

ſemel victus, pòſt tertium victor, ingentibus præliis fudit & poſtravit. Dein ad Orientem verſus, victis in itinere Barbaris, Zenobiam difficillimâ expeditione bis victam, receptâ Ægypto & tota Aſia, egit in vincula. Tandem in Galliam quaſi ad Triarios mo-
Tetricus. vens quæ obtinebatur à Tetrico, exercitum à Duce derelictum fudit, promotóque ad veteres fines Imperio, Romam ad meritiſſimum triumphum rediit. Mirum quod ſuperfuit Tetricus, obiítque Corrector Lucaniæ, qui diu Auguſtus vixerat.

Zenobia. Nam de Zenobia prodigium eſt, feminam, hoc eſt tam ambitionis quàm vindictæ immodicam, ſolio detractam, ſe triumpho ſervaſſe: quaſi alienæ gloriæ appendicem, & victricem illam animam, orbis capacem, tam citò tranſeuntem ad feminam; tam fortiter pati poſſe quàm agere; eadémque manu & mente tractare colum quá gladium: Nempe à Chriſti legibus veram hauſerat fortitudinem virilis mulier. Sanè Cap-
Aurelianus. tiva nobilis Aureliano ſelicior, qui tam multis hoſtibus victis cùm in crudelitatem propenſior ſe ipſe non vinceret, Mneſtei Notarij ſui fraude, à militibus tot palmarum ſociis interfectus eſt. Deo vindictam Chriſtiani ſanguinis exigente, quem gravi perſecutione contra fas omne effuderat.

Sexto pòſt menſe vacanti Imperio à Se-
Tacitus. natu Tacitus datus eſt, & eidem tertio menſe ereptus, improborum militum metuentium pœnam factione. Frugaliſſimus ac tempe-

rantiſſimus

rantiſſimus Princeps præſtare in aliis mores ſuos non potuit, ſublatus eſt ne diu peccantes exemplo argueret. Florianus ejus frater arripuit Purpuram, quâ ſecundo menſe exutus à Probo, dominationis umbram cum morte mutavit.

Probus. Anno Chriſti 276. Probus augurio nominis lectus à milite, tam probum quam fortem ſe geſſit, expulſis Germanis ſeu Francis è Gallia; & in Ægypto Saturninum profligavit quem invitus necari paſſus eſt; Iterúmque revocatus in Galliam, Bonoſum quem Britannia Cæſarem fecerat; chariorem Baccho quàm Marti, victum acie in ſuſpendium adegit, ancipiti bello & ſupra ſpem periculoſo; adeò vel Amphoras armat Imperium Anno ſexto Probus, pace partâ, cùm frequenti opere exerceret milites, ab iis triſti temporum illorum fato in ſolo ſuo perimitur; nempe difficilius moderari pacem quàm bellum

Manes. Hoc tempore Manes è Perſide in totum orbem turpiſſimas ineptias propagavit, Paracletum ſe fingens: unde nati Manichæi, Orci Satellites, implicantes multos erroribus, in Africa prædationis arcem poſuerunt. Ipſo mox Manes juſto ſupplicio, ob Regem luſum vanis promiſſis, in Perſide cute ſpoliatus, qui ſe Deum finxerat, infra hominem periit.

Carus. Anno Chriſti 282. Carus ſumit Purpuram, quam cum filiis Numeriano & Carino participat: & ad bellum Perſicum mox accinctus, ducto Numeriano, eloquentiſſimo &

Digitized by Google

& eximiæ ſpei adoleſcente; cum per occupatam Meſopotamiam Cteſiphontē uſque progreſſus eſſet, ingenti orta tempeſtate, æger in lectulo. Coruſcante fulmine periit, unus plurium Imperatorum, qui militari ferro non periret, Numerianus ex dolore paternæ calamitatis oculis læſis cùm in lectica ferretur, perimitur ab Apro ſocero, à Diocletiano ſtatim perimendo. Carinus in Occidente à Patre relictus, ab eo degener diſpárque germano, omni libidine inquinatus, cùm validiùs quàm pro turpitudine Diocletiano obſiſteret, à ſuis Præfectis victor in prælio libidinem viri deteſtantibus interfectus eſt. Ita impuritas ſi quando fortis, nunquam felix.

Diocletianus. Anno Chriſti 284. Valerius Diocletianus Dalmata, Apro occiſo ſuſcepit. Imperium, geſſitque annis 20. bella bellis ſerens, triumphóſque triumphis connectens. Novâ prorſus pollitică pluribus & extraneis communicavit ſummā poteſtatē; quódque mirabilius, plures inter conſortes ſuo unus nutu adminiſtravit Rempublicam, ita regno natus ut regnaret & inter Auguſtos. Primum adſcivit Imperio Maximianum, agreſtem quidem & Semibarbarum, ſed amicitiâ fidum bonúmque militiâ; tum deinde Conſtantium Chlorum. & Galerium Maximinum Armentarium dictum; illum quidem Claudij nepotem ex filia, innocentiâ morum inſignem; hunc Dacum à parentibus agrariis, paſtorem olim armentorum, at bello

Maximianus.

Conſtantius.

Galerius.

Digitized by Google

bello fortem pulchrúmque corpore : uxores datæ , Conſtantio Maximiani privigna , Galerio Valeria Diocletiam filia ; partitióque facta Imperij , ut ſuam quiſque partem tueretur. Per eos repulſi ab Romano ſolo feliciter Barbari ; perduelles oppreſſi , ac pace ubicúmque partâ , legibus bonis damna ſarta bellorum. Præcipua triumphi cauſa Narſeus Perſarum Rex. qui à Galerio ignominiam cladis reparante fuſus & victus, liberis conjugibus & tribus ultra Tigrim Provinciis ſpoliatus , Diocletiano Galerium inhibenti regnum precarium debuit.

Chriſtianâ paſſi.

Sed in iis triumphis nova bella cladéſque novæ exoriuntur. Cœlum inter & Tarsarum : hujus legatus Diocletianus , qui viperiano in Chriſtianos incenſus odio, conſtituit illos exciſos radicitus, naturâ rerum ſemel expungere. Præluſerat ante in Aulicis & militibus , Sebaſtiano Tribuno nobiliſſimo geminâ morte interempto; Thebæáque legione unâ cum Tribuno Mauritio per Maximianum deletâ penitùs , (digni milites quorum nomina ſcribantur in faſtis , ita pro vera patria quæ cœlum eſt , fuderunt ſanguinem.) Tandem acerbiſſimè exurgens in ſingulos , edictorum vi, miniſtrorum ſtrenuitate , & tormentorum atrocitate , nihil intentatum omſit, quo Chriſtianum nomen exſcinderet. Quis non horreat, in una Ægypto 144 millia mortalium cæſa , 700. millia in exilium acta

acta ; præter Africam totámque Europam in carnificinam verſas : ut totum Orcum dicas in orbem effuſum, ubi nemo niſi tortus vel tortor ſit. Triumphavit tamen iis cladibus Chriſti Eccleſia ; & ſcoriâ per ignem purgatâ longè illuſtrior , damnis ſuis ferax, miſeriis felix, ruinis erecta, jacturis dives, rediviva in morte , mortalium victrix & Dæmonum, ſementem fecit effuſo ſanguine, profligatura ſtatim Imperium, & Orbem totum miſſura ſub jugum.

Diocletianus.

Interim Jovius ille Diocletianus, ſuperbiſſimus Principum, Dominus ſi ſuperis placet ac Deus : ille veſte ſericâ auro diſtinctâ, gemmas etiam veſtigiis calcans, ab mortalium victus quiſquiliis, præ furore abdicavit Imperium , Salonáſque in patriam ſecedens, culturæ olerum ſe addixit ; coëgítque Maximianum eodem die Mediolani purpuram ponere, quo ipſe Nicomediæ ſe faſtigio rerum demittebat. Novo prorſus exemplo , rariſſimóſque æmulos nacto ; niſi laudem deterat cauſa dignúmque ſit minimâ, quod indignatio & furor pepererunt.

Conſtantius.

Ita Conſtantio & Galerio relictus orbis diviſúſque ; ſed ſe Alpibus continens moderatione ſummâ Conſtantius , biennio pòſt vitam chariſſimam omnibus clauſit: pauper ſi Principem ſpectas , imò dives , qui veras opes in amore ſubditorum poſitas noſſet. Galerius cum augeretur moles regiminis, Severum per Italiam , & Maximinum ſororis filium per Orientem Cæſares dixit.

At

At Maxentius Maximiani filius ex concubina, Romæ à Prætorianis nuncupatus Auguſtus, Severum quem Galerius in ìpſum miſerat, deſertum à militibus, & Ravennâ evocatum perimit: tàm citò nullum quàm Cæſarem. Unde Maximiano ſpes reſumendi Imperij, quod parum ex animo depoſuerat: ſed à Maxentio repulſus, & in Galliam profugus, reus inſidiarum in Conſtantium, Maſſiliæ cervicibus laqueo fractis, impietatis perpetuæ & ambitionis præpoſteræ pænas luit. Porrò Galerius Severo deſtitutus, Licinium laborum impigrum bellíque ſtrenuum Cæſarem facit: ipſe Romam contendit, Maxentio imminens. Sed brevi póſt tempore phthiriaſi correptus, quâ dolorum impatientiâ, quâ ſerâ & inutili pœnitentiâ, mortem implorans & deprecans, impuriſſimam animam egit; Chriſtianorum acerbiſſimus tortor; quorum urbem integram in Phrygia internecione deleverat, quaſi ſævire in ſingulos clementiæ foret: idem atrocitate morum terribilis: verè Armentarius, & quaſi regeret tauros non homines, ſtoliditate forti conſpicuus. *Galerius.*

HELIOTROPIA

HELIOTROPIA.

AREOLA XII.

A Conſtantino Magno ad Odoacrum.

Romanum Imperium, jam biceps, Romæ & Conſtantinopoli variam fortunam expertum eſt, donec Romæ planè interiit. Principes Heliotropia dixeris, quorum alij ſublimi caute firmi & immoti, excreſcunt in arbuſculam. Alij humiles & infirmi, ludibria ventorum ſtatim defloreſcunt. Quantùm intereſt Conſtantinum inter atque Auguſtulum!

ANNO

ANNO Christi 306. Novo miraculo à Septentrione dies illuxit: nimirum Constantinus Constantij ex Helena priore conjuge filius, Patri succedens; post insidias à Galerio positas divino præsidio elusas non semel, Imperio & orbi exoptatissimus, utriúsq; Tyrannos oppressit. *Constantinus Magnus.*

A Maxentio factum initium, qui diutiùs Româ omni libidine & immanitate fœdatâ, succinctus 160. millibus, peditum, à Constantino sexto Imperij anno ad pontem Milvium est victus, & in profundum mersus limo voratus est; nullâ re strenuus præter libidinem, alieni cruoris prodigus, parcus sui, fœdissimam animam luto tradidit. *Maxentius.*

Maximinus nepos datus est Licinio profligandus; pernicies propemodùm ultima nominis Christiani; & dirum exitium, si vires animum adæquassent. Hic à Licinio in Illyrico in fugam actus, & in Cilicia Tharsi incluſus, alteram obsidionem à morbo passus est, tam truculento & fœdo, ut cadaver spirans morte sæpius appellatâ, à pœnis vitæ ad æternam mortem transierit. *Maximinus.*

Is est cui Catharina Virgo Alexandrina martyrium debet, vera Christianorum Minerva. Divina sapientia humanam fulciens, & armato patientiâ corpore quasi novâ Ægide furorem profligans. *Catharina.*

Licinius unus supererat, Constantino jam affinis, cujus sororem Constantiam uxorem duxerat; vir agrestis, litteris, ac probitati morum perinfensus, qui præter ferrum *Licinius.*

&

& militiam cætera omnia infra virum duceret. Is cùm Christianos acerbè vexaret, à Constantino ipsorum fautore prælio victus, datúsque uxoris præcibus, cùm iterum in priora mala revolveretur; adeò difficile est ex animo resipiscere, iterúmque victus esset, iam tertiùm res novas moliens Thessalonicæ peremptus est; ubi enim pestis invalurit, excidenda est, non curanda. Ita Respublica ad Constantinum unum devoluta, ingenti mortalium bono, ut impietatem orbi pepererat, veram imposterum religionem tradet; tantum in principe in utrámque partem momenti est.

Crux visa.

Nempe Constantino parum fuit liberasse Tyrannis Imperium, nisi & orbem servitute dæmonum māciparet. A Cruce abjectissimo illo patibulo prima victoria: visa est splendens, solaribus radiis non extincta, pridie pugnæ in Maxentium, polliceri victoriam litteris aureis, & statim pro signo pilis imposita; pollicita præstitit, futura victoriarum in posterum prærogativa. Inde Constantinus per beneficium ad beneficij fontem progrediens, Christum Deum fassus, sacris undis ablutus, primus vero Deo inauguravit Imperium, admissus à Silvestro Romano pontifice in oviū gregem, cujus Lupos sustulerat. Et ipsius Pontificis ductu fundatæ Romæ Ecclesiæ, Lateranensis, & Apostolorum Petri & Pauli: cui deinceps decedet Capitolinum illud fastigium, Romanum superbiam Piscatoris humilitate calcante; per

Roma Christiana.

per quem urbs Orbis domina prorogabit in animos dominatum, & infirmitate munita verè ponet ſine fine Imperium, quod nec temporum curſus, nec ullæ rerum metæ concluſerint.

Nec ſatis æternum hoſtem Eccleſiæ compreſſiſſe, niſi & internas ſpecie pietatis crudeliùs graſſans exſcinderetur. Quippe eſt ars dæmonis, ubi infirma vis eſt dolum intendere, & per Patrem læſam inferre Toti perniciem: Inde ſchiſmata & hæreſes, & eiuſmodi damna, quæ non inferuntur corpori niſi per membra. Conſtantino ergo victori peſtilentiſſimum virus Orcus oppoſuit, Arium Alexandrinum Presbyterum, qui fidem petens in capite, Chriſtum Deum negans, jam ſpargebat impune toxicum. Quod ut opprimeret Auguſtus in ſemine, Nicææ in urbe Bithiniæ anno 325. Concilium Patrum indici curat. Convenerunt præclariſſima Mundi lumina, ſpirantes Sanctorum reliquiæ, in contritis corpuſculis Diocletiani victores; in quibus Nicolaus & Spiridion, aliíque ad trecentos octodecim; qui Ario ad palinodiam adacto, fidei normam ſanctiſſimam, Nicænum Symbolum conſcripſerunt; exultante Principe, Trophæum illud alterum de Tartaro poni. At vomica illa inferni Arius eluſo Principe pœnitentiæ ſpecie, in furorem ſtatim revolutus, undecimo pòſt anno, novâ in Urbe, novo lethi genere raptus eſt, quaſi purulentus animus turpitudinem oris horreret.

Concilium Nicænum.

Arius.

& militiam cætera omnia infra virum duceret. Is cùm Christianos acerbè vexaret, â Constantino ipsorum fautore prælio victus, datúsque uxoris præcibus, cùm iterum in priora mala revolveretur; adeò difficile est ex animo resipiscere, iterúmque victus esset, iam tertiùm res novas moliens Thessalonicæ peremptus est; ubi enim pestis invalurit, excidenda est, non curanda. Ita Respublica ad Constantinum unum devoluta, ingenti mortalium bono, ut impietatem orbi pepererat, veram imposterum religionem tradet; tantum in principe in utrámque partem momenti est.

Crux visa.

Nempe Constantino parum fuit liberasse Tyrannis Imperium, nisi & orbem servitute dæmonum māciparet. A Cruce abjectissimo illo patibulo prima victoria: visa est splendens, solaribus radiis non extincta, pridie pugnæ in Maxentium, polliceri victoriam litteris aureis, & statim pro signo pilis imposita; pollicita præstitit, futura victoriarum in posterum prærogativa. Inde Constantinus per beneficium ad beneficij fontem progrediens, Christum Deum fassus, sacris undis ablutus, primus vero Deo inauguravit Imperium, admissus à Silvestro Romano pontifice in oviū gregem, cujus Lupos sustulerat. Et ipsius Pontificis ductu fundatæ Romæ Ecclesiæ, Lateranensis, & Apostolorum Petri & Pauli: cui deinceps decedet Capitolinum illud fastigium, Romanum superbiam Piscatoris humilitate calcante;

Roma Christiana.

per

per quem urbs Orbis domina prorogabit in animos dominatum, & infirmitate munita verè ponet ſine fine Imperium, quod nec temporum curſus, nec ullæ rerum metæ concluſerint.

Nec ſatis æternum hoſtem Eccleſiæ compreſſiſſe, niſi & internas ſpecie pietatis crudeliùs graſſans exſcinderetur. Quippe eſt ars dæmonis, ubi infirma vis eſt dolum intendere, & per Patrem læſam inferre Toti perniciem: Inde ſchiſmata & hæreſes, & eiuſmodi damna, quæ non inferuntur corpori niſi per membra. Conſtantino ergo victori peſtilentiſſimum virus Orcus oppoſuit, Arium Alexandrinum Presbyterum, qui fidem petens in capite, Chriſtum Deum negans, jam ſpargebat impune toxicum. Quod ut opprimeret Auguſtus in ſemine, Nicææ in urbe Bithiniæ anno 325. Concilium Patrum indici curat. Convenerunt præclariſſima Mundi lumina, ſpirantes Sanctorum reliquiæ, in contritis corpuſculis Diocletiani victores; in quibus Nicolaus & Spiridion, aliique ad trecentos octodecim; qui Ario ad palinodiam adacto, fidei normam ſanctiſſimam, Nicænum Symbolum conſcripſerunt; exultante Principe, Trophæum illud alterum de Tartaro poni. At vomica illa inferni Arius eluſo Principe pœnitentiæ ſpecie, in furorem ſtatim revolutus, undecimo pòſt anno, novâ in Urbe, novo lethi genere raptus eſt, quaſi purulentus animus turpitudinem oris horreret.

Concilium Nicænum.

Arius.

Et

Crux inventa.

Et favit ſuffragiis Patrum Deus, qui Crucem filij probatam miraculis, & theſauri inſtar effoſſam ab Helena; adorandam Orbi propoſuit; Judæáque Dæmonum fanis expurgatâ Chriſtianis in poſterum veneration i & amori fuit. Helena porrò Conſtantini mater, cui in filij pietate inſtaurationem magnam Orbis debet, religioſiſſima mulier, nec laboris parca nec ſumptus, circa appendices fidei ſtrenua, parabat eximia religionis fomenta, quæ deinceps omnium commodo adoleſcerent.

Conſtantinopolis

Quis fidem credat novam Romam mundo peperiſſe? Sanè Conſtantinus cùm expurgare veterem minus poſſet, condidit novam, ne quid cum idolis participaret. Bizantium in Thracia placuit, quæ ad Bosphorum ſita, Europæ limes & Aſiæ, utriúſque centrum evaderet? dejecta fana, erectæ Eccleſiæ nova propemodùm poſita fundamenta, ornatus tantus qui Romam caperet: & cum Principe familiis nobiliſſimis emigrantibus, in novam ſeceſſit vetus, ſi non tota ſaltem innoxia. Conſtantinopolis civitas dicta, ſedes Imperij, converſionum ingentium campus, pòſt futura caput impietatis; quæ nunc pietatis. Tunc Deo dedicata eſt everſis funditús Idolorum templis, anno Chriſti 336. naturâ rerum libertatem ſuam gratulante.

Criſpus.

Ac tot inter lumina aſperſæ nubeculæ Conſtantino; Criſpum filium Alemannorum victoriâ clarum, quem ſpes ſupra mortalium

vota

vota oſtentabat, Fauſtæ novercæ criminationibus fictis implicitum : damnavit citiùs quàm deceret Patrem, Novercámque ipſam poſt compertam ſceleris ardenti balneo interemit : quaſi crudelitatem pœnitentia augeat, vel flagitium emendet immanitas. Sed & Arium punivit molliùs, ſororique Conſtantiæ dedit, ut impiiſſimus divino tantùm telo feriretur. Ita Auguſtus Auguſto ſimilis, diverſa fortuna domi ac foris, intrà lares habuit unde ſe hominem meminiſſet.

Anno tandem Imperij 30. placido fine Nicomediæ deceſſit ; reverâ Magnus, ſive Cœlum ſpectes, ſive Terram ; de utróque perbenè meritus, Cœlo dum Terram peperit, illámque calamitatibus liberam, ornatámq; victoriis parem cœlo fecit. Tam privatis virtutibus quàm Imperatoriis clarus ; quod rarum admodum ; adeò anguſta mortalitas plura excludit. Novus ſol Religionis, quam à Britannia exoriens, ingenti ſpargens terrarum tractu, tandem occumbens ad Indos detulit ; non ſine miraculo, qui jam occidens Orientem ſolem illuminaret. Præter filios Imperatores, Dalmatium fratis filium Cæſarem dixit : plures enim ſufficiendi Atlantes, qui ruinam ipſius fulcirent. *Conſtantini mors.*

Sub eo Lactantius, Arnobij ſcholâ digniſſimus, profanam eloquentiam Chriſtianâ condiens pietate, Criſpi inſtitutor præclara ſcripſit de religione. Verum Antonius Ægyptius longè præclarior, quà virtutibus, quà ſectatoribus poſteritati commendatiſſimus; qui *Lactantius.* *S. Antonius.*

qui ſolitudine ſocietati conjunctâ,utriúſque prodigium & exemplum fuit ; ut Arius per cum maximè condonetur Ægypto.

Conſtantini filij. Anno Chriſti 337. Diviſum Conſtantini filiis Imperium eſt. Conſtantino ceſſerunt cuncta trans Alpes; Conſtantio è freto Propontidis Aſia ad Perſas ; Conſtanti inter mediæ regiones cum Africa ; Dalmatius factione militum ſtatim oppreſſus eſt.Sed inter conſortes Imperij nullus limes , quem non confundat Ambitio. Conſtantinus & Conſtans diſſentiunt ; At Conſtantinus dum irruit in aliena , prope Aquileiam ignotus occiditur, triennio poſt Patris obitum;uno Imperatoris faſtigio clarus.

Conſtans. Conſtanti regnum illuſtrius fuit belli ſtrenuo,& religionis propugnatori : ſed per ætatis imprudentiam objectus adulatoribus, & in prava Ptincipum degener , contracto militum odio , à Magnentio Gallo uſurpante Purpuram interfectus eſt,ævi anno 27. ſpei plurimæ juvenis , ſi tam amicos quàm hoſtes caviſſet , artémque bellicam virtute domeſticâ conſtabiliſſet.

Conſtantius. In anno Chriſti 350. In uno Conſtantio diſpertitum antea confluxit Imperium , diſtractum tamen à Magnentio & Vetranione. Sed de hoc actum illicò : nam cùm in procinctu exercitus eſſent , eloquentiâ Conſtantij miles Vetranionis permotus , ad eum deſcivit. : Vetranioni conceſſa vita cum otio. Ita primùm ab orbe condito Rhetorica peperit Regnum , & in armorum fremitu

fremitu dominatum lingua exercuit.

Sed non tam facile cum Magnentio de- *tius. non-*
bellatum, qui fratre DecetioCæſare dicto, *Mag.*
Conſtantio per triennium acerrimè obſtitit; donec acie apud Murſiam profligatus, amiſſis ſuorum 36. millibus, & in Galliam profugus, Lugduni ſe ſuo confodit gladio; grandis corpore animóque, ſed crudelitate barbarâ truculentus. Decentius fratrem æmulatus, morte timidiore, ſe ipſe ſuſpendit. Victoria tamen non incruenta Conſtantio, quâ ſuorum cæſa 30. millia, mutuis viribus occumbente Imperio: dum Sapores Perſa Orientem palmis conſignaret: pluréſque ſeviſſet, niſi á Niſibi per Jacobum præſulem repulſus, & examinibus culicum in fugam actus, pœnam Pharaonis in æquali ſuperbia repræſentaſſet.

Poſt Magnentium victum; Conſtantius *Gallus.*
Cæſarem dixit Gallum patruelem, ſorore Conſtantinâ in uxorem datâ, & Oriente permiſſo. Sed dum is ſuperbiâ, illa crudelitate & avaritiâ ſibi omnium odium parant, multíſque cædibus injuſtè graſſantur, à Conſtantio evocati anno pòſt quarto: Conſtantina quidem febri abſumpta eſt; Gallus autem inſtar privati abſciſsâ cervice regiam purpuram humana mutavit. Adeò & Regibus privatorum fatà impendent.

Tot inter turbas fuit acerbiſſima Eccle- *Arianiſ-*
ſiæ clades, atrocitate Tyrannica ſævior, cùm *mus.*
orbis univerſus vix Dæmonum cultu depulſo, Arij labe ſtatim infectus, fidem tot

Digitized by Google

cruciatibus patuam, unius litterulæ detractione peſſundaret. Stabat quidem in Romano Pontifice & Athanaſio fides; ſed dum hic extorris, ille remotior, minus excludunt irruentes lupos, greges miſere diſcerpebantur. Sanè hæreſeon antidota admovebantur Concilia, ſed quæ vel irrita vel corrupta, non eſſent remedio, vel morbum augerent. Sardicæ indicta Synodus Epiſcoporum 376. Athanaſium abſolvit & revocat; ſed ſtatim poſt Conſtantis obitum Valens & Urſacius, carcinomata Eccleſiæ, ejecto Athanaſio permiſcent omnia. Nec habita Concilia vel Arimini, vel Seleuciæ, vel Mediolani, majori ſunt emolumento; dolo Arrianorum Medicinâ vertente in toxicum. Imò triumphante Tartaro de Hoſio Cordubenſi; illo virtutibus & ſenio venerando, qui cùm Eccleſiæ ſtabilitatem firmitate animi exſcripſiſſet, turpiter lapſus commaculavit res præclarè geſtas, erudivítque mortales, quid à ſua fragilitate timere debeant. Ut de Macedonio ſileatur, qui ab Arrianis in Conſtantinopolitanam ſedem per vim intruſus, & indepòſt multa patrata ſcelera à Conſtantino ipſo dejectus, novam commentus eſt hæreſim in Spiritum ſanctum; ne qua Sanctiſſimæ Triadis Perſona ab Orci veneno eſſet illibata.

Hoſius.

Macedonius.

Athanaſius.

Inconcuſſæ tanta in jactatione columnæ, Athanaſius maximè & Hilarius. Quorum ille à prima adoleſcentia Arrianiſmi terror & fulmen, jacturâ famæ, patriæ, ſacultatum,

facultatum, telorum omnium ſcopus, fugiens, exulans, latens, & de toto orbe præter ſepulchrum expunctus, vel in ipſo mortis ſpoliatio Catholicam fidem tutatus eſt: exemplum poſteris fortitudinis fugientis, at Parthico more triumphantis in fuga.

Nec Hilarij Pictavienſis laus deterenda, qui in Aſiam eadem de cauſa relegatus, in Synodo Seleuciæ nutantem fidem conſtabilivit; mirâ Numinis providentiâ ut duo Exules, Orientem alter, alter Occidentem, à ruina præcipiti continerent quorum exilium ab hanc ruinam erat comparatum. *Hilarius.*

In his Religionis Imperiique vicibus, cùm anno ſuperiore Conſtantius Julianum Galli fratrem dixiſſet Cæſarem, dolore ardens quod idem poſt Francos domitos Imperatoriam purpuram uſurpaſſet; cùm inter ipſum & irruentes Perſas diſtraheretur animo, quem hoſtem impeteret, febri periit, nimiáque regni cupidine regnum amiſit. Tam manu promptus quàm lingua: at Patre indignus, quod Arrianis & Euſebiæ uxori nimis obnoxius, illis turbas Eccleſiæ, huic Julianum Cæſarem indulſit. *Conſtantij mors.*

Anno Chriſti 361. Julianus Conſtantio mortuo, jam vetante nullo Imperator, Chriſtianæ fidei deſertor impius, in ejus perniciem quas naturâ conceſſerat dotes cõvertit. Bellator egregius, quod Alemanni, Franci & Saxones victi teſtantur: promptus ingenio, *Julianus Apoſtata.*

Digitized by Google

quod libri ſuperſtites; vita ab omni luxu aliena, quod cultus Cynicus; quibus armatus turpis Apoſtata in Chriſtianum nomen inſurrexit. Graſſatus novo genere perſecutionis, Philoſophos, Aruſpices, Victimarios, honore proſequi Chriſtianos ſummo contemptu, illis dignitatum faſtigia, iis ne litteras quidem humaniores permittere; abſtinereferro ex invidentia, ne Martyrij laurea cæſos coronaret: at ſi quos intus ſæviens mactaret immanitas, aliâ ſpecie detrahere gloriam mortis, ignominiam culpæ affingendo: quaſi Deo imponeret nequiſſimus bipedum, qui ne hominibus quidem ſub barbæ ſilva ſeſe abſconderet. Quin & ſuis diffiſus a - tibus, in ſocietatem perfidiæ Judæos adjunxit. Jeroſolymitani Templi inſtauratione gentem odioſiſſimam orbi fovens & erigens.

At eò illuſtrior Chriſti victoria, quo re latâ de pluribus. Nam Judeorum in Templo conatus irriſi; flammeis globis è fundamentis erumpentibus, rubríſque crucibus in operarum veſte fulgentibus; ut inimiciſſimi Crucis vel inviti, eam dum evertunt erigerent, fieréntque alienæ Trophæum victoriæ & defertor fœdiſſimus, dum in Perſas movet, Diiſque ſuis plenus lauros & triumphos præcogitat, à transfuga proditus Eccleſiæ transfugâ fame & Perſis urgentibus, poſt gravem pugnam ſagittâ de cœlo miſſâ percuſſus, in blaſphema voce quamvis vera impuram animam Orco tradidit, vitæ anno 32. ſacris olim inſuſis deſtinatus, ita

ita corruptio peſſima quæ ex optimo.

Anno Chriſti 363. Joviano ab exercitu collatum Imperium, & ab eo dedecoroſa pax, ſed neceſſaria cum Perſis inita; qua ſervati milites quos imprudentiâ Juliani in intimam Perſidem duxerat. Jovianus rediens odore prunarum in cubiculo calce recens illito extinctus eſt: memorabilior pace redditâ cum Deo, fanis ſublatis, quàm cum Perſis abſciſſis limitibus. *Jovianꝰ.*

Anno Chriſti 364. Ad abſentem Valentinianum gente Illyricum delatum eſt Imperium; præmium Religionis Tribunatui ſub Juliano prælatæ: Valens frater, ab eo dictus Auguſtus, Orientem ſuſcepit adminiſtrandum, quem per annos 14. ab Arrianis corruptus peſſimè habuit. Nam Procopio, qui purpurã invaſerat, Arbetionis arte devicto, pleróſque comitum interemit crudeliter. Dein ob Theodori deteſtabilem curioſitatem, in ſucceſſorem Principis inquirentis, ipſi Theodoro aliiſque pluribus nex illata, Juliano charis ob Deorum cultum, ipſo Dæmone ſuis exitium procurante. Nec mitior in Orthodoxos, quos Epiſcopis orbatos dirè vexavit: Petro Alexandrino ſublato, aliiſque octoginta Præſulibus, ad ſe petendæ paci delegatis; impoſitis navi & combuſtis: certus in capite cætera corporis membra interire. *Valentinianus & Valẽs.*

Tunc à pio ſeceſſu ad propugnandam Fidem revocari illuſtres amici, Gregorius & Baſilius: qui olim Athenis virtute prónubâ *Gregoriꝰ Nazianzenus.*

Digitized by Google

conjuncti animis, litterarum ſtudiis celebres præ Juliani flagitiis adamatâ ſolitudine, præclara Monachis virtutum dogmata per exempla ſcripſerant. Et Gregorius Nazianzi in Cappodocia natus, cùm Julianum ſcriptis carminibus impugnaſſet (nam & Chriſti aſſeclis ſuæ Muſæ) nunc valentiùs in Valentem inſurgens, ea ſcripſit & dixit, unde Theologi nomen aſſecutus, omnes Triumphatorum titulos vicit. *Baſilius.* Et in Ponto Baſilius ortus, non ſequutus inferiora, Cæſareæ poſtea Epiſcopus, Valente miraculis & reverentiâ fracto, tantùm conniſus eſt, ut fidem caſui propiorem fulciret. Quem & juvit *Gregorius Nyſſenus* frater Gregorius Nyſſenus, pietate & doctrinâ ſummus; jam inde Gregoriis Eccleſiæ fortunatis; & per naturæ & amicitiæ vinculum Deo conſilia ſua promovente.

Valens. Sed Valentem pede claudo pœna aſſequitur. Hunnos ut repelleret (ij ultra paludes Mœoticas ad glacialem Oceanum, gens tam laris expers quàm legis, ſe trans Iſtrum effuderant) Gothis expulſis in Romano ſolo dederat ſedes. Sed Gothi à Præfectis inclementiùs habiti, armis ſumptis invadunt Thraciam, & Valentem à Bello Perſico revocatum, pugnantem incautiùs, ne Gratianum conſortem victoriæ pateretur, non modò vincũt, ſed & in caſa ruſtica ignotũ flammis ſubjectis concremant; ut cujus furore arſiſſet Oriens, ejuſdem flammis reſtingueretur incendium. Debita Valenti merces à Gothis quos per Viphilam Epiſcopum Arrianum

num infecerat; pertinaci veneno, & longè ad posteros ad Europæ exitium transituro.

Ac Valentinianus Occidentem ægerrimè contra irruentes Barbaros tutabatur. Repressi primùm Alemanni, ingensque moles ad Rheni ripam à Rhætiis excitata: ut muro illo duplici immanitas gentis frænaretur. Dein Britannia à Scotis Pictisque per Theodosium vindicata, idémque Dux præclarissimus in Africam contra Firmum missus quem Imperij dignitate Mauri ornaverant, pari fortitudine difficillimum bellum confecit. Sed & Theodosio filio adhuc imberbi cessit insignis victoria, in Quados Sarmatas in Moësiam irrumpentes, raro Naturæ facinore, ut illustrem Patrem degener filius non expungat. Quadi tamen mortem excusatione criminis Valentiniano crearunt: quippe ferventior animi Princeps, dum excusantium culpam exprobrat, irâ vehementiore succensus, obstructo vitali spiritu effavit animam, 12. Imperij anno; seipsum infensissimum omnium passus. Eant nunc homines; mortémque fugiant, quàm à se parimus! quid veneno opus, aut ferro; si perimus spiritu ipso, quo vivimus? *Valentinianus.*

Ergo anno Christi 376. duo filij Valentiniani gerunt Imperium; ac quidem major Gratianus, novem ante annis id à Patre assequutus fastigium erat; junior Valentinianus adhuc quadriennis ex Justina Magnentij quondam conjuge susceptus, absente Gratiano ab *Gratianus.*

exercitu Auguſtus dictus eſt. Quod ipſi adeò Gratianus frater non invidit, ut tribus póſt annis Valente patruo interempto, Theodoſio juniori in Imperium adſcito conceſſerit Orientem; ſecuritatis publicæ quam autoritatis privatæ cupidior. Ipſe interea Rempublicam aggreſſus, Alemannis apud Argentariam ſi ſis, optimi fortiſſimíque Principis ſpecimen præbet: ſed hunc Deus tan-
Maxim⁹. tum terris oſtendit. Nam Maximus commilito Theodoſij, Imperium rapit in Britannia, indignatus ſibi ac ſocio non eadem conceſſa præmia, tranſgreſſúſque in Gallias, Gratianum turpiter deſertum à milite, apud Lugdunum aſſequutus, in ponte Rhodani per Andragathium Ducem interemit, vitæ anno 28. eximium virtutibus Chriſtianis, victorem ſi quis alius voluptatum, veræque fidei peramentem: Deo ſinente juſtos rapi eodem fato quo impios: ne amemus vitam, quam ſi in bonis accenſeret Numen, juſtis non raperet.

Valentinianus Junior. Nec Valentiniano juniori fortunatior obitus contigit: quo adhuc puero Juſtinia mater geſſit Imperium: pulchro corpore mulier, firmíque animi, ſed Arrianiſmo imbuta, quem & filio ſuo affricuit. Quid huic ſtabile fundamento imponas? Unde male tutum deinceps Imperium, Maximo Italiam occupante, & fugâ vitæ conſulendum fuit, apellato Theodoſio, nuptiíſque Gallæ delinito. A quo redditus quidem Italiæ eſt profligato Maximo, & quod majus eſt fidei.

Sed

Digitized by Google

Sed fratris fato anno hujus ſeculi 92. Viennæ in Gallia cùm in otio ageret, ab Arbogaſte Pranco quem exautoraverat ſtrangulatus eſt, & ut opinionem voluntariæ mortis faceret, ſuſpenſus laqueo; quaſi Imperatori parum eſſet interfici, niſi flagraret infamia; & execratione flagitij miſerationem obrueret.

Anno 379. Theodoſius Hiſpanus, Laucæ in opido Gallæciæ oriundus, Trajani virtutes non vitia revocavit; ac Thraciâ Barbarorum jugo vindicatâ Conſtantini felicitatem reſtituit Orienti. Felicitatis porrò maxima pars in Concilio Oecumenico, Conſtantinopoli habito, anno hujus ſeculi 81. quod à Nicæno 2. eſt; in quo ab 150. Epiſcopis præter Nicæni confirmationem, damnatus Macedonius, & fides Orthodoxa de Spiritu Sancto ſtabilita. Diceres Deum rependere Principi beneficia; tot in eum bonis cumulatis, præcipua ſunt pacatus Oriens, Occidénſque datus vel invito. Mirùm! tantum bellatorem tam obſtinatè bella fugiſſe, ſuæque gloriæ detraxiſſe, ne alienæ paci detraheret. Ideò qui gentes Scythicas nondum Auguſtus pugnis atriverat; Gothos jam Auguſtus devincit beneficiis. Ideò Maximo gentes Tranſalpinas addixerat cum Illyrico, ne in alieno bella comquireret. Sed cùm Maximi ſcelera Alpes tranſgreſſa, monitore Valentiniano delata eſſent Conſtantinopolim; Gratiani ſanguis, ſpoliatus Auguſtus, & affinitas nova vindictam poſ-

Theodoſius.

Concilium Conſtantinopolitanum.

Maximus.

cerent; tandem armatus Deo movit in Maximum: Alpibuſque tranſmiſſis, quas aperuerat Andragathij ſtulta celeritas ad navale prælium decurrentis, Aquileiæ improviſus oppreſſit Maximum, gravémque orbi vomicam excidit. Andragathius parricida ſuus ipſe judex & tortor, ſeſe in undas præcipitavit è navi, quibus ambitionis ignem reſtingueret; culeo dignus, niſi deſperatio prævertiſſet pœnam vel auxiſſet. Quis credat hoc bello Valentiniano partum imperium, nihil Theodoſio præter gloriam partum, quódque tot periculis ſuum foret, reſtitutum eſſe ut alienum?

Nec tandem cæſo Valentiniano, tam privatæ vindictæ vel gloriæ ſtuduit, quàm Divinæ: cùm enim Arbogaſtes Imperatoris titulum impoſuiſſet Eugenio, & utérque revocato cultu Idolorum in Chriſtianum nomen inſurgeret; Theodoſius cenſuit intereſſe Dei ſe armari; & ipſe in Alpium jugis tutus. Vexillo crucis in ſignum elato, prodigioſis armis hoſtes fudit, ipſorum telis ventorum turbine in os retortis: interfectus Eugenius alienâ manu, ſuâ Arbogaſtes: ut eadem manus ſcelus eſſet & pœna: Et qui alieno nutu regnaret, periret alieno. Tunc demùm Occidens extinctis juſtis injuſtiſque Principibus, Theodoſio ceſſit, victorémque Roma ſuſpexit, nec diu tenuit, quod ſenatus in Deorum cultu pertinacior, ſui Principis Deum ignoraret: ſublati tamen ſumptus in ſacra (everſa jam erat ara Victoriæ, & victoria de victoria

ctoria ipſa reportata) templíſque dæmones interdicti, quatenus animis pelli nequiverant.

In his virtutibus Theodoſij nævus unus; iræ impatientia: quâ aliquando ob raptam Placillæ Auguſtæ ſtatuam, Antiochiam vaſtitate damnaverat; ac ægrè Flaviani Epiſcopi precibus nocentium pœnas innocentibus dederat. Eáque iterum inflammatus Theſſalonicæ, ob interfectum Præſidem ſeptem hominum millia quaſi feras theatro incluſa, occiderat; nullo culpæ diſcrimine. Sed id delictum emendavit pœnitentia, tantò ſanctior quantò illuſtrior: quippe infrequentior pœnitens Princeps quàm peccans, & rarò queis omnia licent ſeipſi accuſant, damnántque rariùs: ut in iis culpæ confeſſio, ſit ſummæ vel ſanctitatis vel ſtoliditatis. *Theodoſius pœnitens.*

Hæc ætas orbi peperit immortales viros, quorum doctrina ſanctitate fulſit: Hieronymus Strigonienſis, eloquentiæ Tullianæ ſuppar, vim ingenij explanationi ſcripturarum dedit, ævique magnus Hebræam linguam abſorbuit, Romanas voluptates ſeceſſus, Bethlemitici aſperitatibus domans, matroníſque nobilibus longo intervallo cœlum inſinuans. Ambroſium Valentiniano debet Eccleſia, à quo Præfectum habuit, quem Præſulem fecit, verè Apem, quod cunarum prodigium fuit, experta: dum ſuaviſſimam orationem melle condiret; & in Arrianos virilis eloquentiæ aculeos ſtringeret. Sed quantum ipſi Ambroſio in Auguſtino *Hieronymus.* *Ambroſius.* *Eugenius*

Digitized by Google

Augustinus. ſtino debet Eccleſia? qui à Manichæis hoc eſt à caſtris dæmonum vindicatus, apex ingeniorum, naturæ operæ pretium ultimum, ſeculorum omnium ſtupor, facultatis divinæ Magiſter: ea poſtea debuit gratiæ, ut eam tàm voluntate receptam quàm intellectu perceptam, ſuis non libris modò, ſed moribus ad notitiam & exemplum cunctis ætatibus propoſuerit.

Nec prætermittendus Auſonius Burdegalenſis, tam Orator clarus; quàm Poëta in Diſcipulo Principe felicior Senecâ; erudivit quippe Gratianum, amorem illum cœli & terræ, factúſque Conſul de Rhetore, vidit faſces & purpuram ambitionis ultimum votum ſcholaſtico pulveri deceſſiſſe. Sed nec in *Paulin⁹.* Paulino minor Auſonius, à quo didicit quæ non docuerat; cùm vir Conſularis & Imperatore collegâ digniſſimus, repudiatis vitæ illecebris, in ſeceſſum Nolanum ſe abdidit; futurus pòſt clarior quò tunc obſcurior, & à Nolæ tenebris ducēdus ad inſulas, prodigioſis charitatis radiis illuſtrandas. Et Græcia *Arſeni⁹.* in Arſenio obſtupuit magiſtrum & propè dominum Auguſtorū, fugientem Aulæ ſpes & delicias, ambire deſertam ſolitudinem, & inter Monachos poſtremum eſſe, qui Senatorum primus deſtinabatur; tanti eſt percepiſſe Deum inter & Mundum quantùm interſit.

Anno Chriſti 395. Theodoſio Magno vi- *Areadi⁹.* tâ functo, ex paterna diviſione Arcadius 25. annos natus Orientem ſuſcepit: Honorius decentio minor Occidentem: additi ſingulis

eximij

eximij Duces quorum armis & consiliis regerentur. Sed ut cæca est hominum providentia, ex spe tutelæ orta est cladès. Nam Rufinus occulta flagitia ambitione incendens, custos datus Arcadio, ut damnis Reipublicæ potentiam suam constabiliret, Alaricum Gothorum Regem permisturum omnia sanguine, in Græciam vocat. Indè Stilico Alanus Honorij tutor & socer, dudum ardens Rufini perniciem, ut sublato æmulo, utrímque Imperium suum esset, Gainam Gothum itidem cum copiis mittit, qui Alaricum repulsurus Rufinum perderet. Hoc Gainæ perditissimi hominis facinus primum, quo inspectante Arcadio, Rufinum occidit; meritissimum quidem, sed injuriâ Justitiæ cui Reus peribat. Dein Eunuchum Eutropium Rufini artium potentiæque heredem, eodem jure, id est summâ injuriâ, exulem obtruncat. Postremò quasi umbra Arcadij ipsi officeret (tunc enim Principis umbra Arcadius) in ejus caput consilia iniit, invadendi certus Imperij: nisi Deus consiliis proditis imminentem Constantinopolī dispulisset; aperto Marte victus à Fravitta, ad suos fugiens, Hunnorum Regi quas debebat Arcadio pœnas solvit.

Dubium tamen an Gainas pestilentior Orienti, an Eudoxia Augusta, tantos tumultus in Joanne viri domina mulier excitavit. Os illud aureum divina Pytho, Pauli medulla, hoc est, Chrysostomus, è sede Antiochena in Constantinopolitanam evocatus, ut Urbs princeps *Joannes Chrysostomus.*

princeps eloquentiæ principe lætaretur, cùm vehementiùs in mulierum vitia, præſertim Eudoxiæ impotentis ambitione fœminæ inveheretur; indignata mulier privato non eſſe obſequium quod Auguſto, per Theophilum Alexandrinum Præſulem coactá Synodo, relegat in exilium Joannem, quem jam in civem cœlum ambiebat. Pòſt redditus quidem populi ſtudiis, ſed ſuo etiam zelo reſtitutus, cùm Eudoxiam & de ſtatua, & de prioribus vitiis increparet, iterum extorris urbe, Comanis periit acerbitate cuſtodum. Superſunt viri monumenta, quæ laudare vanum eſt, cùm Chryſoſtomi ſint.

Arcadij mors. In ſcelus unum Deum admiſit vindicem: nam anno proximo Eudoxia morte miſerabili rapta eſt, etiam prægnans, & emortui fœtus ſepulchrum vivens. Quin & ſuâ morte pœnas conjugis pependit Arcadius, anno vitæ 31. Imperij, vel ſui vel alieni 11. Nec pœna Auguſtæ in geminâ morte conſtitit; ejus ſepulchrum aſſiduo motu concuſſum eſt, donec revocato Joannis corpore conquievit. Dixeris pugnare terram in cadaver, nec bellum deſinere, niſi reddita pace in Joanne.

Honorius Honorio diuturnior fuit Occidentis adminiſtratio, ſed non tranquillior; quamvis penes ipſum titulus, res unius Stiliconis fuit. Is ut neceſſitatem ſui faceret, bella continuò fovit aut peperit. Gildo Africæ Comes conſiliis ejus inſcius favit, qui in Honorium rebellans, *Stilico.* primæ victoriæ locum dedit. Quam ut Stilico levi diſcrimine reportaret, Maſcelezem in Gildonem

Gildonem fratrem armavit, germanóſque quaſi in arena committens, poſt Gildonem victum & necatum, victorem occultis inſidiis interemit; nempe veritus ne quis uno ſe flagitioſior foret. Incendit animos palma celebris de Rhadagaiſo, qui ducentis Scytharum vel Gothorum millibus Italiam invadens, in anguſtiis Feſulanis à Stilicone concluſus, morte vel ſervitute exercitus, temeritatis pœnas exſolverat; tantâ quidem ſtrage, ut quibus captivis ferrum pepercerat, paſſim peſtilentia quaſi viliſſimis pecudum gregibus vitam eriperet. At ſæpè Imperiis, ſi victor eſt malus, viciſſe nocuit: Stilico ut rem inceptam perageret, Barbaros omnes quos habebat in poteſtate, tentaturos Rhenum evocavit, in iis anguſtiis Eucherio filio extorqueri poſſe purpuram ſperans. Hæc ambitionis pœna graviſſima; ut ubi ſe putat contigiſſe faſtigium, præcipitetur in infima; Stilico in exitu conſiliorum Ravennæ occiſus, & Eucherius cui dibapha texebatur, Romæ necatus tantâ militum irâ, ut in Gothorum uxores & liberos ferrum eductum; inimicæ gentis ſemen exſcinderet.

Fruſtra tamen iram exprompſeris, ſi infirma ſit; ſibi plus noceat vindictæ ſpecie, & hoſtium dubium furorem provocet. Gothi omnes, qui palabant, fuſi per Gallias Alarico Duce, rem inauditam orbi, aggrediuntur. Rectâ Romam contendunt, illámque Mundi dominam poſt Gallicam cladem annis ante nongentis *Alaricus*

nongentis intactam vel Annibali, arctissimâ premunt obsidione. At expugnatam ne ambigas, propugnabat Honorius; is nec obsessam juvit auxiliis, nec captam prosequutus est lacrymis; imò & recedenti Alarico negata pax ut impugnaret iterum; & de Gallina Imperator sollicitus; ô lusum mortalium rerum! Romam captam risit. Id contigit anno Christi 410. ipsius conditæ 1163. ne miretur Orbis se in partes distractum, avulso capite. Urbs triduum spoliata, sed modestiâ barbaris rarâ; dicas reverentiam Dominæ nondum extinctam, nec servis ut captæ illuderent natam audaciam. Alaricus aliquantò post in Siciliam tendens morte subitâ interiit; quasi nihil dignum foret post Romam captam quod gereret.

Placidia. Inde ruina jam præcipitantis stetit Imperij, nam Ataulphus Alarici successor, amore captus Placidiæ sororis Honorij, eáque in uxorem ductâ, pace Honorio & Imperio concessâ, Hispaniam constituendi regni gratiâ petiit. Ita, quod mirere, forma muliebris servat Imperium, & semel amor multa post secula frugi fuit. Providit & Deus Honorio Ducem, qui perditis rebus opem ferret; is Constantius qui profectus in Galliam: Constantinum Constantem filium, & Jovinum; invasores purpuræ, necavit: jam Attalo per Gothos, & Heracliano per Marinum, ejusdem rei vel ambitionis vel crimi-

Constantius. nis; interemptis feliciter. Mox Placida post Ataulphi mortem Honorio reddita, junctique

que Conſtantio, ipſi in victoriæ præmium. Imperij conſortium & filium Valentinianum peperit; ſed brevis utriúſque fructus, cùm paulò poſt morbo perierit. Tandem Honorius anno ætatis 40. Chriſti 425. hydrope moritur; jam undecúnque Barbaris Romanam illam Togam diſcerpentibus. Quis eum Theodoſij Magni filium credat; niſi in uno quod Pater non quæreret regna filius perderet.

Et ne qua lues huic ſæculo deeſſet; ortus Pelagius Brito, monſtrum turpiſſimum, qui ut hominem dominum ſui faceret, Divinam gratiam extinctam voluit; cui tamen ſervire vera libertas eſt, & perfectum Arbitrium ſi cum Deo ſentit. Nec Hydræ ſuus defuit Hercules Auguſtinus; huic de gratia credendum maximè, cujus ipſe Trophæum eſt ætatibus omnibus perilluſtre. Suas etiam ſtellas illa nox habuit; ætatem ferream Poëtis mitigantibus, Prudentio, Sedulio, & Paulino; inter quos Claudianus ut in ignibus minoribus Luna, tantùm eminuit ſuavitate & elegantiâ carminis, quantùm argumenti granditate deceſſit.

Pelagius.

Claudianus.

Sub Honorij finem varia in Imperio Romano nata ſunt Regna, ſed ut in aliis rebus ex alieno interitu: ſive peregrinis gentibus Romæ rapientibus quod ipſa ſingulis olim rapuerat. Primi Burgundiones, ex plurimarum nationum colluvie contracti, à Conſtantio pacem & ſedes occupant, apud Helveticos & verſus Rhodanum, anno Chriſti

Burgundiones.

413.

Digitized by Google

413. regnúmque Burgundionum constituunt; cui deinceps accedet lato incremento; Comitatus Burgundiæ, Sabaudia, cum Provincia. Et felicitas summa regni primordia fortunavit; cùm ab Utparo Hunnorum Rege oppressi, appellato Deo Christianorum, eúsque salubribus aquis mundati, congressi statim cum Hunnis, eorum 30. millia victores perimunt: fortiores victoriâ Dæmonum quàm Hunnorum.

Francorum regnum.

At Anno Christi 420. ortum est regnum longè illustrius Francorum in Gallia. Primus illorum Rex Pharamundus (sive Rhenum trasiniserit, sive successores) legibúsque sanctis Monarchiâ positâ, quæ Deo clavum in procellis gravissimis moderante, stat etiamnum post annos 1230. & ad Mundi exitum quantùm conjicere licet perdurabit. Perpetuâ Regum serie ad Ludovicum 14. ordine 65. devoluta; sperat in eo paternam avitamque gloriam instaurandam, nec à Deo datum nisi ad summa.

Hispaniæ regnum.

Anno proximo Vallia Gothorum Rex, Ataupho suorum dolo Barcinone perempto, in Hispania condidit Regnum, deinceps monumentis pluribus celebrandum; quamvis Vandali Bæticam occuparent, unde Andalusia, & Alani cum Gothis sedem in Tarraconensi fixissent; quæ Gothalania, post Catalonia. Ita nascebantur proxima tempore, futura quondam diversissima studiis Regna, & æmulatione imperij distracturа Orbem in partes. At placet omen; quod

quod Francicum vel anno vetuſtius eſt, ſuiſque duntaxat populis non aliorum miſturâ ponitur.

Confertur etiam in annum Chriſti 422. Scotici regni primordium; Scotis in majoris Borcali parte ſub Ferguſio Rege ſtabilientibus Imperium; quod hactenus per Reges plurimos jactatum procellis innumeris perieverat. *Scoticum.*

Interea in Oriente Theodoſius octennis puer Arcadio patri ſucceſſerat, anno Chriſti 408. aliena prudentia domi foriſque infeliciſſimis Principum. Domi inſtituebat ſoror Pulcheria, & ad mores ſuos religioſiſſima Virgo conformabat; foris Iſdigerdes Perſarum Rex, datus ab Arcadio tutor novo exemplo, Orienti pacem conſtituebat, quia non turbaret. In hac rerum tranquillitate adolevit Auguſtus, donec turbæ domi & foris natæ, humanæ ſortis exegere ſtipendia. A Barane Pertà natum bellum, qui Chriſtianis infenſus Iſdigerdis indultu multum propagatis, apud Theodoſium profugos repopoſcit armatus. Ut honeſta belli cauſa, ſic exitus felix: Ablegato Ardaburio Perſæ victi: phalanx illa immortalium morte deleta, & centies mille terrore perculſi, dum fugiunt, in Euphratem obvium irruentes, ſtitêre fugam cùm ſpiritu. Et ab hoc prælio pax certa impoſterum: nam ut à bello lento pax incerta, ſic à truculento firmiſſima; cùm vel utrinque tædium, vel ab altero infirmitas ſit. Palladius eques *Theodoſius junior.*

uno

uno triduo è Mesopotamia Constantinopolim victoriæ nuntium tulit ; volare dicas non currere, ipsámque Victoriam alas commodasse.

Nestorius. Domi pugnatum acriùs, & debellatum lentiùs, ad tutelam vel regiminis vel religionis. Prior tumultus à Nestorio præsule Constantinopolitano, qui blasphemo ausu, cùm in Christo duas personas adstrueret, Mariam hominis matrem non Dei affirmans, Ortodoxam fidem perditum ibat. Inde tertia Oecumenica Synodus coacta Ephesi, anno Christi 431. ubi à ducentis Episcopis damnatus Nestorius, & curâ Pulcheriæ dejectus, ac in Oasim Ægypti relegatus, in malo pervicax, corrosâ vermibus linguâ interiit ; ante mortem expirans sceleratissimâ corporis parte.

Concilium Ephesinum.

Nec pœna Nestorij aliquot post annis deterruit Eutychem Constantinopolitanum Archimãdritam, quin novæ auctor hæresis, assereret in Christo unam esse Naturam unámque voluntatem ; adeóque mendacium veritatem pressit, ut in Synodo prædatoriâ Ephesi habitâ, anno Christi 449. præsidente Dioscoro Alexandrino, lupo inter oves truculentissimo, laudatus. Eutyches, asserta hæresis, Flavianus sanctissimus vim inclamans extrusus, & calce ictus Dioscori triduò mortuus, temporum calamitatem incusent ! Eâ rerum mortalium varietate, ut Ephesi eâdem in vrbe eodem sub Principe, & veritas regnet & pereat. Sed ab aulicâ lue tantùm

Eutyches

tantùm mali ortum: nec enim Theodoſiùs ab domeſticis tumultibus liber: quippe inter Principes de regni finibus contentio eſt, inter Aulicos de ipſo Principe.

Soror & conjux de Theodoſio contenderunt. Soror Pulcheria rectæ adminiſtrationis conſcia, ne fratris animus ageretur tranſverſum clavo hærebat. Eudoxia conjux, tametſi Pulcheriæ deberet & conjugem (hæ enim Athnias Leontij Philoſophi filia, quæ corpore animóque cultiſſima, ex ſumma inopia ad Auguſti thalamum per Pulcheriam erat evectâ) ea tamen ut ad ambitionem prona eſt mulier, quo propriùs â ſummo diſtabat, eò ardentiùs flagitabat. Inde diſſidia, & ſpecie religionis Jeroſolymam profecta Eudoxia; inde à reditu per Chryſaphium potentem Eunuchum remotâ Pulcheriâ, & gynecæo inclusâ. Sed ea poſtmodum revocata, Chryſaphius multatus exilio, & Eudoxia unius pomi dono ſuſpecta Principi, Jeroſolymam iterum ſeceſſit; exemplum poſteris duabus feminis non convenire Imperium. Ita regens alieno ductu Theodoſius, equo delapſus, ex luxatione morbo contracto, quinquagenarius obiit, anno Chriſti 450. moderatus & temperans, pietatis litterarúmque ſtudioſus; ſed ſororius uxoriúſque, nullo boni diſcrimine. Theodoſianum Codicem edidit, novarum legum præclarum exemplar, veterúmque emendatorem in pluribus.

Pulcheria.

Eudoxia.

Theodoſius.

Sub

Trisagion. Sub hæc tempora tanta fuit Deo mortalium cura, ut eos modum orandi doceret, adolescentulo in aërem sublato, quasi in Scholam, ubi Angelis magistris edidicit solemne illud Trisagion, in terris postea seculis ultimis decantatum. Nec in Simeone Stylita miraculum minus, qui in columna excelsissima omnis pene mortalitatis expers annos plures egit; nova ipse patientiæ columna; saxum enim dicas, nisi quod ulceri sensum præbuerit; de cælo tactus animum egit, ignem terrestrem sanctissimâ victimâ repudiante.

Simeon Stylita.

Valentinianus 3. Anno Christi 424. Valentinianus ad Theodosium sobrinum cum Placidia matre confugiens, ab eo Cæsar postea Augustus Occidentis effectus est: missusque Ardaburius, qui Joannem scribam post Honorij obitum invasorem Imperij, fultum Castini præclarissimi Ducis præsidio, throno depelleret. Primùm quidem Ardaburius Ravenæ inclusus, sed inde ab Aspare filio non sine miraculi specie liberatus, Joanne oppresso, Castino extorre, Valentiniano sanxit Imperium. Duo adolescentuli designati Duces, quorum consilio regeretur, Bonifacius & Aëtius, eximij, nisi communem operam privatus ambitus intervertisset; data Bonifacio administratio Africæ, Aëtio Principi. Sed is consortis impatiens, qui non modò primus sed solus esse contenderet, Principem in Bonifacium, Bonifacium in Principem occultis artibus sic incendit,

Digitized by Google

incendit, ut Bonifacius Valentiniani odio, Genſericum Vandalorum Regem ex Hiſpania in Africam evocaverit ; vel ulturus injuriam , vel inſtauraturus benevolentiam.

Facilius non admittitur hoſtis quàm expellitur ; Genſericus Africam ferro & flammis vaſtatam ſub jugum mittit , dolóque Aëtij pateſacto, Bonifacium ſerò pœnitentem, prælio victum expellit Africâ , novo ipſe potitus imperio. Bonifacius interim in Italia vincit Aëtium, & paulo poſt morbo extinctus , locum æmulo relinquit vacuum, Aëtiúſque poteſtati primæ reſtitutus ; malo exemplo , ſed plerúmque neceſſario , ut gratia Principis autoramentum ſit criminis. Ita utcúmque Valentinianus ſe tuetur , conjugio Eudoxiæ Theodoſij filiæ, & Aëtij virtute poſt Francos Clodione Rege à Gallia pulſos , & Theodoricum Gothorum Regem obſidione Narbonis. *Genſericus.*

Sed ecce tempeſtas horribilis, Hunnorum Rex Attila ad Europam obruendam inſurgit. Jam ante Thraciam & Illyricam ſævè populatus, ingenti auro à Theodoſio delinitus, ad ſua receſſerat ; ubi Bledæ fratris cæde ferocior potentiórque , gentes innumeras in bellum trahens , nempe ſeptingenta hominum millia , ſe Dei flagellum nuncupans, cæcâ Juſtitiâ, ſeu potius oculato furore ; nullo delectu , ſibi cruore litabat omnium. Inde Romani & quibus regna in Romano ſolo, Franci, Gothi Burgundiones, *Attila.*

Burgundiones, Alani, communis metu periculi, vires consociant, ad communem pestem repellendam, Aëtio Duce, pugnantibus ejus auspiciis, Meroveo Francorum, Theodorico Gothorum, Gunderico Burgundionum, Sangibano Alanorum Regibus; in campis Catalaunis in Gallia, anno Christi 451. pugna conserta, cui vix par ulla veterum. Fuisse horribilem cæsa utrínque 162. millia hominum docent: præter 90. millia Francorum & Gepidarum, qui nocte pugnæ prævia sibi occurrentes, quasi ad præludium mutuis vulneribus conciderunt. Victum Attilam constat, quod munitis castris se continuerit: solitúsque hactenus aliena claustra diffringere, sibi sua opposuerit. Aëtius pepercit victoriæ, sive tantæ gloriæ splendore offusus: sive pontem aureum fugienti sternens, nec furiosum desperatione armandum ratus: sive Gothos veritus, ubi nullus eos coerceret hostis, sive necessitatem sui facturus, dum superesset hostis quem vinceret.

Leo Magnus.

Attila dilapsis Gothis securior in Italiam tendit, novóque furore incensus, Aquileiâ Mediolano, Ticino everſis, cum Romam peteret, novam sui victoriam præbuit. Occurrit Leo Pontifex Maximus, ac solâ veneratione armatus, ore Sanctissimo quingenta hominum millia repræsentans ita truculentiam viri vel mollivit eloquentiâ, vel animi fortitudine fregit, ut Hunnis perterritis, omissâ prædâ facillimâ, Italiâ abscesserit:

Digitized by Google

abſceſſerit. Hanc victoriam Dei non hominis faſſus eſt Attila, viſúmque Senem interminantem fulgente gladio. Sanè is Leo fuit & religionis virtutúmque omnium ſtudio, & Chriſtianæ eloquentiæ facultate; & inconcuſſo animi robore, ut in ſingulis Magnus, dignus fuerit per quem tantam victoriam, de crudeliſſima bellua cœlum retulerit. Inde Attila quaſi penitus fractus, & in Gallia victus eſt à Thoriſmundo, & in ſua Scythia vino victus, in ipſo nuptiali toro, ſanguine in fauces illapſo, ſtertens extinctus eſt: in ſommno, vino & nuptiis, inſtrumentis vitæ vitam ponens, tot inter pugnas morti ereptam.

Tunc, anno ſcilicet 451. cùm Italiam in- *Venetiæ.*
feníus peteret, Veneti ejus adventu perterriti, relicto continente, in proximas Inſulas in Adriatico ſinu ſeceſſerunt, ratíque procellas maris tutiores Hunno ſæviente, inter fluctus urbem poſuerunt firmiſſimam, ſitu admirabilem, futurámque rerum gloriâ maximam. Hæc Urbs Venetiæ, quæ Romanæ Reipublicæ quaſi repudiatam à gentibus hæreditatem cernens, illius virtutes, fortitudinem, conſtantiam, opes, & luxum aliquando, incremento magno exſcripſit.

Aliquot antè annis Angli à Britannis in *Angli.*
auxilium evocati, ad Pictos & Scotos repellendos, è Saxonia profecti Scotos quidem fugarunt; ſed religionis alecti commodis, ex hoſpitibus Domini, iiſdem armis quibus Scotos depulerant, Britannos ſubi-

gunt regnúmque conſtituunt, tot in poſterum tumultibus actum, ut non in inſula, ſed in ipſo mari poſitum aſſeras.

Valentiniani mors.

In his novis regnis maximi omnium clades imminebat, nempe Romani, Valentiniano dolo Anicij Maximi interempto, anno Chriſti 455. Occaſio impudicitia, Imperiorum omnium peſtis; violatâ ab Auguſto uxore Maximi, ardens irâ maritus ut adulterum perderet, ipſum prætextis calumniis, ad dandam Aëtio mortem inducit, quo uno Imperium nitebatur; nudúmque munimento per ſatellites agreſſus, in campo Martio curat occidi; ætatis anno 56. cùm ſapere tot Imperij cladibus malè didiciſſet.

Scriptores.

Ferreum tamen ſeculum præclariſſimis viris deſtitutum non eſt, nam ut Græcos omittam, in quibus Socrates & Sozomenus res geſtas conſignarunt hiſtoriis; illuſtrarunt Gallias Proſper Aquitanicus, Vincentius Lirinenſis, Eucherius Lugdunenſis, & Salvianus Maſſilienſis, ſuaviſſimis querelis & ipſo melle conditis ævum incuſans. Fuit & Caſſianus vitæ Monaſticæ inſtitutor, in ſpiritualibus rebus perſpicaciſſimus, niſi quædam labes doctrinam viri aſperſiſſent.

Pulcheria.

Anno Chriſti 450. Pulcheria cui Theodoſius Martianum in virum delegerat, eidem nupta dotale imperium transfert, integrâ tamen virginitate, & quod in femina rariſſimum, admiſſo conſorte regni non thalami. *Concilium Chalcedonense.* Sextum Concilium Calcedone indictum

dictum, ad delendam Ephesinæ Synodi infamiam; in quo magno omnium consensu damnatus Eutyches, ejúsque fautor Dioscorus; & asserta duplex in Christo Natura, Divina & Humana, priorum hæresum extinctione. Quo veluti fastigio præclaris rebus impositò, Pulcheria anno 54. vitam obiit, gnara maximè religionem politiæ adjungere. Divinâ prudentiâ humanam fulciens, imperandi exemplum, in fratre & Deo nacta materiam & felicitatem.

Martianus quatuor annis superfuit vir militaris; unde calamitatum belli non nescius, movit omnia ne bellum moveret, & Genserico timendus potius quàm spernendus, in Occidentis procellis Orientem pacavit. Donec gravis annis ab Aspare Patricio, ut creditur, veneno sublatus, vitam admodùm Christianam clausit. Thrax erat genere, gregarius olim miles, unde prodigium, in hoc fastigio abesse superbiam; cùm humilitati depositæ arrogantia plerúmque succedat. *Martianus.*

Anno Christi 456. Asparis studio Leoni cessit Orientis Imperium, quod religionis causâ turbatum, ejusdem Augusti religione pacatum est. Nam & Alexandrini Proterio Episcopo nefariè interempto suffectóque Timotheo Æluro pessimo capite, pœnâ affecti; & Petrus Gnapheus vir stolide Eutychianus exulare Antiochiâ jussus. Nec ad bella segnis Imperator, qui Genséricum grassantem contudit; victoriam relaturus, nisi *Leo I.*

Digitized by Google

liſcus Verinæ Auguſtæ frater, cum mille navibus in Africam miſſus, vel ignaviæ vel proditioni prius ſe objeciſſet, quàm Genſerico vincendum. Et Aſpari ſolvit mercedem imperij, pœnáſque criminum: filium enim ejus Ardaburium creavit Cæſarem; utrúmque poſtea tentatus inſidiis Patris interemit; ac deſignato ad imperium Leone puero, ex Ariadna filia nepote, Zenonis generi ſpretâ turpitudine, alvi profluvio deceſſit; cùm in affinibus plura quàm in ſe peccaſſet; ſed in Principe culpa eſt, ſucrum flagitium.

Mala publica. Tunc ab elementis, quieſcentibus hominibus, calamitates illatæ. Antiochiam Syriæ terræmotus horribilis tantùm non delevit; Antiochiam Iſauriæ dehiſcens terra totam abſorpſit; Conſtantinopolis urbium caput quatriduano arſit incendio, & oborto ex candelà in foro relicta, quaſi ad majus ardentis ludibrium; ut urbes dixeris mortalium inſtar agitari morbis & perimi, clades reparata ſtudij conſularis viri pietate, Mo-
Inſomnes monachi. nachorum inſomnium excitato cœnobio, qui per continuas vices nocturnas diurnáſque horas implerent, divinis laudibus decantandis; cœleſtium munus quantùm mortali fas eſt referentes.

Anno Chriſti 455. Poſt Valentiniani cæ-
Maximus. 2. dem Maximo breve imperium fuit, Eudoxiâ conjuge, cui conſilium de mariti prioris nece aperuerat, in vindictam ardente, & occultis litteris Genſericum in Italiam evocante; nempe

nempe mulier ultione flagrans Vesuvius est, per sua detrimenta proximis nocens. Genserico advolat validâ classe, Romámque captam per dies 14. diripit; Maximus in fuga lapidatus, Eudoxiâ cum prole geminâ à Valentiniano susceptâ, Placidiâ & Eudoxiâ multísque captivorum millibus deportatur in Africam; vindictæ libidinem calamitatibus summis rependens. Genserico tamen ne Martianum irritaret, Eudoxiam minorem Hunnerico filio nuptui tradit, matrémque cum Placidia Olybrio paulò post matrimonio datâ, Constantinopolim mittit. Hic est Hunnericus qui crudelissimâ lanienâ Orthodoxos vexavit; donec octavo regni anno, instar Herodis, verminante corpore, se suis dentibus laniavit: supra 400. Christianorum millia morte affecerat impellentibus Arrianis Præsulibus; quibus sanctitas aliena opprobratio erat suæ perfidiæ.

Genserico.

Hunnericus.

Mox in casum præceps ruit Imperium, infirmis duntaxat nixum capitibus, & in ruinam simul præcipitantibus. Nam eodem anno quo urbs capta, Avitus in Gallia se dicit Cæsarem: sed à Romanis explosus, & à Ricimero magistro militiæ comprehensus, in Præsulem inauguratus, post in Gallia mœrore animi moritur.

Avitus.

Majorianus à Leone impetratum Imperium, diutiùs tenuit quàm avitus; nam quadriennio non tam regnavit quàm ut regnaret contendit: donec ab eodem Ricimero,

Majorianus.

quem in auxilium ad Alanos Gallia pellendos evocaverat, perfidioso supra fidem homine necatus est. Nec Severo Ricimeri opera commodior fuit, per quem devicit quidem Alanos in Italiam irruentes; sed cùm jam triennio imperans videretur ævi longioris, ab eodem veneno sublatus est, jam Augustorum trium parricidâ, & omne fati genus in Principibus orbis experto.

Severus.

Anthemius.

Inde cùm Imperium 19. menses vacasset, Ricimere ad nutum omnia constituente; tandem anno 467. Anthemius Occidenti à Leone præficitur; qui aliorum damnis præcavens sibi: collocatâ filiâ Ricimero, spe Imperij demulcere perfidum nititur. Sed anno pòst quinto socer à genero, innocens à scelerato Romæ obsidetur, captúsque occiditur; adeò tenax est consuetudo criminum, & flagitiorum nullus est cumulus. Ricimero tamen tot scelerum præmium raptum est illicò, paucis pòst diebus obeunti ex morbo; Deo pœnas scelerum protelante, eò graviores, quò excluſa pœnitentiâ longiores.

Ricimer.

Olybrius.

Olybrius Placidiæ conjux degustavit Imperium; sed quarto mense obeunti, Glycerius anno Christi 473. Ravennæ succedit, qui Gothis ingenti mercede delinitis, regnavit triennio; donec à Julio Nepote motus Imperio, Salonensis Episcopus factus, pœnam tulit, quæ multorum quondam votum fuit. Sed anno post altero Nepotem Orestes Patricius exercitu instructus in Dalmatiam relegavit, ubi Glycerius agebat

Augustulus.

Præ-

Præſulem, & Momyllum filium creavit Auguſtulum dictum; malo ſanè omine, cùm anno ſequenti ab Odoacro dejectus ſit; finémque habuerit Romanum Imperium; in Julio Cæſare conditum, totius propè orbis ſtrage, cùm ſtetiſſet 525. & eò deſierit illa Reſpublica terrarum potens, ut Barbarorum omnium ſuorúmque prædâ, nec qui imperaret, nec in quem regnaret habuerit: ne ſui quidem pomœrij domina, cujus fines orbis vix capiebat: adeò Dei eſt perennitatem conferre Imperiis, & præſtare per tot rerum vices ſtabilitatem.

Barbari interea ex aliorum damnis promoti, regna ubique conſtabiliebant, Merovæus tranſito Rheno, eam Galliæ partem, quæ à Francis dicta eſt Francia occupat, regníque ſedem Pariſiis collocat. Ea nempe urbs, quæ olim Inſula fluente Sequanâ circumſcriptâ, nunc longè latéque ad utramque annis ripam effuſa; nulli ſecunda urbium, penè eſt omnium Princeps: quæ ſtupor orbis, naturæ compendium, artis officina, doctrinarum fundus, quidquid extra quæras una complectitur. *Pariſij.*

Nec occaſioni parcunt Burgundiones, pervadentes Galliam Lugdunenſem: Gothi pariter Suevis in Hiſpania profligatis, Aquitaniam ſibi adjungunt: ægrè Romanis Galliarum media tuentibus, dum hinc inde limites revelluntur.

Iis tamen levis ſpes affulſit in Childerico extorre: qui à Francis ob incontinentiam *Childericus.*

regno ejectus, & ad Turingiæ Regulum profugus, anno Christi 456. vacuum Ægidio Romano thronum reliquerat: sed octo post annos Vinomandi amici operâ, desideratus à suis & revocatus, Ægidij spem decollavit: & ab exilio didicit quod nulla prosperitas docuisset, continentem esse & frugi.

Sidonius. His temporibus Sidonius Apollinaris Gothicas tenebras illuminabat, Avito affinis, nobilitatem stirpis splendore ingenij supergressus; stylo tamen forreo, & qui Gothos saperet multa perscribens: unde calamitatem temporum defleas, quibus abjudicato Tullio placebat Sidonius: affirmésque verè Romam barbaram quæ sic loquebatur.

Zeno. Anno Christi 474. Zeno Leone filio statim mortuo invasit Imperium, nec aliter gessit quàm ceperat, tam animo deformis quàm corpore. Continuis tamen exercitus plagis emolliri potuit, ni induruisset. Primum à Basilisco Verinæ socrus fratre solio pellitur, & cum uxore Ariadna apud Isauros latens ægrè vili olere famem sedat. Sed cùm Basiliscus, præter vitia Zenonis adjungeret hæresim, Armato Duce cum exercitu ad Zenonem transeunte, rebus conversis, ipse fit captivus, Zeno Augustus. Qui memor inediæ in Isauris perlatæ, Basiliscum cum liberis castello inclusum fame peremit; novo supplicio Regibus, & à veneno tutissimo; ut quibus esset rerum omnium copia ij interirent defectu vilissimæ.

Nec Armato proditori Zeno commodior

cujus

cujus filium ut promiſſis ſtaret Cæſarem dixit: at ſtatim ut proditorem plecteret, Patrem interfecit, natúmque exautoravit, ſacris addicendo, ne patrem unquam poſſet imitari. Plures alias vitavit inſidias, donec acutiore morbo vel ebrietate ſummâ correptus, tanquam exanimatus, ſepulchro illatus juſſu Ariadnæ: cùm poſtea ſenſum recepiſſet, ne quidquam vociferatus, verè interiit. Nullum unquam ſepulchrum letalius, ante mortis index, nunc cauſa: nec in hoc quieſcere ſolemni voce inſcripſeris, ſed agi, deſperare, & furere.

Digitized by Google

FLORES MALI GRANATI.

AREOLA XIII.

Ab Odoacro ad Carolum Magnum.

Pluva in Europa ſtabiliuntur Imperia; Francicum, Hiſpanicum, Anglicum, aliáque florum inſtar; qui mali Punici ornant cunabula. Dum Græci Porphyrogeniti naſcuntur in Purpura, & ipſi Diademati in cunis. At plures eorum evaneſcunt in auras, nec omnis flos ſe è corona in pomum induit.

Odoacer. ANno Chriſti 476. Odoacer Herulorum Rex, à Nepotis amicis in Oreſtis odium accerſitus, pervaſit Italiam, & Oreſte occiſo Romam cepit.

Digitized by Google

pit, hoc ſeculo tertiùm, analecta Vandalorum legens: & dignitate expuncta Conſulum, Auguſtorum exploſo titulo, regnum Italiæ primus conſtituit, & ne umbra regni Romæ ſupereſſet, ſedem Imperij Ravennæ poſuit. Sed occultâ Dei providentiâ, Pontifici ſummo Urbem comparante, quæ abdicatâ vetere ſanctior novâ ratione terris imperaret.

Anno Chriſti 491. Ariadna Auguſta Anaſtaſium humili munere Silentiarij fungentem, ad nuptias ſuas thronúmque evexit. Is Dicorus dictus, ob pupillas oculorum dicolores, nomen implevit, vitæ maxima diverſitate; nam primordia boni Principis, cætera peſſimi. Euphæmio Patriarchæ Syngraphum dedit de tuenda Synodo Chalcedonenſi; Chryſargyrum tributum ignominioſum è meretricibus collectum ſuſtulit; Magiſtratus vendi prohibuit; & ſpem ſui magnam concitavit. Quin & bello non inutilis, Longinum Zenonis fratrem acie vicit; Cabadi Perſæ Amidam extorſit, & Daras Anaſtaſiopolim dictam munivit, & ampliſſimo muro Barbaros à Byſantino freto diſcrevit. Sed virtutis larvam vitium ubi tutum eſt, deponit illicò. *Anaſtaſius.*

Paruit Anaſtaſius, cùm poteſtas invaluit: Palàm Eutychianorum fautor Orthodoxos vexavit; Euphemium & Macedonium Sanctiſſimos Patriarchas urbe ejecit, ſuffecto Timotheo viro turpiſſimo, Triſagio addidit, qui crucifixus es pro nobis, quaſi Deitas paſſa

passa esset; Severum hæresiarcham Antiochiæ intrusit, Hormisdæ legatis interdixit Græciâ; id unum enitens ut orbem perderet, & vulgata pestis in plures nocentior esset. Adversa tamen aliquot passus est, ut resipisceret. Nam Vitalianus urbem classe obsedit, & gravissimas seditiones populus pro tuenda fide concitavit; sed Vitaliani classem exussit, Procli arte Mathematici vel Magi, sedavit populum perfidâ fide palam Diademate posito culpam deprecatus. Ita elusit homines neutiquam Deum, à quo tonitru territus, cùm per cubicula amens discurreret; ictus fulmine animam misit; anno Imperij 27. vitæ supra octogesimum. ab hoc telo nulli custodes, nullæ phalanges, Principes tegunt.

Theodorieus. Anno Christi 493. Nova in Italia regni mutatio à Theodorico Ostrogotorum Rege (nam Gothorum Orientales Ostrogothi, Occidentales Visigothi dicti) qui Odoacrum 17. annis regnantem, & biennio Ravennæ obsessum, accitum dolo ad convivium interemit. Hic Theodoricus ante imminens Orientali Imperio, à Zenone fortitudinem viri extimescente, blanditiis muneribus, & honoribus satiatus, destinatus erat Occidenti in Herulorum perniciem. Quibus victis, & regni sede Romæ restitutâ, belli pacísque artibus præclarissimum Principem egit; Orthodoxæ fidei quantúmvis Arrianus fautor: urbem ornavit ædificiis, Italiam instruxit legibus, Pannoniam armis

armis edomuit; ac longè latéque propagatis vel Imgerio vel Imperij gloriâ, terrori vel admirationi omnibus fuit.

Et annumerandus in Theodorici bonis Cassiodorus, ipsius maximum ad amplitudinem instrumentum, consilijs agenda dirigens, & doctissimis scriptis acta illustrans; simul Principi suo Agamemnon & Homerus. Vir doctrinâ magnus, sanctitate penè par; benè apud posteros styli gloriâ meritus, at meritissimus exemplo; quò negotiis aulicis extricatus; Deo uni intendens, se claustro abdidit, cujus angustiæ Mundum excludunt, ut cœlo pateant. *Cassiodorus.*

Nec in solis Gothis majestas Imperij, & in Francis eluxit: imò major quo Deo nixa securior. Nam Clodovæus Chilperici filium anno Christi 496. Christianam fidem susscepit; Rhemis à Remigio undis ablutus, ex voto quo se Tolbiacâ pugnâ adstrinxerat. In unctione Ampullâ delatâ cœlitus, prodigium fuit omnibus seculis, cujus liquor effusus plus quàm sexagies, nullâ humanâ ope restitutus, regni cui conditus est durationem fovet aut sequitur, Inde Christianissimorum titulus Regum, ut modestissimus sic illustrissimus, in humilitate fastigium gloriæ, & à vero fonte claritudo. Inde victoriæ Clodovæo partæ: prima in Gundebaldum Burgundionem regno multatum: altera in Alaricum Visigothum non regno modò sed vitâ orbatum, & ne quid ad laudem deforet, in ardore *Clodovæus.*

prælij

prælij dextrâ victrice. Prærogativa Francorum, quibus Rex unus implet exercitum. Et Deum fuisse in partibus docet, Cerva Vigennæ vadum præmonstrans, & Encolismæ muri sponte corruentes, ut felicem Clodovæum dicas, cui Deus pro cuniculo ac pro ariete esset.

Clotildis. Clotildi tamen multùm Galli debent, multùm orbis, quæ primùm conjugem suavitate morum excuravit, dein pietatis sensu perstrinxit, post victorem Tolbiacâ pugnâ triumphavit, ut antè Francus Deum conjugis quàm Christum noverit, & feliciter uxorius religionem à toro hauserit. Ea Clotildis quæ postmodùm sanctitate morum insignis, tam privatim pia quàm publicè, præibit posteris, quid Reginæ pati possint, quid agere.

Justinus senior. Anno Christi 518. Justinus Trax, è Subulco miles, magno fortunæ lusu, alienâ pecuniâ sibi emit imperium, gessitque aliter quàm paraverat, fortiter ac religiosè. Hæreses in hæreticis quantùm potuit extinxit, ac Severum illum antesignanum Antiochiâ pulsum, coëgit prævertere fugâ supplicium. Nec segnius in Persam Cabadem bella suscepit; eximiámque de Zeliobe Hunnorum Rege vindictam tulit, ad Persas transfugâ suarúmque partium desertore, quippe monitus de proditione Cabades Hunnum cum 20. millibus interemit, pacémque Justino reddidit: ita fides à proditoribus violata ipsos prodit, rependítque legem

legem talionis. Sed deinde propter Regem Colchorum redintegratum bellum, in cujus apparatu tam Justinus decessit quàm Cabades, legatâ heredibus necessitate pugnandi. Græcis tamen multùm sine bello militum periit, sive Constantinopoli, scurrilem ob causam, factione Venetorum tumultuante, in Prasinos; adeò scintilla parit incendium, sive Antiochiæ, terræ motu tam horrendo, ut suprà quadringenties millia civium obruta fuerint, corruentibus ædificiis, extremâ calamitate, ubi sua cuique domus sepulchrum est.

At Justinus ut Colchorum Regis tutelâ piissimâ Persas commovit, ita justâ Hæreticorum persecutione Theodoricum irritauit, adeò nullum mortale bonum sincerum est. Nam Theodoricus ut irritam apud Justinum legationem advertit, à virtutibus degener, Joannem summum Pontificem legationis principem Ravennæ in carcere squalore & inediâ necavit, Symmachum & Boëtium Consulares viros truncavit capite, passimque sæviit in Orthodoxos. Nec ultio Divina diu protelata; oblato in cœna piscis ingentis capite, cùm sibi objectum Symmachi caput exsertis dentibus minans exclamaret, correptus maniâ periit, anno Christi 526. regni 33. justa primordia teterrimo exitio corrumpens. Sed rara fides hæreticorum virtuti nec apud homines constat quæ Deo imponit. *Theodoricus.*

Boëtius verè ultimus Romanorum, tantò *Boëtius.*

Brutis

Brutis & Catonibus major, quantò veræ virtutis tenacior: non peremit Imperatorem nec ſe: tam illum affligentem tulit quàm ſe afflictum; ſuóque & alieno fato expectato: à Philoſophia conſequutus eſt quod illi à pugione ſperabant: Poſterorum intererat calamitoſum eſſe Boëtium, ut ad eos tanta ſolatia pervenirent.

Juſtinianus.

Anno Chriſti 527. Juſtini ex ſorore Nepos Juſtinianus ab avunculo deſignatus capeſſivit Imperium, ſummæ famæ Princeps, ſed alienâ gloriâ partæ, nam per Beliſarium & Narſem triumphis, per Tribonianum legibus, per tributa ædificiis celebris, Conſtantinopoli immotus terrarum orbem percurſat. Primus Beliſarius, novus Pompeius de tribus terrarum partibus lauream retulit. In Aſia Coſtoem Perſam ſæpè victum ad pacem adegit: in Africa Gilimetem fratri Hilderici peremptorem, victum & captivum Conſtantinopolim miſit triumphandum, regnóque Vandalico extincto, Romanis Aquilis Carthagine receptis, intermortuam Imperij gloriam ſuſcitavit.

Beliſarius.

Gothi victi.

In Europa pro laborum modo claritas major, & in Italia vindicanda Juſtiniani felicitas & Beliſarius totus impendendus. Amalaſuenta Theodorici filia regnum Gothicum pro Athalarico filio adminiſtrabat; eo mortuo, Theodaato nupſit: à quo pernefas in balneo ſuffocata: data Juſtiniano belli occaſio, ut in alieno plectente crimine, quod jam in Africa ſuam rem ageret.

Deo

Deo tam ſceleratus odioſus fuit, quam acceptus vindex; Beliſarius Siciliâ, Neapoli ipſáque Româ potitus, in eâ propugnandâ ſe totum exprompſit: Theodaato occiſo, Vitiges novus Gothorum Rex ſtipatus 150. hominum millibus eam obſidebat: pugnatum eſt ſexagies novies, uno die ad 30. Gothorum millia cæſa: nunquam Româ illuſtrior, nec in Annibalem: Gothi repulſi, & in una urbe domitores Europæ proſtrati. Ab eodem Ravenna Gothorum Roma expugnata, captus Rex Vitiges: ac penitus debellatum foret, niſi Coſroe Orientem turbante evocatus ab Auguſto Beliſarius: ac repudiato Gothorum quod offerebant Imperio, vir fortiſſimus tam ſpernendo regno quàm parando, laboréſque amans non præmia, ad revocantem properaſſet: inſtauraturus Perſicas palmas. Mediolanum tamen à Gothis captum & exciſum, cæſis trecentis hominum millibus, barbaræ gentis & victæ parentavit furori.

Amoto Beliſario: in novo Principe Totila quaſi in capite redivivum exſurrexit Gothicum corpus: ſtatim Romani victi, Campania, Neapolis, Samnium capta, ipſáque Roma iterùm Gothica: tantum eſt momenti in capite. Ideò Beliſarius Italiæ redditus, nondum tamen totus: defectus exercitus quem ubi reparavit, Romam recepit: cepiſſétque cætera, niſi tertium ad Perſas miſſus (quaſi manu victoriam duceret) ſe inanem Italiam reliquiſſet Totilæ *Totila.* *Beliſarius.*

Vir

Vir eximius, utriúſque fortunæ tam pugnæ quàm armæ; nam cùm jam incurvus ſenio repuliſſet Hunnos à Græcia, mox ſcopus invidiæ præclariſſima quæque appetentis, in obſcurum carcerem ſplendidiſſimæ gloriæ lucem tulit; ſed detersâ calumniâ clarior, ſepulchro intulit intemeratam in principem fidem, & victorias de orbe toto non ſemel relatas. Vno minor, quòd Silverium ſummum Pontificem, ut Theodoræ Auguſtæ faceret gratum, indigniùs habitum Conſtantinopolim miſerit; adeò nihil mortale eſt, quin labem contrahat, nec Achilles ullus ſine talo.

Interea Totila, per abſentiam Beliſarij, non Italiam modò, ſed ipſius ſuburbium Si-
Narſes. ciliam invaſerat; cùm Narſes dux novus, propemodùm femina, & ab gynæcæo ad bellum miſſus, anno Chriſti 552. animo vitium corporis emendante, Siciliam recipit, Gothos pugnâ vincit; eóſque, Totila & Teiâ Regibus diverſis prœliis interemptis universâ tandem expellit Italiâ; magno rerum mortalium luſu: cùm ſemivir tot viros vinceret. In ea expeditione magno uſui
Longobardi. Græcis Longobardi: Ij ex Scandinavia quæ Norvegia eſt progreſſi, Alboino duce, Cunimudum Gepidarum Regem tenentem Sirmium & pleráque Dalmatiæ, ingenti proſtraverat pugnâ; occupatíſque occumbentium ſedibus, Narſeti navarant operam in Italia, mox ſibi contra Italiam ipſam navaturi.

Ita

Ita Justinianus alienis inclarescebat victoriis, dum pacis artibus domi ornabatur. Nam cùm per leges vivant Imperia, iis tum novis sanciendis invigilans, tum veteribus in ordinem in tanta congerie redigendis, Triboniani Jurisconsulti peritissimi operâ, Codicem & Digesta conscripsit, publicavitque scientiam Juris, evolutam ambigibus veterum, & Ariadnæ filum tot Labyrinthis: eximiam sanè, nisi eam iterum pugnãtium Interpretum sensus prioribus tenebris immersissent. Deinde Salomon novus ædificavit amplissimè; in uno Sophiæ hoc est sapientiæ divinæ Templo, Capitolini Jovis Dianæque Ephesiæ magnificentiam extinguens; ut olim ingemiscentes Ars & Natura exultare tunc viderentur. Quin & religioni studuit propugnandæ; in Concilio 5. Oecumenico Constantinopolitano 2. ad superiores hæreses exscindendas, habito anno Christi 552. visúsque Deus indulgere spatium præclaris dotibus, prorogando in 38. annos imperium. *Justinianus.* *5. Concilium. Constantinopolitanum 2.*

Sed fortasse nemo alius sit, qui tot Pri bona suis vel alienis malis corruperit. Nam ut publica prætereantur incommoda; & bellorum ubíque, & famis in Italia tam atrocis ut cibo essent humana corpora; & pestilentiæ Constantinopoli sic horrendæ, ut vel uno die triginta occumberent capitum millia: Ipse Augustus ab Hypatio conjurato, seditione commotâ propè dejectus, à Belisario per cædem Hypatij restitutus est;

Tribonianum

Tribonianum paſſus eſt impium hominem & avarum, inſtitorem Legum quas promulgabat: per Theodoram impotentem ambitus feminam, nimis uxorius, Silverium Papam de throno ejectum, in Palmariam relegatum in mortem adegit, ſubſtitutum Vigilium pro mancipio habuit; ac demùm in Severi hæreſim præceps: dum Chriſti carnem corruptioni negat obnoxiam; corrupit ipſe tam fœdo exitu ſua primordia, ſenectutis ſtultæ novum exemplar, præclaros triumphorum titulos unâ hæretici appellatione expungens.

Benedictus.

Eo tempore duo diverſi momenti inſtituta illuſtrarunt Occiduas partes. Benedictus, Italus in Caſſino monte vitæ novo genere conſtituto, Monachorum auctor extitit; qui religioſis virtutibus præluceret orbi & mederentur, tam ubere proventu, ut poſt annos aliquot viſa ſit Thebais in Europam migraſſe, calamitatibus mortalium aſylo poſito.

Sericum.

At duo Monachi aliâ ratione celebres, ex Indis in Græciam artem Serici ex bombycibus conficiendi ad incrementum luxus intulerunt; cùm ante felici inopiâ textum ejuſmodi rariſſimum eſſet, nec dum ad corruptelam morum publicatum.

Juſtinus junior.

Anno Chriſti 565. Juſtinus avunculi Juſtiniani ſucceſſor graviſſimis ærumnis parta diſſipavit ſocordia. Primam jacturam auctoritatis eſt paſſus, ut Conſtantinopoli precarius Imperator, cùm ſcelera paſſim patrarentur,

rentur ad Præfectum confugerit, cui administratione urbis conceſsâ, emendandos commiſit alios ſe neglecto; adeò faciliùs ab aliis quàm à nobis virtutem exigimus. Tum Italia ipſi per imprudentiam periit; nam fortiſſimo Narſete exautorato, & ad penſum gynæcæi cum ignominia revocato; vir ante Gothorum victoriâ, nunc ultionis libidine femina, arceſſivit Longobardos, qui quam ſervarant, Italiam perderent, & tot gentium cruore ſuam delerent infamiam: ita dedecus fortis animi telum eſt vel experimentum: quo humana fortitudo læditur, Chriſtiana firmatur.

Novum itaque regnum Italia patitur anno Chriſti 568. deinceps Barbaris ſpoliantibus dominam gentium, nam Alboinus qui in Pannonia conſtiterat, Narſetis promiſſis illectus, Ciſalpinâ Galliâ vetante nullo occupatâ, novi regni ſedem Ticini poſuit, poſt diutinam triennij & ſex menſium obſidionem, á gente Gallia Longobardia pòſt Lombardia dicta, ſtetítque regnum annis 206. tanto tempore crudeliſſimis Barbaris nondum cicuratis. *Longobardicum regnum.*

Alboinus vix Ticino receptus Italiæ delicias morte commutavit, immiſſis à Roſimunda conjuge peremptoribus: dum mulier vindictæ impotens, ob ingeſtam contumeliosè Patris necem, maritum ejuravit, pudore proſtrato Helmichi, deinde quaſi alienum adulterorum ſubjecit gladiis; ipſa poſtmodùm Helmichis ſuúmque futura

ſupplicium

ſupplicium, hauſto quod propinabat veneno.

Ravennæ Exarchatus.

Eodem tempore Exarchatus Ravennæ ſumpſit initia; ubi nempe Longinus Narſeti à Juſtino ſubrogatus, quæ Imperatoris in Italia forent adminiſtraturus, conſedit Ravennæ, & Exarchus ſive Princeps dictus eſt. Sed continuis in annos detrimentis hujuſmodi poteſtas tandem evaneſcet.

Juſtinus.

Nec ſemel in ſuffecto Longino paccatum eſt, câdem ignaviâ proſtratus Oriens. Nam bello Perſico Juſtini avaritiam renovato, cùm dux Martinianus Perſis pugnâ victis obſideret Niſibim; Auguſtus Martiano fortiſſimo viro Acacium, quaſi ad decerpendam laborum palmam ſubſtituit; ſed irritatus contumeliâ ducis exercitus, ſponte dilapſus, urbem liberam & apertos limites irruenti Hormiſdæ Coſroe filio tradidit. Ita fortibus viris non dandi exercitus vel omnino dandi; ne vel occaſio vel ignominia fortitudinem incendat ambitu vel vindictâ. Juſtinus contractâ phrenitide obiit; lucido tamen intervallo Tiberium Auguſtum dixit; nunquam prudentior quàm cùm deſipiens eum virum ſucceſſorem juſſit.

Tiberius 2.

Anno Chriſti 578, Tiberius Juſtino mortuo ſolus Imperator, ſtatim eximiâ pugnâ cum Deo liberalitate contendit. Effusè prodigebat opes in pauperes, Deo per miracula quas prodigeret ſubminiſtrante; ſanè Narſetis theſauri luci feliciter redditi, illico cœli

quæſtoribus

quæſtoribus commiſſi pepererunt Perſicas palmas. Nam multæ à Perſis recuperatæ provinciæ, Coſroes victus tantâ victoriâ, ut dolore animi mox obierit, ſcriptâ lege, ne quis Perſarum Romanos in poſterum bello laceſſeret. Inſtaurabat Imperium tantus Princeps, cum quarto anno præcoci morte raptus, tabe deceſſit; fæneratór eximius, qui ſupra centeſimas caperet, & exaniendo fiſcum impleret.

Anno Chriſti 583. Mauritius Cappadox Tiberij gener, ejus virtutibus præter liberalitatem ſucceſſit. Varia bella in Perſas & Avares geſſit, nam Hormiſdas ſpretâ Coſrois lege pacem abrupit: res à Romano & Philippico Legatis geſtæ feliciter; ſed feliciùs à Baza duce Perſa; qui muliebri veſte ab Hormiſda donatus; ut infamiam expungeret, concitavit in eum proceres, injectiſque vinculis exantoratum, Coſroe filio tradidit, à quo poſtea fuſtibus cæſus eſt: quis credat fuſtuarium Regum eſſe fatum? Sed idem Coſroes à ſuis expulſus, à Mauritio ad quem confugerat regno reſtitutus, tutam pacem ſanxit & coluit; graviſſimarum cladium in poſterum autor. *Mauritius.*

In Cegaunum Avarum Regem debellatum non eſt viro forti & ſtrenuo continuis vaſtationibus Thraciam infeſtante. Imò is Mauritio cauſa calamitatis & necis fuit; cùm enim decem millia captivorum militum interemiſſet, quos levi pretio redimere Mauritius recuſarat; Deo avaritiam Principis

Digitized by Google

pis ulciſcente, Phocas ex milite ſubito Imperator, admiſſus Conſtantinopoli à Praſina factione, Mauritium cum quinque filiis interfecit; prodigiosâ Auguſti patientiâ, & Chriſtianâ humilitate, ultróque ſuo ſanguine avaritiæ labem eluentis: Ita cœlo viam ſternit calamitas, & ſub plagis diſcunt homines ſapere. Quinto pòſt anno Conſtantina Auguſta cum tribus filiabus ab immani Phoca, ultra metus cauſam ſæviente, percuſsâ Chalcedone, in conjugis fortunam tranſiit; fruſtra Tyranno vindictæ radices exſcindente; quam ſuo tempore luculentiorem exiget Deus.

Gregorius Magnus.

Italia interim peſſumibat, vaſtatione Longobardorum, ſævitiâ peſtilentiæ, & aquarum inundatione; niſi pietate Gregorij Magni ſuffulta inhibuiſſet præcipitem caſum. Is ex præfecto Urbis Benedictinæ familiæ ſponte adſcriptus, & renittens anno 590. in ſummum Pontificem lectus, religionis, liberalitatis, fortitudinis, privatæ pietatis, & doctrinæ vivum exemplar; ea geſſit, ſcripſit, & paſſus eſt, ægritudinem corporis emendans animi valetudine, ut ſtabilimentum Eccleſiæ, Romæ ſecuritas, pauperum pater, doctor pietatis, non modò annis ſexdecim quibus ſedit, ſed futuris ſeculis fuerit: verè Magnus quóque modo amplitudinem metiaris.

Fredegondis.

At Francorum regnum tantùm non periit, poſt iteratas fratrum certantium pugnas, in duabus mulierculis nitens vel ruens.

Altera

Digitized by Google

Alterâ Fredegondis, quæ Chilperico conjuge per Landericum adulterum cæso, anno Ch. 584. eâ felicitate quâ fortitudine, filio quadrimestri delato in aciem, hostes vicit; & pupilli curâ flagitiis primis velũ obduxit. Hic est Clotarius 2. qui laureatis cunis educatus, inter palmas mox-adolescet, dissipatas regni tetrarchias collecturus.

Mulier altera Brunechildis, quæ dominandi libidini posthabens omnia, per liberorum cædes impunè grassata; tandem Clotario tradita, multorum rea parricidiorum, ut pereundo sæpius compensaret pœnis flagitiâ, equi indomiti caudæ alligata, discerpta est. Peritissima tamen simulandi, sanctissimos viros specie pietatis in fraudem induxit, adeò unius Dei est pervadere arcana mentium, & à vero fictum disjungere. *Brunechildis.*

Nec Hispaniæ tranquillitas major: nam post tumultus varios, Patrem inter & filium, Hermenegildus à Levigildo Patre Arriano peremptus, ob Catholicam fidem, quam ab Ingunde uxore innocentissimus Princeps hauserat; anno Christi 583. At Recaredus defuncti frater, quinto pòst anno, Patris successor, Orthodoxam fidem amplexus, est; unde illustrissimum ad Reges posteros Catholici nomen, ipsáque Hispania ab hæresis lue intaminata, tam altè imbuta est Martyris sanguine: nec immeritiò coloribus cæteris rubeum præfert, cruore sanctissimi Principis purpurata. *Hermenegildus.*

Anno Christi 602. Phocas tyrannicè vsur- *Phocas.*

Digitized by Google

pato Imperio, ſolâ crudelitate inſignis, truculentior, ſuis quàm hoſtibus; à Coſroe Perſa Mauritij necem ulciſcente graviſſimas paſſus eſt clades; dum ſuorum Ducum intentus cædibus, qui repellerent hoſtes, obtruncabat. Nec Caganus Avarum Rex ſegnior, qui vaſtatâ Thraciâ, in Italiam irruit, multíſque Longobardorum cæſis abſcedit.

Longobardi. In qua expeditione tam Romilda Giſulphi conjux, quàm filiæ, contrarium ſpecimen ſui ediderunt. Mater ſuo corpore, ſuorúmque proditione Caganum mercata, ab eodem ignominioſam mortem obtinuit: at caſtiſſimæ filiæ pullorum carnes mammis ſubſternentes, Avaribus quaſi fœtore corporis odioſæ, pudicitiæ florem ſibi & Longobardis feminis conſervarunt, ſicut mali vitium, ita boni virtus eſt ferax; nec alterutrum ſibi ſoli prodeſt, aut nocet. Agilulphus poſtea Longobardos ſuos Theudolindæ conjugis impulſu & doctrinâ ad Chriſtum traduxit; tantum in feminis momenti eſt in quam lancem propendeant; nec ullus efficacior magiſter ad virtutem aut vitium.

Phocas. Sed diutius Phocas pœnam præſtolatur, quam per Heraclium exigit Deus, octavo tyrannidis anno; igne camini ærei, ne ferrum cruore inficeretur, vivum carnificem comburente.

Joannes Eleemon. At ſeculum ferreum temperabat auro Joannes Alexandrinus Præſul, ob oblargitionem in pauperes, Eleemon dictus; datus à Numine ut calamitoſiſſimas Orientis plagas opulen-

Digitized by Google

opulentiſſimo foveret animo. Mirùm eſt, tam multa largiri privatum potuiſſe, mirabiliùs voluiſſe! alterum Dei eſt, cujus ſunt omnia; alterum hominis, cujus eſt opes diligere. Quis ergo animus, qui profundebat ſua quaſi aliena, nec amabat opes niſi ut perderet? at jactura felix, quæ ſementem facit!

Anno Chriſti 610. Heraclius cùm ſupplicio Phocæ, tam Imperio quàm Mauritio parentaſſet; egregium ſe præſtitit ad Reipublicæ labes reparandas. Lentiùs tamen, ſive quod ad ſummum ex infimo plures gradus, ſive quod Deus ab Heraclio victo triumphaturus maximè foret. Sanè Heraclio primo nihil abjectius, nihil medio fortius, nihil deſinente contemptibilius; ut in medio Deum, in extremis hominem noveris. Primi itáque anni ingentibus victorijs Coſrois conſignati; totus propemodùm ſubactus Oriens, Aſiâ ferro & igne vaſtatâ, captâ lugubri Chriſtianorum excidio Jeroſolyma, quorum nonaginta millia à Judæis empta, crudeliſſimiſque confecta ſuppliciis; humanæ pignus ſalutis, Crux ſancta, Cteſiphontem delata; Ægyptus & Lybia direptæ, Carthago ſeptimo anno expugnata, Chalcedon obſeſſa, Cagano impune Thraciam pervadente. Ut Auguſto Conſtantinopolis una eſſet Imperium. *Heraclio.*

Sed adeptus apicem gloriæ Coſroes volvente fortunâ, præceps ſtatim ruit. Heraclius ſpe pacis cum ignominia dejectus, per annos ſeptem tantis victoriis Perſas do-

mat, in Armenia, in Assyria, & in ipsa Persi-
de triumphator, ut fidem superet, vel Hera-
clium esse qui vinceret, vel Cosroem qui vin-
ceretur. Et in partibus fuit Christi mater,
quæ Constantinopolim absente Augusto ab
innumera Barbarorum multitudine, terrâ
marique obsessam servavit, decimo die dis-
jectis copiis terrore Punico, & ingenti classe
horribili tempestate discerptâ: tanti est, Deo
commilitone pugnare. Postremò Cosroes
Seleuciæ obsessus, & à Syroe filio vinculis,
fame & sagittis ad tergeminam mortem
actus, teterrimo exitu consumpsit victorias;
Crux sancta à Syroe perhonorificè restituta,
ab Heraclio Hierosolymam reportata, ipsius
Imperatoris humeris quasi triumphali fer-
culo vectâ, sed cum miraculo, & Christianæ
demissionis encomio, consignavit pacem,
palmásque docuit cælo mitti.

Mahometus.

Illorum tamen temporum ac Heraclij ma-
ximè labes Mahometus, orbis pestilentia, te-
terrimáque Inferni vomica. Is anno Christi
622. novam promulgavit sectam, ex Arria-
nismo, Judaismo & Ethnicismo conflatam,
quam cùm mendaciis, ferro & fraudibus sta-
bilisset, nono pòst anno periit, dolo uxorum
quas plures duxerat; quatuor Amiris consti-
tutis ad Christianorū perniciem. Mirum est!
hominem inopem, ignavum, epilepticum,
hoc est tam animo infirmum quàm corpore,
posuisse fundamenta tantarum stragium; &
ab ignobili castro Arabiæ prodiisse gentem
orbis domitricem; adeò mali semen immen-
sum

ſum creſcit, & ſero ubi cancer invaluit ſtringitur ferrum. Quibus lacrymis calamitoſa poſteritas, Heraclij ſegnitiem deplorabit?

Qui tandem Monothelitarum labe infectus, Imperatorum chimæra deceſſit anno regni 30. fruſtrà in Judæos arma convertens, quibus opportuniùs Mahumetanum virus exſcidiſſet. Martina, quam fratris filiam uxorem duxerat, cùm filio Heraclioni regnum pararet, acerbo Senatus judicio exſectâ linguâ relegata eſt, comite filio abſciſſis naribus deturpato; ita conſtanti Conſtantini filio, Nepoti Heraclij avitum tandem ceſſit Imperium; pater enim ex priore conjuge veneno à Martino noverca perierat. Jam Tragœdiis Principum Conſtantinopolitanam ſcenam miſcentibus. *Heraclius*

In Gallia Dagobertus Clotarij filius; clarus bellis in Saxones finitimóſque populos geſtis, Dionyſio Galliarum Patrono magnificentiſſimam ædem inſtruxit; quæ in poſterum Regum Franciæ Mauſolæis ſtipata, dedocebit homines vanitatem, tantos ſpiritus tam anguſto conſcribens limite, Principum ſchola, & à pulviſculo magiſtra ſapientiæ. Fuit is Dagobertus ſuæ ſtirpis poſtremus; nam reliqui Reges ad Childericum 5. ab avita fortitudine, multùm degeneres, indigni, qui ad Clodovæi familiam ſpectent; torpentes ignaviâ, ſub umbra Majorum palatij deliteſcentes, vana Regentium ſimulacra, non Reges dicendi. *Dagobertus.*

Anno Chriſti 641. Conſtans Heraclij nepos *Conſtans 2.*

inivit Imperium ; tam in Oriente infirmus , quàm in Occidente crudelis. Nam Muhavias Saracenus invaſit Cyprum, Syriæ propugnáculum,& imminebat Conſtantinopoli 1700. navibus, niſi duo fratres ſtupendâ audaciâ, fracto carcere quo tenebantur , Amiram ducem claſſis trucidaſſent,claſſémque ipſam,injecto igni cum apparatu omni concremaſſent ; adeò nulla eſt ætas , nec ulla ſors , tam virtutum inops , quin aliquo exemplo redimat vitium ; poſtea iterum pugnatũ , victúſque Conſtãs cadebat Imperio, niſi inteſtinæ Saracenorũ diſcordiæ, ipſi non tam regnandi quàm ſæviendi ſpatium prorogaſſent.

Martin⁹ Papa.

Hac enim clade nihilo melior, Martinum ſummum Pontificem Concilio Monotheli-tas damnamtem , per Exarchum Calliopam Romà vi raptum , Cherſonam relegat , ubi pædore & miſeriis obiit; veritatis Martyr,cò laudabilior, quò lentiore ſupplicio, dignitatis & cominodorum omnium jacturam paſſus, coactus eſt vitam antè odiſſe, quàm perdere.Inde nihil mirùm à Conſtante Theodoſium fratrem peremptum : quippe peccatum pœna peccati eſt ; fratérque viſus in ſomnis Cæſari , propinans calicem plenum ſanguine, tam ſacrilegum , quàm fratricidam terrebat. Ab iis cædibus Conſtans in Italiam tranſgreſſus , nec felicior fuit , nec melior ; à Grimoaldo Longobardorum Rege , Beneventano prælio victus eſt; cúmque Romam quaſi alienam ornamentis omnibus ſpoliaſſet, ac Siciliam, cæteráſque Proyincias, Græcorum

corum direptionibus objeciſſet; in ipſa Sicilia, mulieribus maximè fævitiam ejus execrantibus, in balneo à femina ſitulam in ipſius caput impingente occiſus eſt; novo planè lethi genere; ut nulla ſit mortis ratio in diadematis illis capitibus non tẽtata; Deo in ſublimibus viris, & ad ſplendorem propoſitis, docente quid homo ſit.

Rhodum antea obtinuerant Saraceni, à quibus Solis Coloſſus dejectus eſt, ruinâ tam prodigiosâ, ut ejus partes, nongentis vel aſinis vel camelis oneri fuerint; admirabilibus illis antiquitatibus inſtar cæterarum rerum evaneſcentibus; ut maximum miraculum ſit, ex tot miraculis nullum ſupereſſe. *Coloſſus Rhodius.*

Proximo anno, quo Conſtans periit, Bodilo nobilis à Childerico Franciæ Rege ſervili verbere caſtigatus, vindictâ horrendâ tum Regem, tum ejus uxorem & ad graviorem ultionem, prægnantem occiderat; tantus eſt furor, qui ſcrutatur viſcera in quibus ſæviat, & per involucra naturæ mactet inſontes. *Bodilo.*

Circa hæc tempora duobus è fratribus regna celeberrima, tenuibus ſurrexerunt initiis. Zechius Croatâ è Sclavonia gente, pœnam ex homicidio fugiens, in regionem Germaniæ venit, quæ nunc Bohemia, Luſatiam Moraviámque adjungentibus poſteris. Sed longé clarior frater Lechus, qui exilij comes & inopiæ, in Sarmatiam deduxit coloniam; ubi Polonia, illuſtriſſimum futuris ſeculis regnum; Chriſtiani orbis in Barbaras gentes non propugnaculum modò, ſed bali- *Bohemia.* *Polonia.*

ſta, enſis & clypeus, quo repulſi hoſtes impetuntur.

Conſtantinus Pogonatus.

Anno Chriſti 668. Conſtantinus 4. Conſtanti Patri ſuccedit, dictus eſt Pogonatus, quòd imberbis profectus in Siciliam, promiſsâ barbâ redierit, felicitate ac religione patrem emendans, oppreſſo Mizicio invaſore purpuræ in Sicilia, Saracenos imminentes Conſtantinopoli fortiter repulit; primo ſeptenni bello defeſſos, & amiſſis pluribus dum redirent, procellâ demerſos; deinde Saphiano duce, ingenti claſſe bellum inſtaurantes, in mari combuſſit; miro Callinici Mathematici invento, quo vel aquæ fierent pabulum, & Natura victa ſe neſciret. Hic eſt Ignis Græcus ad hanc ætatem tanto rerum humanarum damno propagatus; ut nuſquam ſit quàm inter hoſtes potentior, majore nullo incendio, quàm quòd in undarum ſinu exarſit. At dum hæ clades quietem Imperio pariunt; Bulgari, gens Sythica à Volga fluvio ad Iſtrum effuſi, neceſſitatem belli inducunt; victi mox victores, Cæſare ob ægritudinem caſtris exeedente, Sclavis ſubactis, cis Iſtrum ſedem ponunt, Auguſto ipſo tributum pendente, quod ad ſolatium à Saracenis victis exigebat.

Ignis Græcus.

Bulgari.

Concilium Conſtantin. 3.

Nec ſedatis bellis Religioni defuit, operam navans in promovendo ſexto Concilio Generali; quod anno Ch. 680. habitum eſt Conſtantinopoli, unde dictum Conſtantinopolitanum III. in Secretario Palatij quod Trullum vocabant, damnatique decretis Patrum

trum Monothelitæ, affirmantes in Chriſto, ut duas Naturas, ita non duas eſſe voluntates & operationes. Et ne ſuperſit de Auguſto dubium, plura in honorem ſummi Pontificis is ipſe ſancivit, obiit Imperij anno 17. Numerandus in bonis, niſi regni primordia, deformatione fratrum maculaſſet; cùm enim proceres tres fratres, Imperatores in honorem Trinitatis optarent, ipſe quaſi aſſentiens, advocatos proceres trucidavit, naſo fratribus per crudelitatem præciſo; quaſi hoc corporis dehoneſtamẽto trãſiret in animũ turpitudo.

Hoc tempore Bamba Hiſpaniæ Rex, cum laude juſtitiæ & fortitudinis, adminiſtrato regno, ut ſummum faſtigium rebus præclarè geſtis imponeret, ſponte purpurâ exutâ Monachum induit; ratus, ut erat, nullum eſſe majus regnum quàm ſui; multo glorioſius ſerviri Deo, quàm ſubditis. *Bamba.*

Anno Chr. 685. Ad Juſtinianum Conſtantini filium delata eſt Purpura; cui ſoli hactenus licuit, ut ab avita progenie quintus teneret Imperium. Hic præcipitantis ingenij cùm ad libidinem ſuam omnia faceret, Rempublicam ſuſdéque miſcuit, ſéque ipſum objecit acerbiſſimis calamitatibus. Aliquot victoriis in Oriente ineſcatus, ſibíque expedita omnia ratus, pacem initam cum Bulgaris ſolvit, eo exitu ut in anguſtiis oppreſſus, penè ſolus amiſſis copiis ſit ſervatus. Inde convertit ſe ad Saracenos, abruptóque quod ipſe pepigerat fœdere, appellantibus fidem publicam hoſtibus, & juſtat vexilli inſtrumẽto fœderis *Juſtinianus 2. Rhinotmetus.*

haſtâ, prælato per Sclarorum proditionem, quibus fretus ſuſceperat bellum Auguſtus, ab iis victus eſt; Deo violatam fidem perfidem proditam ulciſcente.

Nec privati mali Juſtinianus immunis, qui anno Chriſti 694. à Leontio copiarum Præfecto ob crudelitatem nudatus purpurâ, & quod acerbius, exciſo naſo imminutus, (unde ei Rhinotmeti nomẽ) ac Cherſonam relegatus, diminutionẽ triplicem paſſus eſt. Sed nec Leontio tutum Imperium; qui triẽnio poſt ab Abſimaro idem perpeſſus, traditùſque cuſtodiæ, calamitatẽ alienam ſuâ ſolatus eſt. Abſimaro, qui Tiberius dictus eſt, adminiſtratio felix; donec anno 705, Juſtinianus Bulgarorũ armis adjutus, recepit Imperiũ; ac de Leontio & Abſimaro capto ſupplicio, adeò non emendavit priora vitia, ut crudelior alamitate, novis cumularet. Nam ingratus in Bulgaros, eos bello appetiit, cùm Saraceni Cartagine occupatâ, latè Africã perderent; ſed ab iis victus ingrati animi pœnas ſolvit. Inde ad privatã ultionẽ verſus, quoties truncas nares emungebat, rapi ad ſupplicium jubebat è Leontij partibus quempiam; quaſi pro mucore eſſet ſanguis alienus, vel inimicorum cruore vulnus coaleſceret, aut humanis victimis parentaret naribus. Imò & in plures & innoxios vindictâ effuſâ; Cherſonæos omnes, apud quos exularat, certus naturâ rerũ exſcindere: miſſus itáque Cherſonam exercitus, qui crudeliſſimis tormẽtis cunctos perimeret. Necati quàm plures, tandemque

Digitized by Google

démque nemini parcitum foret; niſi miſeri Philipico Bardani in eos miſſo obtuliſſent Imperium, quo arrepto Juſtinianus eum Heraclio filio ab Helia Prætore occiſus eſt, cujus filios necaverat, uxore coquo Indo coacta nubere. Ita dum ultioni immoderanter indulget, Divinæ vindictæ reus, ſe humanæ obnoxium præbet; furor quippe cæcus, dum alienis malis invigilat, ſua non præcavet.

Anno Chriſti 711. Cæſo Juſtiniano dicas ambigere Diadema quo ſtaret capite; vix enim alterum annum complexus eſt Philippicum; cùm hominem hæreticum, ſtolidè prodigum, & rempublicam perdentem ignaviâ, privatum oculis à proceribus dum ſumno tenetur, jam in gubernaculo cæcutientem amovet procul. Nec diutiùs harſit in Artemio Anaſtaſio, qui à Theodoſio tributorum collectore in urbe regia obſeſſus & captus, juſſus eſt in Clericum tonſus exulare. Imò Theodoſio pòſt repudiato, tandem in Leone Iſauro quamvis immeritiſſimo omnium conſtitit; ipſo Theodoſio ſponte cum filio, Clericis adſcripto; ut quæ aliis captivitas eſſet & pœna, ſpernenti Imperium libertas foret & præmium. *Philippicus. Bardanos.*

Anno Chriſti 713. Ingentem rerum converſionem paſſa eſt Hiſpania, Roderico Rege à Saracenis occiſo in prælio. Is Vitizam Regem perditiſſimum cùm armis victum privaſſet oculis, ſibíque ipſi regnum confeciſſet; eo ſic intemperanter eſt uſus, ut ſtupratâ Juliani Comitis vel uxore vel filiâ, Saracenos *Saraceni in Hiſpania.*

ex

ex Attica in Hiſpaniam exciverit, eorum Duce Juliano privatam injuriam ruinâ patriæ ulciſcente; Deóque libidinem Regis extinctione regni plectente. Ab hac victoriâ, tota propemodùm Hiſpania Maurorum fuit, aliquot è regio ſanguine vix per Aſturum montes ſervatis, ſeménque ampliſſimorum poſtea in Europa Regum ſoventibus. Quorum Pelagius præſtantiſſimus ſequenti anno celeberrimo prælio Mauris victis, Legione condidit regnum; unde poſteri gradatim progreſſi plura in Hiſpania regna conſtituent, quaſi clariſſima de Mahumetana gente trophæa.

Pelagius.

Leo Iſaurus Iconomachus.

Anno Chriſti 717. Leo datus olim ab Artemio rector Orienti, eo amoto, favore militum purpuram induit, Iſaurus ob patriam dictus, ut ob hæreſim Iconomachus. Gravi ſatim procellâ jactatus eſt, Saracenis cum tribus navium millibus Conſtantinopolim obſidentibus, tantâ pertinaciâ, ut ultra biennii in omnia cæli, ſalíque incommoda contumaciſſimè decertaverint, & abſumpti potius quàm victi in urbis conſpectu perierint, vix quinque navibus reliquis; ut Conſtantinopolim Scopulum dixeris, ad tantæ claſſis naufragium. Rebellavit & in Leonem Artemius, ſed à Bulgaris proditus, morte acceptâ didicit, ſecuriùs Clericum agi, quàm Principem.

Iconomachia.

Leo hoſtium liber pro agendis Numini gratiis, atrociſſimum bellum excivit in ſuperos; illorum Imagines pictas & fictas veneratione omni interdicens, imò quaſi abomi-

natione

Digitized by Google

natione dignas expungens. Hinc turpiſſima hæreſis Iconomachorum, & acerbiſſimi in Orthodoxos cruciatus, eâ fortitudine de Imaginum cultu, quà de Chriſti perſonâ certantes; adeò pulchrum eſt corpus Eccleſiæ, cujus ſi membrum læditur, totum deforme eſt. Benè veritati à Gregorio II. cautum eſt interim; qui invicto animo irruentem armis & decretis Auguſtum repulit, perfecítque ut integer peſtis Occidens eſſet: ſuffragánte Deo conſiliis, & maximâ Italiæ parte, abdicato Cæſare, ad Romanum Pontificem ſe conferente. Dum Leo infirmus iracundiæ, ſive claſſe disjectâ, quam in Romanos armaverat, ſive Saracenis diſtrahentibus ultorem animum, Chriſtianorum carnifex periit. Novus Enceladus, qui non cœlites, ſed eorum umbras laceſſeret; crederétque imaginum caſu cœlum ruiturum.

Quarum patrocinio celeberrimus Joannes Damaſcenus; in media Saracenorum colluvie nitidiſſimum Sidus; armatâ cœlo dexterâ Leonem oppugnavit, eáque ſcripſit quæ Tyranno ingrata, cœlo gratiſſima, truncatam manum reſtitutámque miraculo, pœnam & præmium, veræ tranſcribunt immortalitati. Felix vulnus, quod à Maria curari debuit. *Joannes Damaſcenus.*

At quo anno, nempe 726. Leo impius exorditur bellum in ſuperos, eo Carolus Martellus Chriſtianum orbem à Saracenorum armis vindicavit; reportatâ victoriâ in campis Turonis, quâ cum Rege Abderama perfidorum *Carolus Martellus.*

Digitized by Google

rum 375. millia cæsa, Christianorum paucis duntaxat desideratis. Gens pessima inundabat orbem, nisi jam maris & Pyrenæorum victrix occidisset in Carolo, spésque immodicas in effuso sanguine demersisset. Nec statim in uno Hydræ capite debellatum, plura excetræ colla resecta sunt, ad Avenionem receptam, ad Narbonem captum Francus Hercules monstrum pressit; donec Galliâ purgatâ penitus, Phocensem provinciam; & Septimaniam, Maurorum spolia, in triumphum duxit. Nec suâ contentus Galliâ Martellus, & in Italiâ authoritate pugnavit, Luitprandum Longobardum ab Romæ obsidione revocans, summóque Pontifici libertatem parans, prærogativâ Nepotum, quibus supremo Antistite nihil augustius.

Anglivectigaties.

At religio non una in Gallia promovetur; novo more Britanniam vectigalem habet. Nam Inas Uvestsaxonum in Anglia Rex, Romanæ Ecclesiæ ditiones suas subjici voluit, jussâ quáque domo pendere S. Petro in successoribus denarium annum. Sed posteri tributum sanguinis exigent, & Ecclesiæ militaris dispendio triumphantem ditabunt.

Constantinus V. Copronymus.

Anno Christi 741. Constantinus Leonis patris Imperium & impietatem suscepit, jam natus annos 22. dictus Copronymus, quod sacros fontes, ventris onere, in baptismo fœdasset, & Caballinus, quod equorum sordibus mirè caperetur. In eo præter amorem sordium & immensa scelera, nihil observandum: novus Diocletianus sacrarum cultores

Imaginum

Imaginum diris vexavit ſuppliciis;hoſtem ſe Dei paræ impurus nebulo geſſit, ut vel eam appellaſſe, flagitiũ foret; in Monachos præſertim furorem exprompſit, quos expertus Catholicæ rei Triarios, ſi licuiſſet, funditus perditum ibat;in Sanctorum Lipſana debachatus eſt; pſeudoſynodum conflatã ex hæreticis congregavit; Stephanum Monachorum Anteſignanum diuturnis & exquiſitis laniavit ſuppliciis; Deo interea cõnivente,& longiſſimã ſæviendi materiam diuturnitate vitæ permittente. Ita res humanæ divinâ trutinâ pendi debent.

Felicitas tamen impuri capitis impegit aliquoties; nam Hunni poſtremò in Pannoniam irrumpentes; occupatam ſuo de nomine dixerunt Hungariam:& Exarchatus Italiæ cum Pentapoli ipſi ablatus, ad infenſiſſimum hoſtem,Summũ Pontificem tranſiit: & Monachorum robur invictum dolorem incendit, quovis ſupplicio acerbiorem: & publicæ calamitates increpabant Tyrannum idẽtidem. Nam Conſtantinopolim per decem dies tãta caligo obſedit,ut nox diuturna animorum noctem exprobarit. Siria terræ motu agitata eſt, quo urbes vel precipitatæ in valles,vel ad ſextum lapidem projectæ fragilitatem mundi incuſarunt; inſedit urbẽ tam gravis peſtilẽtia, ut inanis propemodũ, cadaveribus ſolis oppleretur; tanta fuit hyemis ſævitia,anno 764. ut Põtus Euxinus gelu coaleſceret; & à Danubio ad Euphratem uſque, regiones continuâ glacie connecterentur. *Progidiæ*

tur. Sed tandem novus Iulianus à Maria profligatus, ut vetus à Chriſto, in expeditione Bulgarica, igne interno conflagrans, cùm exclamaret ſe vivum cremari propter Mariam Deiparam, cruciatibus æternis animam tradidit, anno Chriſti 775. verè Cœlo infenſus, cui detrahebat; Patronorum expers, quos offenderat; carens perfugio, dum Mariam abdicat; Enimverò dignus quem Iconoclaſtæ noſtri auctorem appellent.

Pipinus. Occidens interea mutationes novas expertus eſt, prima in Gallia, in qua Pipinus Martelli filius, avitam, paternámque gloriam ſuo fulciens merito; anno Chriſti 752. excluſo Chilperico Merovingiorum poſtremo, Francorum Rex, à Bonifacio Moguntiorum Præſule inauguratur, Lubricum exemplum, quod in regno Principum amantiſſimo bis tentatum, mox damnatum in poſteris, habendum eſt in remediis, quæ mortem ſæpiùs, quàm ſalutem creant.

Exarchatus. Et in Italia Exarchatus Ravennæ extinctus eſt, anno circiter ducenteſimo quo inceperat; Aſtolpho Longobardorum Rege Eutychium Exarchum pellente Italiâ, captis Ravennâ urbe primariâ, & Pẽtapoli, nempe Arimino, Piſauro, Ancona, Auximo & Vrbino. Sed cùm inde Aſtolphus ferocior Stephanũ Põtificem Maximum premeret, vellétque ſimiliter pulſum Italiâ; evocatus à Stephano Pipinus primâ quidẽ expeditione perdomuit, at ſecundâ, ne tertium edomãdus eſſet, detractã Pentapolim Stephano addixit; ſecuritate in poſterum

posterum præstitâ, ut se Ecclesia tam in homines, quàm in dæmones tueretur. Astolphus paulò post in venatione occisus, testis est vel inter ludos mortem irrepere.

Nec parum ad explanandam Dei providentiam; quod ubi impurus Copronymus omnibus nervis in Monachismum pugnabat, eum in Italia illustrissima capita sanciebant. Nam anno Ch. 746. Carolomannus Pipini frater. Martelli filius, abdicatâ spe mortalium rerum, Monasticum institutum in Cassino suscepit; sui victoria tantò majore, quantò adolescenti difficilius est, mundum abjicere inexperto, solas blanditias obtendentem, quàm viro post miseriarum experimenta. Nec in isto exemplum defuit; Rachisio Longobardiæ Rege, cum uxore & liberis, religiosæ vitæ se devoventibus; adeò quidpiam est supra summum fastigium, quo ascendant homines descendendo, & ultra diadema est aliquid dignum mortalium votis. *Carolomannus.*

Anno Christi 775. Leo Copronymi filius, patre non melior gessit Imperium, cujus adhuc infans consors fuerat, unde Porphyrogeniti cognomen tulit; quasi natus in Purpura, vel in conclavi Purpurâ dicto. Bella gessit in Saracenos, sed acerbiùs in Orthodoxos, Imaginum causâ; donec quinto anno sacrilegio cumulavit priora crimina: Coronam enim insignem gemmi è sanctâ Sophiâ raptam capiti cùm applicuisset, carbunculis igneis è capite tumescentibus, inter dolores periit; nempe Deo sacra, Templis lumina, sunt ignes sacrilegis. *Leo V. Porphyrogenitus*

Constantinus V. Anno Christi 780. Constantinus similiter Porphyrogenitus, Irene Matre administrante, Leoni Patri successit, magnâ fortunæ varietate annis octodecim, Purpurâ privatorum miserias non amoliente. *Irene.* Irenes exordia pia & fortia; nam Nicephorum Constantini Patruum Imperij cupidum, fractum præliis fugavit Græcia; & religione incensâ curavit Oecumenicam Synodum apud Nicæam Bythiniæ convocari, in qua consentientibus 350. Episcopis, cultus Imaginum instauratus, correcta priorum delicta Cæsarum, & pax Ecclesiæ restituta, anno Christi 787. Id Concilium Generale 7. Nicænum 2. Deo per infirmam mulierem trium Imperatorum hæresim emendante.

Concilium 7. Hunc rerum cursum interpellavit Ambitio, Regum lues, regnorúmque calamitas; nam Constantinus anno Christi 790. tutelam matris, suam ratus infirmitatem, iratúsque Stauratio per quem Irene administrabat omnia, tandem obsequium Imperio mutare cogitat. Sed re nondum maturâ ab Irene interceptus, ac pro puero verberibus exceptus, tametsi natus annos 20. domi includitur; consilij participes plagis affecti in exilium amandantur. At ejusmodi morbus tam levi remedio non curatur; mox exercitibus Matris imperium abnuentibus, ipsa in Palatio quod ædificaverat, carcerem patitur, Stauratius in vincula datur, & admovetur gubernaculo filius. Nec ideò à turbis desitum; nec ea felicitate

tate Imperium geritur quâ occupatur; Conſtantinus ſuo malè geſto Irenen laudavit; nam familiares affecit ſuppliciis, & quidem innoxios; uxori repudium miſit; Et ex Virginum gynæcæo Theodaten rapuit; infeliciter pugnavit in Bulgaros, ſuíſque patruis eruit oculos. Hæc Irenen defenderent, octo poſt annos reſumentem Imperium, niſi in pœna filij oſtendiſſet animum vindictæ impotem & privatæ ſortis, miſero effoſſi ſunt oculi, eodem die quo patruos luce orbaverat, nec relictâ vitâ niſi ad ſenſum calamitatis; quàm ſtatim dolore & deſperatione abſumpſit, ultionis & regni ſpe omni abſciſſâ. Irene quatuor adhuc annos throno inſedit, cruore nati ſtabilito vel nutanti.

GELSOMINUM.

AREOLA XIV.

A Carolo Magno ad Fridericum Ænobarbum.

Gelsominum grande & regium quàm illicò degeneravit in vulgare! Quàm Patri dispar Magni Caroli soboles! Vix unquam celeriùs Hemeroealis emarcuit. At Gelsomini instar Carolus floruit, vividus, vegetus, odoratus, toto candicans orbe, sibi ipsi fulcimentum & pergula, protensis per Europam totã palmitibus.

ANNO Christi 773. Carolus Pipini filius, tam rerum gestarum amplitudine quàm Magni cognomine, Alexandro & Pompeio par, jam antè susceptо Gallico Regno, advocatus ab Adriano Pontifice,

Pontifice, quem Desiderius Longobardorum Rex divexabat, Alpibus transitis, paternas palmas instaurat; tam capta quàm obsessa Papia, Desiderius datus in vincula, & cum liberis Leodium missus, pacem Pontifici, gloriam Carolo, finémque Longobardorum regno pepercerunt. Inde Carolus in Hispania Pampilone captâ, Mauros ingenti clade fundit, fugátque, ne qua regio tanti viri gloriæ expers foret; in reditu tamen à Vasconibus postrema pars exercitus capta, ne felicitas summa oneri esset. Tum in Germania Thassilo Bavarus profligatus, & in Monasterium trusus; Hungari irrumpentes ita repressi, ut vix supersent, qui agros colerent; dum Saxones omnium hostium pervicacissimi, singulis propemodum annis rebellantes, ferebant palmas Caroli ferro demetendas; cos Francorum, eorum Carthago, Martis campus, otij discussio, honestáque laborum materia.

Anno Christi 791. Alphonsus Legionis Rex acri prælio Mauros profligat, ac Ulyssiponem Lusitaniæ caput iisdem eripit. Belli causa honesta, dignáque unde Princeps Casti nomen habuerit; quòd pertæsus tributi Virginum, quas à Christianis Saraceni exigebant, bellum susceperit, ne castissima corpora inquinatissimâ libidine fœdarentur, hæc arma sanctissima, quæ Dei limites in corporibus humanis prorogant. *Alphonsus Castus.*

Eodē anno Alcuinus Caroli Præceptor, Academiæ toto orbe pòst celeberrimæ Parisiis jecit *Academia Parisiensis*

jecit fundamenta, discipuli vel domini jussu, doctrinâ insignes; quantùm ferebat ignorantia temporum, amplis stipendiis evocavit, qui scholis apertis profiterentur scientias. Carolus quippe amantissimus litterarum, ab iis censebat partam bello gloriam illustrari, earum cultu deponi barbariem; & florentissima esse regna, in quibus exercerentur triumphis corpora, & excolerentur animi disciplinis.

Carolus M. Imperator.

Anni 800. exitus illustris fuit Caroli Magni in Occidentis Imperium promotione, à Leone III. Pontifice Maximo Romæ in ipsâ S. Petri basilica, quod 14 annis ingenti terrarum bono obtinuit. Vir dignus in quo Gallia summum rerum scanderet apicem, nec Constantinum aut Theodosium invideret Hispaniæ vel Britanniæ: qui pietatem intermortuam excitavit, in condendis Basilicis effusissimè prodigus; ita litteris arma distinguens, ut sui Imperij fortissimus & doctissimus haberetur; ab omni vitio, si unum excipias (homo quippe erat) prosùs immunis. Franciæ limites prorogavit amplissimè, Pyrenæos, Alpes & maria supergressus, ab Ibero ad Calabriam & Vistulam, tot diversas gentes obsequij necessitate conjungens. Mirùm! quod vix ab ævo condito reperire sit, Carolum in Pipino viro fortissimo quartum non degenerasse; & abavum, avum, Patrem, & filium continuâ serie, virtutum paternarum hæreditatem incrementis tantis auxisse. Unde humanum est,

Caro

Carolum in liberis nævo infectum; nam è novem deterioris ſexus nullam elocavit matrimonio, præterunam;è tribus filiis Pipinus & Carolus morte rapti,victoriarum ſpem interceperunt ; unus Ludovicus ſuperſtes , qui tametſi Pij cognomine Antonium Principē Optimum vincat, tamen impar tāto faſtigio verè Caroli magnitudinem infirmitate ſua exagerabit. Obiit Carolus Aquiſgrani anno vitæ 72. theſauris immenſis in Eccleſias diſtributis ; hoc eſt Deo hærede ſcripto.

Anno Chriſti 802. Nicephorus Patritius & Logotheta Generalis Irenen , piè & fortiter res adminiſtrantem, ſolio deturbat ; relegátque in Lesbum Inſulam,feminam egregiam, & ſine nævo , ſi mater non fuiſſet partu , vel fuiſſet affectu. Nicephorus crudelitate & ignaviâ palam odioſus , nono poſt anno à Crunno Bulgarorum Rege , cui deprecanti pacem obſtinatè negaverat , noctu victus eſt, & in tabernaculo cæſus;Stauratio filio,quem Cæſarem dixerat, graviter ſaucio, víxque fuga elapſo. Hic vitiorum omnium officinâ, Manichæorum maximus fautor , monenti amico , dixit ſe à Deo Pharaonis inſtar induratum , exitúsque ſimilis vitam clauſit. *Nicephorus Logotheta.*

Tertio pòſt menſe Michaël Curopalates Procopiá ductâ,gener Nicephori,ſtauratio in Monaſterium pulſo , Imperator eſt appellatus , ſed ſuſceptâ infelici expeditione in Bulgaros , biennio pòſt Leoni Armenio ceſſit Imperium. Theophylactus filius jam Cæſar dictus cum matre Procopia & fratribus in exilium *Michaël Curopalates.*

Digitized by Google

exilium pulſus; Deo in Nicephori ſanguine Irenen vindicante.

Ludovicus Pius. Anno Chriſti 814. Ludovicus ob liberalitatem in ſacra loca Pius dictus; tot paterna regna ſuſcepit: Carolo præter pietatem & religionem parum admodum ſimilis, ſed manſuetudine & patientiâ, rarâ in Regibus gloriâ, bellicæ laudis defectum corrigens. In Bernardo, tamen fratris filio, Græcos mores imitatus, dedit aliorum impulſibus unde pœniteret; adoleſcenti perduelli ereptis oculis, & ſequtâ ex atrocitate ſupplicij morte. Sed excuſat ſeveritatem in Nepotem, in liberos infelix indulgentia, quibus delicti primi venia, fuit ſecundi occaſio. Ex Juditha conjuge, quam priore mortuâ Ludovicus duxit, calamitas orta; nam Lotharius, Ludovicus & Pipinus ex priore ſuſcepti, initâ conſpiratione Gallis inauditum ſuſcipiunt facinus; Patrem non modò armis inſectãtur, ſed oblatâ pace, accedentem quaſi ad liberos, comprehendunt; & indigniſſimè ab Epiſcopis damnatũ malè geſti Imperij, regno exautorant, anno Chriſti 834. unius criminis reum, quòd Pater eſſet. Ita Ludovicus à liberis propter conjugem, hoc eſt per amoris & obſequij nomina, atrociſſimam ſubit infamiam; ut orbis & cœlibes ſolitudinem ſuam non accuſent.

Reſtitutus tamen mox à Proceribus, nec ambitioni datum ultra peccare; ubi Pater ſe Regem oblitus, quaſi privatam condonavit injuriam, flevítque poſtea Pipini præcocem mortem; & ſexto pòſt anno obiens morbo,

Lotha

Lotharium & Ludovicum vocavit in partes cum Carolo ex Juditha ſuſcepto; ut huic Francia, Ludovico Germania, Lothario Imperium cum Italia obveniret; Partes immenſæ, ſed totum ambientibus parvæ; unde bellorum ſeges, fratres commiſſi, regna pugnantia, & tandem diſtractis partibus Monarchiæ clades.

Hoc tempore circa annum Chriſti 826. Ebo Rhemorum Præſul, ſolemni legatione antè ad Danos miſſus ad ſerendum Chriſtianorum cultum, victor rediit triumphatis Dæmonibus; Trophæum Heraldus Danorum Rex, qui cum magna ſuorum multitudine Moguntiæ ſacris undis ablutus eſt. Hæ laureæ dignæ non Capitolio, ſed Cœlo, quibus victi non detruduntur in carcerem ſtrangulandi, ſed regnaturi cœlo evehuntur. *Dani Chriſtiani.*

Anno Chriſti 813. Michaële ſponte cœnobium ingreſſo, Leo Armenius in Oriente Imperator præclarum ſtatim ſpecimen edit; Crunno Bulgarorum Rege antè Auguſtorũ victoriis claro, graviter ſaucio, & in fugam acto. Sed inde male bono uſus, in furorem raptus Iconoclaſtarum, cùm inſuper Manichæis faveret, patuit Michaëlis Balbi inſidiis, à conjuratis ipſo in templo quod ſpoliaverat, confoſſus. Mirùm, quod Balbo jam ad ſupplicium deſtinato ſomnus purpuram peperit! Leoni vigili, regiæque minæ ademerunt; ita res humanæ diſſociatæ ſunt; & ad ludendam providentiam noſtram, plerũque oppoſita parentibus ſoboles, & cauſis effecta. *Leo V. Armenius.*

Digitized by Google

Michaël Balbus. Ita anno Christi 826. Michaël Balbus eductus è carcere throno imponitur, Phryx genere, támque moribus quàm linguâ corruptis, juxta Leonem Iconomachus, majora vitia superinduxit. Feliciter tamen Ducem egregium Thomam Constantinopoli repulit, & Bulgarorum ope demùm profligavit; sed ne dignum victoriâ credas, eâ utentem cogita, quam fœdavit acerbitate supplicij; Thomâ captivo inter diros cruciatus truncato manibus pedibúsque. Idem postmodùm in Imperio passus est Balbus; quod hostes undíque decurtarunt: Nam Hispaniæ Mauri Creatam occuparunt, excussit jugum Dalmatia; Saraceni proditore quodam Euphemio invaserunt Siciliam; nec ipse fato functus est integer, raptus phrenitide; hoc est animo, vivo adhuc corpore, consepulto.

Theophilus. Anno Christi 829. Theophilus Michaëlis patris succedit tam Iconomachiæ quàm Imperio; cujus anno 12. ex tædio & mœrore ob reportatam à Saracenis victoriam obiit. Ce-

Lazarus. lebris sub eo Lazari Monachi in pingendis Imaginibus pia constantia, qui manu per Theophilum, ignito ferro transfixâ; restitutáque divinitùs, unus Imaginibus urbem implevit; Parrhasio & Apelle felicior, cujus colores tererent cœlites, penicillum duceret Deus ipse.

Lotharij. Anno Christi 840. In Occidente Lotharius Ludovici filius Imperator, cùm in fratres dominari vellet ut Princeps, non ut frater iis consulere, bellum exoritur, junctique

Digitized by Google

que Ludovicus & Carolus abſentis Lotharij copias, magno profligant prælio ad Fontenatam villam ; ex utráque acie centena virorum millia ceciderunt, præcipui ex nobilitate occiſi, ut Gallica potentia tam in victoribus quàm in victis fracta, penè prolapſa ſit. Lotharius altero prælio pulſus Germaniâ, petitâ pace impetravit plura, quàm bello illato ; inter Germaniam quæ Ludovici eſſet, & Galliam quæ Caroli, media regio conceſſa Lothario, unde in poſteris Lotharingiæ nomen percelebre, claritudine Principum & virorum fortitudine perilluſtris. *Lotharingia.*
Lotharius agitatus bellis aſſiduis, ſæviſſimâ inſuper graſſante peſtilentiâ, nimium expertus, quanta calamitas ſceptrum foret, id ſponte depoſuit, anno Imperij 15. inſtituto Monachorum ſe tradens, ut qui regeret alios, regeretur ; paulò pòſt febri extinctus, tranquillè claudens vitam turbulentam.

Interea nova Barbarorum irruptio fœdavit Gallias ; quippe Normanni, gens vel à Dania vel à Norvegia, exundantes obruunt Galliam, decuſſo nobilitatis flore innerimē ; & Hamburgo capto, quod Carolus Magnus iis retundendis objecerat, ſoluti repagulis percurrunt Gallias, dirâ ubíque & inauditâ crudelitate graſſantes ; donec accepto auro reverſi in Daniam, inteſtinis bellis ſævientes, reſpirandi ſpatium Francis conceſſerunt. *Normanni.*

Nec Italia tutior aut tranquillior ; quam anno 845. Saraceni ex Sicilia invadentes totam conturbarunt. Ora Campaniæ feliciſſi- *Saraceni in Italia.*

ma prima exſcenſione tentata eſt; copia enim alieni voti eſt pabulum; Beneventum captum; objectum prædæ Caſſinum, ac direpta Romæ ſuburbia; inutili imò noxiâ prædâ, direptoribus naufragio merſis in reditu. Leo IV. Pontifex urbem communivit, novâque auxit dictâ Leoninâ, felici augurio, ut aliarum Urbium princeps foret.

Ramirus. In Hiſpania Ramirus Legionis Rex conſerto prælio 70. Saracenorum millia delevit, dignus Alphonſi Caſti filius. Ita fortes in calamitate Principes conſignabant ſua regna victoriis, & Maurorum proſperitatem virtute afflictâ deterebant.

Theodora. Anno Chriſti 841. Theodora Theophili vidua pro filio Michaële Porphyrogenito etiamnum puero Imperij clavum moderatur. Piiſſima femina reduxit cultum Imaginum; dejecto Patriarchatu Joanni Syncello peſſimo bipedum, Methodium ſanctiſſimum virum ſubſtituit, Manichæos invaleſcentes excidit; re nullâ omiſſâ, quâ priores clades ſarcirentur: mirâ numinis providentiâ, ut ætates ſingulæ Chriſtianis feminis illuſtrentur, & habeat infirmior ſexus quò aſpiret.

Bulgari Chriſtiani. Et per ſororem captivam Conſtantinopoli, Bogor Bulgarorum Rex Chriſto adjunctus, eo invocato ad peſtis famíſque ſolatium; & poſtmodùm Theodorâ opitulante Bulgari in Regem, quod Chriſtianus eſſet, rebellantes victi, non corpore modò, ſed animo, ut Chriſtiani & ipſi fierent. Nempe placet Deo per feminas innoteſcere, & quod-

quoddam eſt imbecellitatis cum Divinitate conſortium.

Verum Theodora dum ſupra ſexum gerit Imperium, à filio Michaële Porphyrogenito eo deturbatur, anno Chriſti 856. Is à Barda avunculo excitatus, jámque vitiorum impatiens quæ Magiſtram morum horrebāt, Matrem aulâ pulſam includit cœnobio, quæ nec diu regno ſuperſtes, fato Irenes periit, niſi quòd altera in natum acerbior, altera fortè mollior, infelix utráque, dum Neronem alit. Michaël amoto obice, in omne vitium præceps ruit; & quaſi naſci in purpura, & in flagitiis idem foret (nam Porphyrogeniti penè omnes corrupti) ſemel obitâ infelici expeditione in Syriam, omiſsâ rerum curâ: nugis & ſtupris totum ſe abdidit; ubi rebus leviſſimis theſauros immenſos à matre collectos tam citò diſſipavit, quàm lentè coaluerant. *Michaël Porphyrogenitus.*

Interim Bardas Cæſar dictus ſpecimen præbuit Principis boni, in litteris intermortuis revocandis; ſed ſe malum geſſit in amovendo Patriarcha Ignatio, viro ſanctitate & doctrinâ conſpicuo (is Michaëlis Curopalatæ filius ſplendorem purpuræ, probitate morum illuſtrabat) cui Photium ſubſtituit virum pravè doctū, & humanioris litteraturæ tàm ſcientem quàm ignarum Divinæ. Ipſe idem paſſus in ſubſtituto Baſilio Cæſare: nam anno 866. cùm Nepotis ineptiis refragaretur moroſiùs, ipſo inſpectante à congerronibus trucidatus eſt, ſuffectúſque Baſilius Macedo, exul, pauperculus, unâ equorum curâ commendatus, *Bardas.*

illíque matrimonio juncta eſt Euxodia nobiliſſima, ſed Auguſti pellex; Fortunæ luſu, ut de Equiſone fieret Imperator. Cùm tamen Ludos non deſineret Michaël, ſuóſque colluſores per ludibrium, manu, naſo, oculo, vel capite multaret; imò quendam remigem indutum purpurâ dixiſſet Cæſarem, ſtruerétque inſidias Baſilio; antevertens Baſilius ſemiſomnem percuſſorum ferro objecit; tam ludicris ineptum quàm ſeriis, qui vel joco ſæviret; quemque dicas immutaſſe ſexum cum matre, niſi quod vel feminas tam turpis otij pudeat.

Michaël.

Ludovicus.

Anno Chriſti 855. Ludovicus Lotharij filius in Occidente, Auguſti iniit dignitatem; Lotharij fratris illicitis cum Valdrada implicitus amoribus, ſive ut excuſet, ſive ut puniat; bellóque cum Saracenis Italiam vaſtantibus involutus, magis quàm illuſtris. Caroli magni præclariſſimâ virtute jam deficiente, & in Nepotibus per Italiam, Galliam & Germaniam ſparſis, in ambitionem immodicam ſed infirmam degenerante.

Carolus Calvus.

Ludovico morbo defuncto, anno Chriſti 875. Carolus Calvus Romam advolans arripuit Imperium, Galliâ propemodùm à Ludovico fratre Germaniæ Rege ſpoliatus. Sed nec diu potitus Imperio, cui par præter cupiditatem nihil habebat: nam anno poſt altero à Sedecia Judæo, quo medico utebatur, veneno pulvere temperato interemptus eſt, calamitate magnâ mortalitatis; ut mors, quaſi multæ illi non ſuppetant viæ; permedicamenta

dicamenta & ſalutis inſtrumenta graſſetur. Calvus Boſonem conjugis fratrem creaverat ducem Italiæ, futurum ingentium mortuum fontem.

Ludovicus III. è ſermonis vitio Balbus dictus, purpùram Patris optavit potiùs quàm veſtivit; ac licet à Joanne Pontifice in Gallia coronatus, tamen nec titulo Imperij, nec jure frui, diu potuit; altero anno compendij, non ſine veneni ſuſpicione defunctus; hac unâ re memorabilis, quòd Auguſtos faſtos nomine impleat. *Ludovicus Balbus.*

Anno itáque Ch. 880. Carolus Craſſus Ludovici Germaniæ Regis filius, defuncto Balbo, præteritóque ejus filio Ludovico, Imperatorem ſegeſſit, nec omninò infirmum per ſeptem annos, in Normannos, Saracenos, & Comitem Tuſciæ ducem Spoletanum, cui ad Saracenos profugienti Berengarium conſanguinem ſuum oppoſuit; donec octavo anno, cùm Germaniam, Galliam & Italiam propemodùm ſolus teneret; imago humanæ miſeriæ caſu, cùm corpore ſimul animóque langueret, in Subditorum ac maximè Germanorum contemptum incurrens, deſertus ab omnibus; cliens factus Arnulphi Nepotis, ex Fratre Carolomanno & nobili concubina nati, vix impetratis ad uſum vitæ aliquot locis, tantùm non inops paulò poſt obiit: novo prodigio jungens mendicitatẽ & regnum; ne quid ſit cujus ſe Principes immunis putent. *Carolus Craſſus.*

Interea Balduinus primus extitit Flandriæ comes, anno Nempe 865. eâ dinaſtiâ à Carolo *Flandriæ.*

Calvo impetratâ, cujus filiam Juditham octo ante annos raptu abduxerat: pœnâ tanti criminis abusu rerum jam inde vertente in præmium. Et anno 887. permissa Neustria incolenda Normannis; cùm post graves clades illatas obsidione Parisios premerent; nec ratio alia suppeteret truculentos hostes amoliendi nisi donando partem totum rapientibus, ut abscisso membro corpus sanaretur.

Normannia.

Basilius Macedo.

Anno Christi 867. in Oriente Basilius Macedo ex priscâ quidem Arsacidarum nobilitate, sed annorum serie sic obscurâ, ut homo pauperculus in curandis equis ageret vitam, obtruncato Michaële gubernacula tenuit; nec pro equisone, justitiâ & fortitudine in paucis insignis. Statim à Deo principium; exturbato Photio Ignatium revocat; habitúmque ipsius curâ Concilium Generale octavum; Constantinopolitanum IV. anno Christi 869. quò damnatus Photius, & Iconomachorum zizaniâ evulsâ stirpitùs; deinde Saracenos plurimis expeditionibus, tum præsens, tum per Legatos, quos non obviâ felicitate majores rebus gestis quàm ambitione est nactus, sæpissimè vicit, ab eorum tyrannide Asiæ parte, Dalmatiâ, & Calabriæ pluribus oppidis ereptis. Nec omittendus Andreas Scytha, qui Tarsensem Amiram Mariæ filium arguentem infirmitatis, ejusdem filij potentiâ fretus ingẽti prælio delevit, ut cæsus Amiras Christi potestatem depredicaret silentio.

Concilium 8.

Basilio liberi, summa felicitas Principum, non defuerunt; Cæsares enim dixit Constantinum

tinum, Leonem & Alexandrum. Quamvis poſtea imminuta Felicitas in Conſtantino, quem morbus rapuit; & in Leone, quem magi Santabareni dilata ultio mancipavit carceri, & necaſſet fortaſſe, niſi Pſittacivox intermortuum affectum patris ſuſcitaſſet. Mox ipſe Baſilius 19. Imperij anno, novo prorſus caſu vitam egit. Ingentem enim percuſſurus Cervum, ab eóque raptatus ramis cornuum Zonæ implicitis, quamvis Zonâ ab uno Comitum abſciſsâ ſervatus eſſet, tamen læſis ex vulnere inteſtinis paulò poſt obiit; ita fortiſſimus Imperator ab animali timidiſſimo mortem hauſit; & ſervatus quidem. Malè tamen quod ſervatorem ſtringentem ferrũ necarì juſſerit; quaſi Zona lamẽtis ſcindi debuerit, & Chirurgi novacula parricidium ſit.

Aliquot ante annos Ignatio mortuo, in ſedem Photius erat reſtitutus, indignus quam vel ſemel inſideret. Is de Chriſtiana re peſſimè meritus, novo Bibliothecæ genere juvit eruditos, nec enim ingentia librorum volumina quandóque peritura capſis incluſit, ſed oculis lecta, animóque digeſta, ſcriptis mandavit, nullâ temporum injuriâ peritura: ſtudioſiſſimus omnium, qui poſteritati ultimæ ſtuduit. *Photius.*

Anno Chriſti 886. Leo Baſilij filius, ſervatore Pſitlaco patri redditus, ei ſucceſſit, ob artium ſtudia dictus Philoſophus; 24. annos Imperium tenuit, bello non admodùm felix; à Berengario & à Bulgaris expeditione gemina victus, ita inepti ſunt ad Martis *Leo Philoſophus.*

munera philoſophantes. Imò & inſidiis tentatus domeſticis, & in Templo fuſte percuſſus, vix ſervatus eſt. Nec prorſus philoſophiam coluit, Zoë pellice Auguſtæ uxori ſuperinductâ; adeò Philoſophia ſine Chriſto fucus eſt. Ventris morbo contabuit; filio ſuo Conſtantino adhuc ſexenni ſub tutela Alexandri fratris relicto, quem ex matrimonio quarto ſuſceperat.

Alexander poſt annuam adminiſtrationem in gancis poculíſque tranſactam, cùm pupillum Auguſtum caſtrare intenderet, nimiâ jactatione per nares & uretrum erumpente ſanguine extinctus eſt; in ipſa molitione ſceleris raptus, imbellem ætatem Deo vindicante.

Arnulphus. Anno Chriſti 888. Arnulphus Carolomanni è pellice filius à Germaniæ proceribus Carolo Graſſo ſubſtituitur, variáque ſorte novem annis imperat. Primus belli campus Germania fuit, in qua dum Bohemi per Hungaros ſubiguntur, patefactus eſt Hungaris in reliquam Germaniam aditus. Tum pugnatum in Belgio, Normannique poſt populatas Gallias victi, eorum centum millibus in prælio cæſis. Poſtrema Martis area Italia fuit; quam Guido Spoletanus & Berengarius Forolivienſis inteſtinis armis diſcerpebant: ab Pontifice coronatus Guido, Lamberto filio poſtmodùm moriens coronam reliquerat; quâ ſtatim ab Arnulpho Italiam invadente ſpoliatur; & in venatione ab Hugone Mediolanenſi perimitur. Arnulphus

phus præter alias urbes, Romam cepit; quod mirere, per luſum; dum milites lepuſculum fugientem per mœnia inſectantur, Romanis cuſtodibus metu perterritis & dilapſis; tuncque Roma gentium domina faciliùs quàm lepus captus eſt, in Germaniâ redux Imperator phthiriaſi periit, anno Chriſti 899. cùm antè Auguſta adulterij convicta acerbiorem vitam effeciſſet.

Ab Arnulphi obitu, Corona Imperij decurſis celeriter aliquot Carolianis, ad Germanos ſtatim tranſivit. Non tamen ſine turbis & ſanguine. Ludovicus Boſonius filius, Rex Italiæ proclamatus, cùm ſecurus dimiſſis copiis Veronæ ageret, à Berengario antea profugo deprehenſus; imperio privatur & oculis; anno Chriſti 904. Nec ideò tuta poteſtas Berengario; nam cùm Hungari vaſtatâ Germaniâ tranſcendiſſent Alpes, & in anguſtiis oppreſſi à Berengario, nec prece nec pretio ſalutem poſſent redimere, metu ut fit in deſperationem verſo, Berengarium ingenti clade profligarunt, vaſtarúntque Italiam nullo vetante. *Ludovicus 3.*

At Ludovicus Arnulphi filius duodecennis, deſignatus à Proceribus Imperator, nihil meliùs ſe Principem geſſit, Hungarorum irruptionibus & Procerum motibus in Germania ſua quaſi in carcere concluſus; donec anno Chriſti 912. ætate adoleſcens, toleratis rebus ſupra virum, morbo abſumptus eſt. Et in eo exaruit Caroli Magni Germanicus ſurculus, emigravítque Imperium

ad

ad Germanos, non in una tamen stirpe, quasi indagaret Austriacam; in qua quiesceret.

Tot inter tumultuantis Europæ funera, quis pietati consultum credat? Anno tamen Christi 910. Guillelmus Pius Princeps Pictonum & Arvernorum, Cluniacense Cœnobium in Burgundia condidit; cui primus Berno præfuit. Familia quidem ad Benedicti normam aptata, sed quæ deinceps Ordinis caput, & radicibus suis innitens truncus, feraciſſimos sanctitate ramos per Europam latè propagabit. Infelix nimirum Belli & Ignorantiæ seculum ruebat in præceps, nisi pacem & litteras Religiosi, quantùm in se fuit, sustentassent.

Cluniacum.

Conradus

Anno Christi 912. Conradus Fraconiæ dux, à Germanis coronatus est Impeerator; Othone Brunsvicensi jam annis gravi coronam recusante. Septem annis eo potitus, bellis intestinis in Germanos proceres, ac Hungarorum incursionibus vexatus est; hoc uno memorabilis, quòd fato proximus insignia Imperij ad Henricum Saxoniæ ducem, illius Othonis Brunsvicensis filium miserit, à quo nuper ingenti prælio victus esset, eum unum tanto fastigio aptum contestatus; tum maximè Principatu dignus cùm deponeret, qui ultionis libidinem, suorúmque commoda Reipublicæ posthaberet.

Halto Moguntinus.

Tunc alia morte raptus Halto præsul Moguntinus, in egenos animi ferrei, vitámque mortaliũ ultrò projiciens, frumento ut parceret; excitati læsæ charitatis vindices, frumentum

mentum direptum, natatæ aquæ, arx expugnata, ipſe humanitatis hoſtis in fruſtra diſcerptus, non ab Hungaris, vel Normannis, ſed quod multò majus, à muribus.

Eodem anno cicurati ſunt Normannorum animi, Rollonis ducis baptiſmate: is poſt Rothomagum ſexto ante anno expugnatũ, Francis imminebat, novas iterum clades illaturus; ſed à Deo victus, fidem ſuſcepit, & Giſlâ Caroli Simplicis filiâ in matrimonium acceptâ, tum demũ in Francicũ corpus coaluit. *Rollo Normannus.*

Et hoc tempore in Cantabriâ & Aſturiâ, ortum eſt Navarræ regnum ab Eneco Sanctio, qui Ariſta dictus; in ipſis Pyrenæi radicibus; quod inter Hiſpanos Gallóſque medium, utrámque gentem non tam dirimet, quàm componet, ambitione limites montium ſupergrediente. *Navarræ regnum.*

Anno Chriſti 919. Henricus Saxo, dictus Auceps, quod capienti aviculas delatum eſſet Imperium, 17. annis illud obtinuit. Quamvis armis fortis, bellum tamen ab Arnaldo Bavaro pro Imperio commotum, verbo non manu confecit, petito colloquio, & Bavaro perſuaſo; adeò vel furor prudentiâ regitur. Hinc Hungaros vicit Saxoniam vaſtantes, tunc Borealium partium luem: Miſniam in Sclavos muniit, primũque Miſniæ Marchionem erigit; Vandalos ad mare Balthicum ingenti prælio profligat, ac omiſsâ vel non permiſsâ Italiâ, paralyſi obiit; in bellis victor quæ non quæſierat, pacis nunquam compos quam unam quærebat. *Henricus Auceps.*

Italiâ

Italiæ Status. Italia interim in ultimam calamitatem prolapsa, propudiosum meretricum facta stipendium, sub Regum titulo discerpebatur. Nam præter Hungaros impunè grassantes, post Berengarium à Joanne 10. coronatum, eundémque à Rodolpho Burgundiæ Rege victum, & Veronæ Flamberti cujusdam necatum scelere; Hugo Arelatensis, ejecto Rodolpho, Rex dictus Italiæ, non à Pontifice, sed quod probrum sit, à meretrice; ab eadem statim regno depulsus est; uno verbo Muzonia, hoc est mulier, impudica, ambitiosa & potens, quasi emissa Orco Megæra, florentissimam regionem pessundabat. Præstat has turpitudines silentio tegi, quàm scriptis exponi; quibus Roma jam sui præda, non à Nerone sed à meretricula diripiebatur.

Pelagius Martyr. Feliciori calamitate usus est Pelagius, puer in Hispania nobilis, quem nec ætas tenera, nec Principis Mauri blanditiæ, nec atrociss ima tormenta à fide & pudicitia dimoverunt: In triumphatoribus Hispaniæ numerandus, qui se uno armatus, Saracenorum copias vicit, tàm blandientes, quàm sævientes.

Constantinus VII. Porphyrogenitus. Anno Christi 912. Alexandro mortuo Constantinus Porphyrogenitus Leonis filius, vix septennis, servitutem potius, quàm Imperium iniit; totâ propemodum vitâ pupillariter aut serviliter habitus. Ætate primâ tutores Constantinum Ducem imminentem puero vix amoverunt; & Simeonem Bulgarum Regem ab urbe precibus & muneribus, quod infirmorum est, depulerunt. Inde Zoë

mater

mater clavo admota, matrem quidem se gessit, sed Principem, cujus nutu regeretur & filius. Mox quasi Augustus Imperium foret non Imperator: de eo regendo duos inter fortissimos Duces contentio, Romanum qui Lacopenus dictus est, & Phocam. Romanus astutior, qui Helenâ filiâ Constantino in uxorem datâ, Phocam oppressit, & quasi perduellem excæcavit, Zoën cœnobio inclusit, filióque Christophoro Cæsare dicto, Constantinum generum sic nihili habuit, ut Imperator & Porphyrogenitus pingendis Imaginibus vitam toleraret. Sed nihil indignius quàm Theophylactus Romani filius, annorum sexdecim, in Constantinopolitanam sedem intrusus, eâ juvenis amentiâ, ut equorum amori omnia posthabens, illorum fimo sæpè insulas polluens, inter sacrosancta mysteria pullum equinum inviserit, bruto quovis abjectior, & ad Catabulum justè damnandus.

Romanus Lacopen⁹.

Theophylactus.

Sed tantam Deo ambitionem viri ulciscente, Romano raptus Christophorus filius; duo reliqui Stephanus & Constantinus superstites quidem, sed in paternam calamitatem: Ij quippe tam infensi severitati Patris, quàm eorum vitiis Pater, eum comprehendunt, attonsúmque in Insulam relegant; ut qui alienos liberos perditum ibat, perderetur à suis. Mox aliquando Porphyrogenitus exsurgens, destitutos Patre filios in vincula conjicit, statim relegandos, solúsque regnum capessit, quod cum Romano filio, ex Helena prioris

prioris Romani filia ſuſcepto, 15. annos geſſit donec ab eodem filio veneno perierit, anno Chriſti 959. vitæ 54 eo fato ut ſemper regnarit, at feré nunquam; ſecurus in alienâ poteſtate, in ſua perditus. Theophylactus ille Caballinæ gentis anteſignanus, morbo contracto ex incitata equitatione, intercute periit, fato Hipolyti dignior, ab equis ad inſaniam charis diſcerpendus, ut inde eſſet pœna, unde & culpa.

Otho Magnus. Anno Chriſti 936. Otho Henrici filius in Germania imperat; dictus eſt Magnus, pro rerum geſtarum amplitudine, quātùm calamitoſa ferebant tempora, quibus 36. annis afflictatus eſt & illuſtratus. Diuturnum bellum in ſeditioſos eum exercuit, quódque acerbius in geminos fratres; quorum Taumarus morte culpam luit, Henricus veniâ; adeo varia ſunt hominum fata, & priora emendantur poſterioribus. Poſt pacatam Germaniam ſollicitavit Italia, quæ à Berengario juniore ejúſque filio Adalberto regni nomine vaſtabatur; bis Alpes tranſmiſſæ, conflictum ſæpius; donec anno 968. Adalberto in acie cæſo, penitus extinctum eſt Italiæ regnum, Imperatore jure victoriæ potiſſimam ejus partem occupante. Nec modò victoriis magnus Imperator, ſed religione, baſilicis pluribus conditis ornatíſque perpetuâ beneficentiâ; partâ tandem Imperio pace deceſſit, quam tot annis ærumníſque tantis quæſierat; veré Magnus, ambitione conſcripta terminis.

Polonia Chriſtiana. Circa hæc tempora Chriſtus feliciter

Bo

Borealibus illuxit gentibus: nam anno 965. Poloniæ regnum ampliſſimum per Miciſlaum Regem fidem admiſit. Inuſitatâ causâ vis Amoris; quo ardens Micislaus, in filiam Venceslai Bohemorum Regis, cùm Virgo Chriſtiana abdicaret Ethnicum hominem; is ut ſponſam obtineret, Chriſtum amplexus eſt, coluítque conſtanter, Cracovienſi & Gneſnenſi fundatis Eccleſiis. In exemplum ivit pietas Regis, placuítque ſubditis ſentire cum Principe, nec enim efficaciùs imperatur, quàm agendo.

Colla agriùs ſubmiſit Dania, immanitate morum nondum ſubactâ, duobus Regibus deorum cultum vix evellentibus: quorum primus Heraldus à Suenone filio regno expulſus eſt; alter ipſe Sueno, tametſi initio infenſiſſimus Chriſtianis, tamen poſtea per adverſa doctus Chriſtum appellare, ſic eum coluit, ut jam præco fidei, proceres ſuos doceret quæ didicerat, piiſque verbis priora facta reſcinderet, tenui tamen fructu; donec Poppo vir Sanctus, illæsâ manu ferrum candens tractans, popularium ſuorum animos prodigio captos Deo adjunxit; adeo Barbaros inuſitata capiunt, & qui ſenſibus ſerviunt per ipſos ſenſus vincendi ſunt. *Et Dania.*

Infelicius in Hiſpania, quam Mahomades Maurus Almanſoris Regis Cordubenſis prætor crebris victoriis concutiebat, ejus generoſitate Saracenicum nomen inſtauratum, qui bis & quinquagies in Chriſtianorum terras irrupit, donec à Veremundo Legionenſi *Mahomades Maurus.*

Rege

Rege ingenti clades, perculsus doloris impatiens seipsum absumpsit inediâ, turpiori à se victoriâ quàm ab Hispanis.

Romanus junior

Anno Christi 959. Romanus junior Constantino patre veneno necato, Imperator factus est parricidio; potestate tantùm triennium usus, imò abusus, cùm voluptatibus & libidinibus totus marcesceret; per quas exhausto corpore, morbo vitam amisit, quam debebat ferro parricida: Puer appellatus, non tam ab ætate, quàm à moribus. Benè tamen quòd Nicephoro Phocæ commisit exercitus; tantùm enim vir fortis & prudens administratione novâ perfecit, ut Saracenos Cretâ expulerit, celebréque victorias, pluribus captis urbibus, in Oriente retulerit.

Nicephorus Phocas.

Nec Imperium arripuit, nisi vitam ne perderet, cui Brindes Romani cubilarius insidiabatur, futurus itáque Imperator aut nullus, maluit militibus purpuram ingerentibus obsequi, quàm inimicis mortem offerentibus. Theophano Romani viduam uxorem duxit, futurus Pater ipsius liberis, tam affectu quàm nomine. Instauravit palmas Imperator, quas privatus posuerat toto notissimus Oriente, Ciliciâ, Cypro & Syriâ Imperio adjunctis. Attamen Antiochiam Syriæ expugnavit invitus, monitus olim eâ urbe capta se periturum. Verùm non ab urbe, sed ab avaritia mortem offendit. Cùm enim tam odiosus domi, quàm foris clarus, militarem gloriam expilationibus civium deturparet, gravíque annonâ premeret populum, in insidias delapsus

delapſus eſt procerum, à quibus in Palatio peremptus eſt, ſexto poteſtatis anno. Gnarus odij publici, ingenti muro Palatium cinxerat; at ea die quâ muro perfecto claves portarum acceperat, à conjuratis intra murum ſportâ exceptis in cubiculo ſuo jugulatus eſt; veritáſque voci aſſerta, quâ ipſe monitus, fruſtra ad cœlum munimenta tolli, ſi intra malum exiſtat. Cæca mortalium providentia, quæ cavet longinqua: ut à propioribus pereat. Cavenda Nicephoro uxor Theophano, quæ ſe frigidiùs amari dolens, ad Tzimiſcem animum applicans, ad eum jam dotale tulit Imperium.

Igitur Joannes Tzimiſces anno Chriſti 969. Dux præclariſſimus, ſed Nicephori nece maculatus. Theophano in exilium actâ, juſtâ præpoſteri amoris pœnâ, Imperium adiit, & ex prima fortitudine adminiſtravit, repulſis Antiochiâ Saracenis, oppreſſis Nicephori affinibus, & Ruſſorum ingenti multitudine prælio victâ, quæ victoria Theodoro adſcripta Martyri, viſo inter ordines adequitare; juvítque Principem ſibi detrahi gloriam, Deo adjungendam. Primus omnium principum juſſit nummos imagine Chriſti ſignari, hâc inſcriptione, Jeſus Chriſtus, Rex Regum; placuit exemplum poſteris, Chriſtíque Regnum in Reges aſſertum, cujus nutu ponuntur Imperia & evertuntur. Sexto ſui anno Tzimiſces tabifico veneno periit, quod Baſilius Eunuchus præbuerat, veritus ne adminiſtratione quarundam urbium dejiceretur; *Tzimiſces.*

ceretur; ita tot virorum victor à Semiviro victus, juxtáque Nicephorum malo domestico raptus est, foris communitus.

Cayrus. Interea nempè anno Christi 971. ab Alcaito Saraceno, urbs in Ægypto ædificata est Cayrus, Memphim & Alexandriam ob rutura splendore & amplitudine, regníque sedes Babylonico æmuli, ita nescio quid præter conditores urbes æternat.

Otho II. Anno Christi 973. Otho secundus Magni filius Imperium tenuit; juxta Patrem agitatus bellis, sed sorte variâ; præter civile, quod Germani moverunt proceres, cum Lothario Francorum Rege sic pugnavit, ut ab eo primùm Aquisgrano pulsus, deinceps eundem Parisios usque, armatus egerit, ab eodem rursus multâ cæde ad Axonam fusus. Eâdem propemodùm sorte cum Græcis in Italia contendit, primùm victor, pòst victus ac fugiens; ægrè navi servatus quandiu latuit, ægriùs ubi agnitus est natatu evadens; ut aliquando regni gloria non oneri modò, sed periculo fit. Iram conceptam vertit in Italos, à quibus in pugna fugæ initium, Beneventum incendit, Romanósque clarissimos, vocatos ad convivium, occidit in epularum lætitiâ, verè morte improvisâ in vitæ ferculis; ipse postmodùm angore animi obiit; fortunæ & Martis variantis exemplum.

Eduardus Sanctus. At in Anglia magnum patratum est nefas anno Christi 977. in Eduardo Rege sanctitate morum illustri, qui novercæ dolo periit, Ethelredo filio regnum comparantis. Sed in subditos

ſubditos Deus crimen Principum ultus eſt; Anglia, Ethelredo Rege, Canuti Daniæ Regis depredationibus aſſiduis vexata eſt, & parta ſcelere poteſtas ſervitus fuit.

Et hoc tempore Anachoretarum Camaldulenſium Ordo inſtitutus, ab Romualdo viro integerrimo & abſtinentiſſimo; qui vitam in ſpontanea corporis afflictatione ad annũ viceſimum ſupra centeſimum produxit; adeò vivere non eſt indulgere voluptatibus. *Camaldulenſes.*

Anno Chriſti 982. Otho III. Secundi filius duodecennis Imperium auſpicatus eſt, pueritiâ factionibus multum obnoxiâ. Hinc enim Henricus patruelis, Bavariæ Dux ſibi Imperatorem & ſpem Imperij vindicabat; inde Atheleida avia matérque Theophano natum repoſcebant, eò juſtiùs quò ſecuriùs. Fides apud Proceres valuit, raptus Henrico puer; datúſque feminis, ita inſtitutus, ut pro ignorãtia temporũ litteratiſſimus, *Mirabilia* Mundi vulgò diceretur; doctrinæ laude eximiâ præ qua nihil in orbe mirabile foret. Romã adiit à Creſcentio Conſule turbis agitatam, & Gregorio V. Pontifice ſedi reſtituto, impetravit, ut ferunt, Electorum Septemviratum, quibus in poſterum deligendi Imperatoris facultas eſſet. Ad nobiliſſimam ſuffragationem lecti Præſules, Moguntinus, Colonienſis, & Trevirenſis; additi Duces Bavariæ & Saxoniæ, cum Brandeburgico Marchione, cui limes Imperij adverſus Sclavos jam commiſſus. Per hæc ereptus ſucceſſioni locus, datus ambitui; & Imperium per plures ſtir- *Otho III.*

pes

pes vagatum, ditavit plures opulentiâ ſuâ, ſibi tantùm detrahens, quantùm aliis largiens.

In hoc rerum ſucceſſu, nihil Othoni infelicius feminis; nam Maria conjux ob adulterium mente conceptum quod in Comitem Mutinenſem falsò impegerat; affecta ſupplicio domum Auguſtam maculavit infamiâ: & Creſcenti uxor Imperatori charior, quàm decebat, indignata hunc reſipiſcere, jam melioris frugis interemit, miſſis chirothecis veneno infectis, florentem ætate & ad ampliſſima inſtitutum, deceſſit orbus; felix ſi celebs; expertus feminas, tam in cunis probas, quám in toro malas.

Hugo Capetus.

Anno Chriſti 988. Regnum Galliæ ſecundò mutationem Principum paſſum eſt. Defecerat Caroli Magni genus in Ludovico V. ſine prole mortuo; Hugo Capetus vel à Ludovico regno donatus, vel Francorum comitiis lectus, tertiæ ſtirpi originem dedit; quæ prioribus, ut annorum ſerie perennior, ſic ſplendore rerum illuſtrior, non modò ad noſtrum ævum illibata pervenit, ſed orbi coæva, ſi cœlo creditur, perdurabit. Hugoni militari viro Robertus filius pietate ſummâ ſucceſſit; quaſi alter Numa poſt Romulum, ut quos armis efferaverat Pater, religione filius cicuraret.

Sabaudiæ Ducer.

Decennio pòſt novus Principum Surculus, in radicibus Alpium inſeritur in Betardo. Is Saxoniæ Ducis filius, & Othonis ſecundi ex fratre, nepos à Rodolpho Burgundiæ Traſiuranæ

ſiuranæ Rege obtinuit Moriennæ Comitatum, & Taurinatium Marchionatum. Unde orti Sabaudiæ Duces, Regum latâ proſapiâ; ſi regna meritum, non titulus condidit: quamvis nec à Cypro titulus defuit; ſed geſtorum gloria titulis major eſt.

Anno Chriſti 975. Conſtantini Porphyrogeniti filii, Baſilius ſecundus & Conſtantinus octavus, avitum tandem receperunt Imperium, mirâ Dei indulgentiâ. Nicephoro & Tzimiſcâ quaſi tutoribus, rem pupillorum agentibus. Sed eorum alter voluptatibus vixit, alter reipublicæ. Is Baſilius qui viceſimo ætatis anno throno evectus, eum per 50. annos inſedit, unus Principum perennitate imperij clarus. Nec inanis rebus annorum ſeries, ſed illuſtrium eventuum fœta, non vixiſſe modò ſed regnaſſe Auguſtum prædicat, Bardam Slerum uſurpantem Imperium per Bardam Phocam exulem vicit; in Italia contra Othonem Calabriam vindicavit; ipſummet Phocam rebellione, fœdantem victorias oppreſſit feliciter; Bulgaros tot annos Græcis imminẽtes ita continuis atrivit victoriis, ut penè deleverit; ſemel eorum capta 15. millia privavit oculis, remiſitque ad ſuos relicto turmis ſingulis uno duce luſco; obſtinatæ genti cæcitatẽ exprobrans mentis. Nec annis gravis à bello ceſſavit, in conſilio repetendæ Siciliæ deprehenſus â morte, dignus ſummâ laude niſi litterarum oſor, Fiſci ſtudioſus alienus à liberalitate, præclariorem Principis partem abſcidiſſet: obiit quidem cumulatiſſimo *Baſilius.*

Digitized by Google

mo Fisco; sed veræ regnantium opes, amor subditorum; fruſtráque congeritur, quod ſtatim alieno luxu periturum eſt.

Conſtantinus VIII. Conſtantinus, ventris Veneríſque mancipium, Baſilium fratrem excepit; optimè quidem, quòd jam annis pleno, proculcare Imperium diu non licuit; trienniũ ſuperſtes, rempublicã inertiâ, prodigalitate & crudelitate afflixit: id unum allaborans ut Zoe filiæ jam quinquagenariæ pararet Imperium. Quod nec perfecit ſine flagitio, dato *illi* in maritũ Romano, à prima uxore juſſo abſcedere: obiit tertio poſt nuptias die; unus maximè teſtis, non eſſe à fratribus idem expectandum, nec eſſe ſimilitudinem morum, quæ ortus.

Turci. Circa hæc tempora, anno nimirum Chriſti 1003. Turcorum nomẽ orbi innotuit. Ii gens Hunnica Caucaſi Borealis accolæ, à Sultano Babylonio evocati, ut Perſas rebellantes, contunderent, Duce Tangrolipice eos profligarunt. Sed cùm ad ſua redire à Sultano prohiberentur, commiſſo prælio Sultanus victus, victoréſque, Perſide, Babyloniâ & Meſopotamiâ occupatis, patriam feliciori ſolo immutarunt. Hi ſive antè Mahumeticâ lue infecti, ſive pòſt ex Saracenorum contagio, ſtatim evadent Mahumetis cultores obſtinatiſſimi, & maximo Chriſtianæ Reipublicæ damno tremendum Orbi ponent Imperium.

Henricus Sanctus. Anno Chriſti 1002. Henricus Bavariæ Dux, Ottonis primi ex fratre nepos, Eghardo Thuringio fruſtrà renitente cepit Imperium, æmulatione Principum litigioſum; donec eminens

eminens virtus tam ſecuro regno, quàm juſto potita ſit. Is Imperatoriis titulis Sancti nomen adjunxit, implevítque magnis virtutibus. Nec domi Sancto foris gloria defuit; quam triplici in Italiam expeditione, Harduico bis Longobardiâ pulſo, & ſeditione Ticinenſi oppreſſa, collegit luculentam. Et ejus felicitatem vel infirmior ſexus promovit. Sanè Cunegundis beatitudinis Henrici maxima portio, Virgo nupta Virgini, & in matrimonio eadem perſtans: felices Nuptiæ, quibus Virginitas pronuba, dos integritas, pudor ornamenta, & juncti ſunt animi immunes corporum. *Cunegundis.*

Nec in Gisla ſorore deſideratus Henricus, quæ nupta Stephano Regi Hungarorum, Chriſto conjugem peperit, gentémque ferociſſimam ad religionem veram traduxit; quaſi in fatis eſſet, ut per fœminas tota Europa Deo vinceretur. Porrò qualia virtutis rudimenta, quibus faſtigium ſanctitatis adeptus Stephanus, à fundamentis eminuit, ſuóſque docuit veræ virtutis nullas eſſe cunas. *Hungaria Chriſtiana.*

Obiit Henricus inter optima conſilia cum Roberto Franco communicata; nullo relicto hærede præter Eccleſias, quas & condiderat & ornaverat, præcipuè Bambergenſem; ratus, quod erat, Nepotes & poſteros interire, ævo ſupereſſe quod Deo ſacrum eſt. *Henricus.*

Iis temporibus aperta Normannis Gallis Calabria. Virtus pro numero; cùm eorum quadraginta nobiles à Ieroſolymitana peregrinatione redeuntes, Salernum Apuliæ *Normanni in Calabria.*

O obſeſſum

obsessum à Saracenis ita propugnarunt, ut incredibili virtute fuso Barbarorum exercitu, urbs liberata servatores exceperit, prærogativâ Principatus futuri, & felici amplissimarum rerum exordio.

Castellæ regnum. Anno 1011. Castellæ Comitatus in Regnum transiit; Sanctio majore Navarræ Rege, ob jus uxoris Castellam possidente, regnúmque appellante eam provinciam, quæ meritò Hispaniæ cor, vel ob sinum, vel ob generositatem, dici debet. Sanctio Ferdinandus filius successit, in quo statim novi regni effulsit titulus. Lusitaniâ maximam partem Mauris ereptâ, cui & regnum Legionense adjectum est, ductâ uxore Sanctiâ sorore Veremūdi Regis Legionēsis, jam Deo per mulieres Austriacæ stirpi cōparante Monarchiam.

Conradus II. Anno Christi 1024. Conradus II. Franconiæ Dux, ab Henrico Principibus commendatus, eorum suffragio lectus est Augustus. Et hic obiit consuetas expeditiones Imperatoribus, motibus Germanicis pacandis, & Italiæ bellis opprimendis. Papienses adegit arcem reponere quam everterant; Ravennates à quibus expellebatur, in urbe propria domuit, Romanos ad flagitandam veniam impulit, rixâ de corio bovis inter Germanum & Italum motâ; Ereptam Græcis Apuliam, Normannis, quorum operâ usus, attribuit. Post in Germania contra conjuratos, in Burgundia contra Othonem, in Hungaria contra Stephanum victor, iterúmque in Italiam profectus; pacato Imperio, cùm securus

curus de otio pacis cogitaret, tot periculis illibatus, morbo occubuit, anno poteſtatis 15. Vir imperterriti animi, qui diſcrimina nec quæreret, nec defugeret, noſſétque victoriam temperare clementiâ, tam parcendi promptus quam vincendi.

Hoc tempore Muſica incremento magno promota eſt, invento Guidonis Aretini; circa annum 1024. qui ſex Notas illas vulgares commentus eſt, ad juvandam eximiam diſciplinam, faciliúſque diſcentium animis imprimendam, aliquo humanitatis levamento, ut cùm litterarum jacerent ſtudia, ars honeſtiſſima eſſet in pretio. Et pietati conſultum in Monaſterio Vallis umbroſæ, quod anno 1030. in Apennini jugo conditum, magnis incrementis, illuſtríque virtutum ſplendore ad poſteros venit. *Muſica nota.* *Vallis umbroſa.*

Vidit & Gallia in Caſimiro adoleſcente quanti eſſet Mundus. Juvenis regno natus, quippe Mieslai Poloniæ Regis filius, poſt Patris obitum regno cum matre pulſus, dum Pariſiis dat operam litteris, Cluniacenſibus Monachis ſe adlegit, felici naufragio ad portum appulſus, nactúſque regnum abdicando. Nam aliquot poſt annos, jam Diaconus, revocatus à Polonis, & diſpenſante Pontifice throno impoſitus, uxore ductâ pro dignitate ſceptrum tractavit; quis enim tractat digniùs, quàm qui contempſit? *Caſimirus Monachus.* *Et Rex.*

Anno Chriſti 1028. Romanus III. Argyrus dictus, vel Argyropolus, quod ad prodigalitatem opes effunderet, cum Zoë conjuge *Romanus Argyrus.*

Digitized by Google

Orientis Imperium tenuit; geſsítque juxta Soceri Conſtantini, ſin minus ignaviam, ſaltem fortunam. A Saracenis maximâ clade in fugam actus eſt; mox ex prodigo avarus, id enim ſequitur, acerbiſſimè tributa exegit; fruſtráque à conjuge quæſitis liberis, cùm amaret illam ignaviùs, ab eadem ſexto anno veneno tollitur. Ubi Zelotypia libidinem armavit, quæ fides vetulæ?

Michaël Paphlago.

Anno itáque 1034. Michaël Paphlago Zoæ adulter, & eximiæ formæ, ab eadem in thalamum & thronum evehitur; fuítque faſtigium rerum, graviſſimorum ſcelerum merces. Sed neutri diu perſtitit tanti empta: nam Zoë ab Joanne Spadone Paphlagonis fratre redacta in ordinem, honeſtæ cuſtodiæ mancipata, ipsíque Joanni cura rerum incubuit; Paphlago comitiali morbo afflictatus, publico abſtinuit, purpuræ ſtipes, non Auguſtus: donec ejuſdem fratris conſilio Zoën cogit, ut Michaëlem Calephatem ex ſorore nepotem adoptet Imperio; ac inito Principatus ſui ſeptennio, ſeriò flagitiorum pœnitens, Auguſtum mutavit Clerico, ratus culpam faciliùs cum fomite perituram. Interea Maniaces Dux eximius eripiebat Siciliam Saracenis; ſed calumniâ, & aulicis artibus Conſtantinopoli impetitus, inceptum opus dimiſit, armíſque invictus fraudi ſuccubuit.

Michaël Calephates.

Michaël Calephates anno Chriſti 1041. Piſcatore olim navium genitus, cedente Avunculo thronum inſcendit, tam gradu indignus

dignus, quàm casu dignus. Primum crimen ingratus animus, quo Zoen relegavit, Joannem Spadonem avunculum expulit; alterum crudelitas, quâ in proximos sæviebat. Commota statim seditio, Theodora Zoës soror ab exilio quod indixerat Argyrus, revocata & Augusta dicta. Quin & Zoë à Calephate accersitâ instigante acriùs seditionem, Calephates & Constantinus avunculus victi excæcantur; Zoë iterum gubernaculo admota. Constantinum Monomachum in virum deligit, & honoris quàm amoris ardentior, ipsius patitur cum Scleræna dilectissima conjuge stare cõnubium; quasi Constantini alia uxor esset, alia Augusti: gemente interim Imperio inter trepudia & nuptias libidinosæ mulieris.

Constantinus IX. Monomachus.

Adit ergo Imperium Constantinus Monomachus, quinto post Calephatis initia mense; gravibúsque periculis statim impellitur; sive à Maniace Duce illo fortissimo, ambiente purpuram; sive à Leone cognato idem fastigium usurpante; sive à Russorum Principe innumeris navigiis Byzantium obsidente. Sed iis perfunctus periculis, æmulis feliciter sublatis; & Russis procellarum vi divinitus mersis; longè gravissimum à Turcis adiit, impunè percursantibus Orientem, & Byzantio jam imminentibus, quo etiam servatus est, eorum intestinis dissidiis, aliena damna in mutuas clades vertentium. Tot hostium liber morbo succubuit, & gemino quidem, articulari & pleuritico oppressus, anno Imperij 13. cùm

antea Zoe decessisset, tot Imperatorum uxor & serva.

Henricus III. Niger.

Anno Christi 1036. Henricus III. à colore crinium, Niger dictus, Conrado Patri successit, diversis expeditionibus in Hungaros clarus, ad Petrum eorum Regem reducendum; Romanóque bello implicitus ad sanciendam veri Pontificis dignitatem. Inter hæc decessit, dominatus anno 17. Filio Henrico adhuc septenni relinquens Imperium.

Anglia Danis liberata.

In Anglia dominatio Danorum extincta; revocata Anglorum. Nam defuncto magno illo Canuto Daniæ, Norvegiæ & Angliæ Rege, cùm & Canutum filium brevi mors rapuisset, Sueno Norvegus cui Daniæ & Angliæ regnum obtigerat, cum Danis omnibus, Haraldi fraude, Angliâ pulsus est. Quippe Haraldus Danos per præsidia distributos, exceptos conviviis, potósque liberaliùs trucidari jussit, unáque nocte per totam Angliam vino potius, quàm ferro extinctum est multorum annorum Imperium; nec enim Annibalem unum Capua perdidit. Haraldus Eduardo regni umbram permisit, ipse totius potestatis compos.

Michaël 5. Stratioticus.

In Oriente anno Christi 1055. Theodora soror Zoës defuncto Monomacho imperat; & anno sequenti Michaëlem V. consortem Imperii designat. Is jam decrepitus & nullius rei nisi militiæ gnarus, in qua versatus à puero, unde Stratiotici nomen collectum, ab Eunuchis eò promotus est, ut consilio indigeret alieno, nihilque ratum esset, quia ipsi

ipſi gererent. Sed utráque poteſtas, tam ſervientis Imperatoris, quàm ſervorum imperantium, brevis fuit.

Nam anno 1057, exercitus Iſacio Comneno imponit Imperium, urbémque capit, truſo in Monaſterium Statiotico, & ad militiam novam applicato: Cujus tamen exemplum Iſacius ſponte æmulatus eſt quarto poſt anno, depoſitâ purpurâ, & Conſtantino Ducæ traditâ. Dicas illo ævo Orientis Imperium luem eſſe, quâ contacti perirent ſtatim, ni ipſa periret; & Purpuram crimen fore, eluendum morte vel pœnitentiâ. *Iſacius Comnenus.*

Anno Chriſti 1054. Hēricus IV. vix infantiam egreſſus inauguratur Imperio, ſub tutela matris Agnetis. In eo videas obſtinatum pectus luctari cum cœlo, & contumaciam criminis, nec adverſis fractam, nec mollitam proſperis: Regni annos bellis aut periculis diſtinxit, nullum fuit tempus quo non vinceretur aut vinceret; tres paſſus conſortes Imperij, tres Pontifices ſacris fulminibus intonantes, duos filios in ſe pugnantes; bis coronâ ſponte exutus, ter diris devotus; & cùm tot malis ſuperfuiſſet, nuſquam reſipuit; ita in chalybem cor indurverat. Fons calamitatum, indulgentiâ maternâ corrupta indoles & conſuetudo peccandi à teneris: porrò faſtigium, detractâ ſummo Pontifici obedientiâ. Hinc à Gregorio VII. olim Hildebrando, fortiſſimo Eccleſiæ propugnatore, pronuntiatum in Henricum anathema, hinc Germania atque Italia bello flagrantes. *Henricus IV.*

At ubi ex pœnitentiâ peccavit gravius Imperator, & poſt impetratam à Gregorio veniam, ad ingenium hoc eſt ad contumaciam reverſus, condonatum crimen novo ſuſcitavit; Patrem Judice Pontifex mutans, ut perſtaret exauthoratio, curavit in Comitiis Procerum, Rodolphum Sueciæ ducem Auguſtum legi, unde novâ belli ſeges, quo anno quarto Rodolphus occubuit, ſervatúſque ultioni divinæ Henricus. Nam ſucceſſu clarior in Italiam advolans, Romam obſidet, capítque primò Leoninam, ductu Godifredi Bullionij, cui deinde in præmium Lotharingiam tradidit; tum poſtea veterem urbem expugnat, incluſo in Adriani mole Pontifice. Feliciter hactenus, cùm Robertus Normannus ex Calabria expeditus Gregorium liberat, & ultioni imminentem Cæſarem in fugam agit, cum Pſeudopontifice Clemente II. Deo tam ſonti quàm inſonti indulgente, dum illius crimen, iſtius pœnam imminuit.

Nec ideò adverſorum, proſperorúmque pugna ceſſavit; quippe Gregorio Salerni mortuo, victus Henrico hoſtis obiiſſe, ſed ſtatim in Urbano II. Clunianenſi olim Monacho, ut Eccleſiæ clypeus, ſic Henrici gladius promptus eſt, diræque in perduellem Principem renovatæ. Quin & Conradus filius ut Eccleſiam matrem agnoſceret, Henricum Patrem inficiatus, ei detractat obſequium qui Deo negaret, ſed occulto Dei judicio ſublatus æmulus, liberatúſque Pater neceſſitate belli, quo vel victor perderet. Poſt Urbani

obitum

obitum Paſchalis Pontifex, cum Henricus perſtaret in crimine, in pœna perſtitit, & Henrico filio Patrem ejurante, ipſúmque; adigente, ut Moguntiæ inſignia regni deponeret, vidit noxium obſtinatiſſimúmque; rebellionis in aliquot urbes profugum, tandem Eccleſiæ ſupplicia pendere, odioſum omnibus, penè omnium egenum, animam agere, anno Chriſti 1104. capacem equidem magni Imperij, bellóque ſtrenuum, quod vel Saxones continuis ab eo victoriis profligati teſtantur; ſed fœda aſperſum hæretici labe, per quam dotes vertit in crimina; ſi minùs valuiſſet, minùs peccaturus.

Normanni in Calabria.

Inter hæc, magna rerum momenta mutarunt aliquot in terris regna. Normanni in Italia Duce Roberto Guiſcardo condunt Principatum: is anno 1059. à Nicolao II. ſummo Pontifice Apuliæ & Calabriæ dux renuntiatur, ſed Romanæ Eccleſiæ vectigalis; quam eximiè in Imperatores hæreticos tum ipſe, tum ex poſteris plures propugnarunt; hac maximè fide ſe Gallos teſtati. Sicilia pariter Rogerio Roberti filio aſſignata, tunc à Saracenis poſſeſſa, pòſt iiſdem magnis facinoribus eripienda.

Et in Anglia Guillelmus Nothus.

Nec Italico mari Normannorum fortitudo conſcripta eſt, tranſiluit Oceanum, & Angliam vicit. Nam cùm Eduardus abſque liberis obiiſſet; & Guillelmum Normanniæ Ducem Nothum dictum, heredem ſcripſiſſet, Haraldus depoſitâ larvâ ſe Regem geſſit. Sed anno Chriſti 1066. Guillelmus

Digitized by Google

accepto ab Alexandro Pontifice vexillo, transmissus in Angliam, commisit prælium, quo Haraldus cæsus, ipsique regnum Insulæ partum est; multis annis tenendum à posteris; nec tamen incruentum, diu Anglico solo Principum sanguine macerato.

Delphini Viennenses.

In Gallia novus Principatus à Guige Gratianopolis Comite, anno 1075. qui nomen sibi fecit in Delphinatu Allobrogum gente, vnde Delphini Viennenses orti, inter Franciæ Reges & Sabaudiæ Principes medij, cóque tutiores.

Carthusienses.

At longè illustrior Delphinatus Carthusiâ solitudine, quæ anno Christi 1085. à Brunone & sociis incoli cepit. Opus divinæ gratiæ prodigiosum, quæ naturam vincens, Eremum horribilem mutavit Elysiis, & corporatos Angelos terris dedit. Propagata in Europam reliquam solitudo, & Carthusia plerisque in locis inventa, vel facta: Mirùm, tot homines abdi sponte vivos in sepulchra! sed veri Phœnices nanciscuntur cunas in tumulis; nec vivunt ulli suaviùs, quàm ita mortui.

Cistertienses.

Et in eadem Galliâ, novâ militiâ aucta Religio; anno 1098. in Cistertiensium ordine, quem condidit in Burgundia Robertus Abbas, loci nomine traducto in Ordinem; mox magnis incrementis promovendum ab adolescente Bernardo. Sed anteà monstrum alebat Gallia, Berengarium Presbyterum Turonensem; qui primus mille post annos ausus inficiari Christi verum corpus in sacrosanctis offerri mysteriis, propagavit hæresim;

Berengarius.

sim; tunc ab universa damnatam Ecclesia, & constanter postea diris sacram. Quin & tanti author delirij bis palinodiam recantavit, séque ipse damnans impietatis, successores damnavit longò pòst tempore, eandem amentiam retexentes.

Stanislaus.

Polonia Regis sui scelus novâ ignominiâ eluit, anno 1097: scelus in Stanislao viro sanctissimo à Boleslao Rege per nefas occiso; ignominia, præter Regem percussum anathemate, in expungendo Regio titulo, quo Polonia ducentis annis caruit; ut meminissent posteri non omnia licere Regibus, nec ipsorum arbitrium, legem summam esse.

Portugallia.

In Hispania novum Lusitaniæ regnum habet primordia anno Christi 1089. Cùm enim Alphonsus Castellæ Rex, Toletum ante aliquot annos expugnasset; & Hali Saracenorum Princeps ad suorum res instaurandas, ex Africa in Hispaniam trajecisset, ingens discrimen res Christianas adibat, ni Galli Proceres opitulati essent Hispano. Illorum insignis virtus enituit, præcipuè Raimondi Tolosani, Henrici Lotharingi, & Raimondi Burgundi, quibus Alphonsi filiæ, nuptui datæ, & Henrico dotis nomine quidquid Christianorũ erat in Lusitania. Unde postea Portugalliæ nomẽ & regnum magno Christianæ fidei incremento: quippe conditum regnum fide & religione, iisdem artibus adolevit.

Jerosolymitanum regnum.

Sed nullum iis temporibus, laudabilius facinus, quàm quod susceptum est, ab Europæis Proceribus ad Jerosolymam Saracenis eripiendam

cripiendam, Sanctissimi belli turba, Urbanus Pontifex in Concilio Claromontano in Gallia, expeditionis principes, Godefridus Dux Lotharingiæ, Balduinus & Eustachius ejus fratres; Hugo Regis Galliæ frater, Robertus Flander, Stephanus Blesensis, Raimondus Tolosanus, Boëmundus Apulus, Insigne, Crux panno puniceo insuta vestibus, milites; effusissima mortalium copia, Regni præludia, Nicæa Bythiniæ capta, Antiochia per summam commeatus inopiam expugnata, & à Turcis statim obsessa, à Christianis erumpentibus servata, centum millibus Saracenorum cæsis in eruptione; tandem anno Christi 1099. quarto post susceptam expeditionem, Jerosolyma 33. die obsidionis capta, horribili hostium strage. Bullonius qui in muros primus insilierat, regni Jerosolymitani coronâ donatus, ereptúmque Barbaris Sacrosanctum Jesu Mausolæum. Inde Ascolonem itum, ubi Admiravistus ingenti suorum cæde in fugam actus est.

Sed fortunata exordia detrivit illico Godefridi mors, anno ab inito regno proximo, quasi puderet ubi Christus passus sit imperare. Viro fortissimo & Christianorum Principum speculo successit Balduinus frater, urbésque Palæstinæ maritimæ, Genuensium ope expugnatæ. Brevi tamen has victorias corrumpet avaritia cum dominandi libidine; & ubi vitia Saracenorum Christianos imbuerint; bene parta malè dilabentur.

Interea

Interea parvis initiis magnarum rerum incrementis facta est. Hospitalarij circa annum Christi 1104. instituti sunt; quorum erat se pulchrum Christi adeuntibus, suppeditare necessaria. Ii postea ut id muneris religiosiùs obirent, sacris vestibus cum albata Cruce in pectore à vulgo distincti sunt. Ex necessitate peregrinos tuendi accessit studium rei militaris, & in eum ordinem plerísque Nobilium confluentibus, ex Hospitalariis orti Equites primùm Hierosolymitani, deinde Rhodij, postremò Melitenses; Reipublicæ Christianæ firmissimum propugnaculum, irrumpentis Turcæ agger immotus; & sibi ipse succrescens æternus sine fœmina, miles sine prole. *Hospitalarij Equites,*

Anno Christi 1061. deponente Isacio Imperium Orientis, suscepit Constantinus Ducas, domi quàm foris melior, litterarum amantior quàm militiæ, eam enim quod stipendiis parceret solvit, limitésque Imperij Turcis aperuit. Uros tamen Scythicam gentem lacrymis vicit & precibus, quibus ad Deum fusis gens barbara peste absumpta est; ità est quædam infirmitas potens. Octavo dominationis anno obiit, Eudoxiâ Augustâ jurejurando adactâ, ne alij viro enuberet, ut custodiretur Imperium liberis; sed malè fœminæ viduitas creditur. *Constantinus Ducas.*

Septimo mense à viri obitu, anni 1068. nupsit, Romano Diogéni, eũque purpurato lecto admisit. Porrò Diogenes animi acer, emendaturus Ducæ inertiam, transivit in Asiam *Romanus Diogenes.*

variúsque

variisque prœliis Turcas profligavit; donec extremo à Constantino Duce fratre desertus, fortiter pugnans à Turcis captus est; & miro fortunæ lusu ab eorum Sultano fortitudinem viri suspiciente dimissus, à privignis Constantini filiis proditoriè interceptus; excæcatus est, sequutâ morte ex vulnere. Ita pax bello sævior, & hoste vel Turca est affinis implacabilior.

Michaël Parapinaceus.

Inde anno Christi 1071. Michaël VII. Ducæ filius, dictus Parapinaceus, post tantum crudelitatis facinus imperat, sed umbraticè duntaxat, à Psello præceptore orationibus & Iambis scribendis adhibitus (unde forte Parapinacei nomen) reipublicæ curâ ad Nicephorum Logothetam traductâ. Porrò diversa sunt Imperatoris & Oratoris munera; debéntque Principes scribenda facere, non facta scribere.

Nicephorus Botoniates.

Sed ei statim otiosum scribendi spatium paraturus Nicephorus, dictus Botoniates, quasi vacuam nactus Rempublicam, usurpat Purpuram, anno 1077. scriptorémque Poëmatum, in Cœnobium tradit. Idem ipse quarto pòst anno ab Alexio Comneno passurus. Nec hic prætereundus Xiphilinus Trapezuntius, Patriarcha Constantinopolitanus, doctrinâ clarissimus, qui Dionis Historici epitomen dedit; malè an benè, judicent posteri, qui fruuntur Epitome, Dione orbati.

Alexius Comnen⁹.

Anno Christi 1081. Alexius Comnenus Isaaci Imperatoris filius, acclamatus Augustus à Legionibus, urbem regiam occupat, &

Boto

Botoniatem Monaſterio claudit. Tunc inventa illa honoris nomina Sebaſtocrator & Protoſebaſtos, ad Iſacium Alexij fratrem appellandum, quibus natu major delinitus non invideret Auguſti titulum, & aliquid purpuræ, nomine tenus decerperet. Alexius diuturno Imperio memorabilis, nam 38. annos regnavit; Latinorum gloriam invidentiâ auxit: cùm enim iniquiùs ferret veteres Græcorum æmulos, ſuo in agro ſementem facere, nihil non tentavit quo eam perderet. Sed tàm vis repulſa quàm eluſus dolus, quippe à Boëmundo in Thracia victus, ab armis deſtitit, & dolus irritus, ubi non temerè creditus eſt, fidéſque Græca ſemel deprehenſa, ſeipſam exauthoravit. Prius Imperio, quàm ſibi mortuus, Joanni filio, antè quàm decederet, poteſtate ceſſit; plura patraturus, ſi cum Latinis arma & conſilia communicaſſet. Sed ambitio ſolitaria eſt, conſortium fugit.

Henricus V.

Anno Chriſti 1105. Henricus V. Patre mortuo, ejectóque ipſius cadavere, cum fatali Imperio bellum in Eccleſiam Romanam ſuſcepit. Nam ubi aliquandiu in Germania proluſit, copioſo exercitu in Italiam ducto, Paſchalem Pontificem opprimit, & à captivo per vim inveſtituræ jus obtinet, quæ litium cauſa jam inde à Patre. At ubi vis, quæ ibi voluntas? abſcedente Henrico, reſciſſa omnia, illigatúſque anathemati Imperator; niſi malè obtenta ſtatim ejuraret. Quare defunctus Saxonum armis in Italiam redit, & poſt mortē Paſchalis ſubſtituto Gelaſio opponit Anti-

Antipapam Burdinum; Gelasio in Galliam Pontificum portum confugiente, & paulò post in Cluniacensi cœnobio obeunte. Tandem in Calisto III. coaluit pax; Buidinus imago Pontificis, Sutrij captus, Saxones denuò armis minantes, Germani Proceres belli pertæsi, expugnarunt Henricum, impetrarúntque ut occupato decederet jure: sic solutis diris Ecclesiæ restitutus est, & anno regni 20. feliciùs quàm Pater obiit. Cùm interea Romana Eccelesia, præter Mathildis opulentam in Etruria hæreditatem quam adiit, ex imbecillitate potentior, in vinculis & exilio jus suum obtineret, & de armatâ contumaciâ nuda triumpharet.

Concilium 9. Lateranense 1. Præmonstratenses.

Sed & specimen sui edidit in Concilio Generali nono, Romæ in Palatio Lateranensi habito sub Callisto III. anno Christi 1121. trecentis Episcopis convenientibus, quâ maximè jura sancita Ecclesiæ. Et adepta milites in condito præmonstratensium Ordine, anno 1116. cujus autor Norbertus, vitæ arctioris studio; instituti rationem cœlo præmonstrãte, unde loco & ordini nomen. Nec in ejus triumphis prætereundus Bernardus, adolescens Burgundus, qui tertio ante anno Cistertiensium familiæ, cum luculenta caterva juvenum se adscripserat: vir miraculorum præsertim in animos, quos fingebat ad arbitriũ, religiosæ vitæ Alexander, magnarum rerum administer; Pontificum & Regum Magister, Christiani orbis unus propemodùm norma; cui solum & cœlum obtemperarent.

Sanctus Bernardus.

Et

Et ad Ecclesiam spectat Templariorum militum institutio, anno 1118. quorum erat habitare juxta porticum Templi, unde Templarij, in Palestinam peregrinantes deducere, & à Saracenorum direptionibus tueri, magno in posterum futuri nomine, summísque opibus: unde pernicies; malè enim professus Christum cum opibus; quæ nimiæ vel animum lædunt abusu; vel corpori nocent, dum sui desiderium non habentibus movent. *Templarij.*

Circa hæc tempora bellum exarsit inter fratres, cujus igne, duo potentissima regna Galliæ & Angliæ, multis deinceps annis conflagrarunt, ortâ de Angliæ regno contentione inter fratres Henricum & Robertum, Henricus victoriâ non tantùm Angliã sibi asseruit, sed & Robertum Normanniâ expulit, anno 1107. ideò se clientem beneficiarium Regi Galliæ Philippo professus. Sed inde belli seges perpetua; id quippe Regum est, ut vix ullum parem, superiorem nullum patiantur. Concitatum bellum decimo pòst anno, pro Gisortia arce, Henricum inter & Ludovicum Crassum; quod deinde sopitum est, non oppressum. At Henricum excepit magna calamitas, ipsius liberis in freti Britannici transitu mersis, ut qui fratri bona eripuerat, non haberet cui vel sua relinqueret. Superfuit Mathildis filia, Henrico Augusto nupta, multarum origo controversiarum. *Bellum Anglo-gallicum 1.*

Tunc cepit Sabaudia usurpare nomen in fastis Principum, ubi anno Christi 1107. *Sabaudia.*

Amedeus

Amedeus secundus Maurienne Comes, dictus est primus ab Henrico Imperatore Sabaudiæ Comes, virtute Comitum propagationem limitum excurrente.

Veneti. A Venetis in Oriente præclarè res gestas; quorum Dux Dominicus Michaël excitatus à Calisto, ad ferendam opem Christianis in Palæstina laborantibus, instructâ classe Joppen à Turcis obsessam liberavit, Tyrúmque Phœniciæ celeberrimam terra marique quatuor mensibus oppugnatam, Alexandro constantior cepit. Dum Genuenses & Pisani mutuis cladibus atterebantur.

Lotharius II. Anno Christi 1125. Lotharius Saxoniæ Dux, post multum procerum ambitum Imperator eligitur, quâvis renittens admodùm. Is temporibus difficillimis provisus est cœlitus ad propugnandam Ecclesiam, periculosissimè laborantem; nam innocentius II. Pontifex à Rogerio Siculo, quem pellebat Apuliâ, captus; inimicis locum dedit evehendi ad sedem Petrum Leonis, Anacleti nomine; à quo tametsi liberatus, à Rogerio Româ prohibitus, profugit in Galliam, ope Ludovici quintùm implorata; quam jam ante Urbanus, Paschalis, Gelasius & Calistus, non irritis votis, flagitarant; adeò Gallorum est præbere portum Petri naviculæ.

Sed & Lotharius appellatus, ac Bernardi divinâ emollitus eloquentiâ, Germanum Imperatorem se gessit: reducturus Pontificem, primùm Italiam petiit; secundùm Romanos ad obsequium adacturus, tertiùm Rogerium

gerſum, qui ſolus obdurato animo tuebatur, Anacletum totâ Italiâ depulſurus: reſponderunt optatis eventa; Innocentius Sedi reſtitutus, Romani in obſequium acti; Rogerius cum Pſeudopontifice ingenti victoriâ terrâ marique victus, in Siciliam ſuam ſe recepit; Anacletus ab omnibus exploſus paulò poſt obiit; honore ignominioſus, & in dignitatum apice execrandus; tanti intereſt, ſuffragatorem habere Deum, an homines. Lotharius tantis rebus geſtis, in Italiæ reditu obiit; quam à ſe pacatam diviſit aliis; unus Imperatorum à Carolo, cui res Eccleſiæ, ſuæ eſſent, cuique vires & fortunam impenderet.

In Hiſpania novum portenti genus viſum eſt, Eunuchus & Pater, Maritus & Presbyter, & Monachus: Is Ramirus è Monaſterio ad thronum eductus, ut fratri Alphonſo Aragoniæ Regi in obſidione Fragæ perempto ſubſtitueretur; anno Chriſti 1126. ſummo Pontifice ob neceſſitatem regni diſpenſante. Quippe privata poſthabentur publicis, regnúmque jus ſummum eſt, cui reliqua cedunt. *Ramirus.*

Gallia etiam ſuo privilegio viſenda, quæ per annos 361. aluit hominem. Is Joannes à Stampis ſive à Temporibus, quaſi temporum dominus vitâ tam longævâ, ſub Carolo Magno ſtipendia meruerat, obiitque tandem ſub Craſſi filio, anno Chriſti 1123. felicem putas; ego diu miſerum nam præter communia tempeſtatum, belli & morborum mala; quanta miſeria per tot annos in momenta *Joannes de Temporibus.*

fatum,

fatum expectare, & subire mortem quoties fugis? si mali metus malo gravior est.

Fulco Rex Jerosolymæ.

Anno 1133. Novi Regis auspicia victoriâ Palæstinam ornant. Nam Fulco Andegavensis Comes dum religionis causâ Ierosolymam petit, sponsam & regnum nactus est: quippe Balduinus secundus Rex Jerosolymorum, virtute Juvenis commotus, huic majorem filiam Melisscindam cum spe regni collocat; aspiravítque nuptiis cœlum, ingenti victoriâ de Turcis partâ. Ita Pietas honorificè excepta, myrto, auro, lauro coronata est.

Conradus III.

Anno Christi 1137. Conradus Dux Sueviæ renuntiatur Augustus, statim civili bello implicitus, Henrico Superbo Saxoniæ Duce ad idem fastigium aspirante. Sed Henrico proscripto & mortuo, cùm Guelpho frater bello non cessaret, Conradus Vinsbergum obsidet, Guelphone acerrimè propugnante. Ibi primùm natæ celeberrimæ illæ factiones, quæ deinde tot annis universam Italiam devastarunt, Guelphorum & Gibellinorum; nam à Guelphone, Guelphi hostes Cæsaris, Cæsariani Gibellini dicti à Geblinga natali solo Conradi. Ibidémque editum præclarissimum illud muliebris virtutis exemplum, cùm urbe deditâ, fœminæ, quibus datâ, asportandi quæ vellent licentia, efferentes humeris viros suos, iram Cæsaris emollierunt; quasi triumphales conjugalis affectus quadrigæ, & Christiano matrimonio dignæ, quo mariti gratiâ spernenda omnia.

Guelphi Gibellini.

Sed

Sed iis motibus difficiliùs bellum finem imposuit. Fulco Rex Jerosolymæ, sectando leporem, equo excussus, mortem invenerat: uxor & impuberes filij gubernaculo tanto infirmi, Edessâ à Noradino præstantissimo Saraceno expugnatâ, Christianorum opem appellabant. Bernardus ille, Rex animorum, Cœnobij tenebras Aularum luce immutans, apud Ludovicum VII. Galliæ Regem, tum apud Conradum, sacri belli Tuba, Cruciatam expeditionem pronuntiat. Sed quantùm interest Divina inter & humana consilia! Cæsar ductis ducentis peditum, Septuaginta Equitum millibus, per Hungariam capessito itinere, Manuelis Græci Imperatoris invidiâ, cui præbita fides, frumento ab eodem malignè præbito, vel cum pernicie gypso admixto, fame & morbis, viarúmque errore corrupit exercitum. Delatus deinde cum Franco in Syriam, sed nullo emolumento; conficiente discordiâ quod affectum erat invidiâ: cùm enim duo exercitus Teutonicus & Gallicus Damascum obsiderent; Duces veterani, ne urbs traderetur Theodorico Flandro, in latus alterum transferunt castra; unde soluta obsidio, Conradúsque ad suos rediit. Franco postmodùm hærente ejus vestigiis. Ita florentissimi exercitus, à generosis ducti Principibus, ex fortissimis orbis conflati gentibus, religiosissimo impulsi consilio, non modó re infectâ, sed calamitosissimè gestâ, in hostico perierunt. Nempe Deus cœlo, non terris expeditionem indixerat, quæ

Cruciata expeditio.

quærebátque milites aſtris laureatos. Conradus aliquantò pòſt Germaniam redux Bambergæ obiit, dum de pacanda Italia cogitaret.

Ea quippe motibus agitata graviſſimis armatum Cæſarem flagitabat. Nam quamvis anno 1139. habitum eſſet Concilium Generale ſub innocētio II. in æde Lateranēſi, quod ordine decimum eſt, & Lateranenſe II. ab Epiſcopis mille frequentarum, in quò Pſeudopontificis Anacleti acta reſciſſa ſunt: tamen haud multò pòſt Innocentius à Rogerio Siculo captus, eum Apuliæ Principem, Regémque Siciliæ dixerat, futurum Eccleſiæ clientem in poſterum; Rogerio dum Conradus bello Germanico diſtinebatur recipiente in Italia, quæ Lotharius ceperat. Sed Romani poteſtatis cupidi ejecerunt Pontifices, urbéſque finitimæ inteſtinis bellis vexabantur. Eos quidem Eugen. III. redegerat in ordinem multo labore, ſed animis acerbatis infida pax erat

Concilium X. Lateranenſe II.

Anglorum Gallicũ bellum 2.

Gallia in Eleonoræ Reginæ repudio bell graviſſimi ſemente fecit; anno 1151. Eleonor cum Ludovico cõjuge in Palæſtinã profecta Antiochiæ corrupta, & pudore violato ve læſo, redux à Ludovico Rege dimittitur: ig nominiæ impatiens feminina Pictavos & Aqu taniã cum ulciſcendi libidine, ad Henricum cui nupſit ſecundò, detulit. Ita Henricus ma terno jure Anglorum Rex, & Normannia Dux; paterno, Comes Andium, Turonum, & Cenomannorum, auctus novâ uxoris dote tâ inſtigante mox bellum in Gallos conciet

quo

quod potius civile Gallicum, quàm Anglicum dicas; cùm Gallia in partes divisa, hinc duntaxat Anglos socios habuerit, mutuis consciissa vulneribus, donec menbra iterum in corpus unum coalescant.

In Hispania res melius gestæ, ac Portugalliæ regni titulus partus anno Christi 1139, Revocata veterum Imperatorum acclamatio, quâ Alfonsus est Lusitaniæ Princeps parta de quinque Regibus Mauris insigni victoriâ, ab exercitu Rex proclamatus est: transmissa ad posteros pugnæ memoria, Regúmque Portugalliæ sumpta insignia, quinque minora scuta in cæruleo clypeo impressa, ad designandos Reges profligatos. Hoc regna debent fundamento surgere, fortitudine piâ & felici. *Portugalliæ regnum.*

Anno Christi 1118. Alexio mortuo Joannes filius, ob formam corporis Calojoannes dictus, Orientem excepit. Primùm iu suos clementiâ & moderatione pugnavit; nam Irene mater in Bryennium generum propensior, insidias Joanni intentabat, quibus periisset, nisi Bryennij socordiâ occasione corruptâ, se Joannes ipse confirmasset, suósque ad meliorem mentem revocasset parcendo. Inde domi expeditus, se foris exprompsit Turcas magnis affecit cladibus, multis eorum urbibus expugnatis, ad Istrum accolas quâ vi, quâ industriâ, sub jugum misit, & contractâ cum Lothario amicitiâ, Persamenios ingenti prælio stravit. Quæ laurea Mariæ adscripta Deiparæ, ipsíque triũphus Constantinopoli splen *Calojoannes.*

ſplendidiſſimus actus eſt; glorioſiſſimâ Joannis modeſtiâ, quid enim honorificentiùs, quàm Mariæ ductu pugnare & vincere, & habere propitiam, quam ambiunt Cœli?

Poſtremò Joannes cùm ab æmulatione, ne invidiam dicam, tranſverſùm actus, rebus Syriacis Chriſtianorum parùm proſperè ſe immiſcuiſſet, tam fortiter, quàm infeliciter obiit: lævâ enim fortè in venatione læsâ telo venenato, cùm ipſi vel moriendum eſſet, vel manus truncanda, illud elegit; negans unimano Cæſare terras regi poſſe; verè periturus integer, & corporis damno manum ſervaturus. Ex liberis minori Manueli legavit Purpuram, prætermiſſo Iſaaco majore natu, iræ impotentis juvene: hoc exitu exſcribens Principem, cui Reſpublica pro liberis eſt.

Manuel. Itáque Manuel Comnenus ſuccedit anno Chriſti 1148. potius Latinorum invidia, quàm fortitudine paternum exemplum. Cui perniciem debuit Conradi exercitus, Francúſque calamitatum maximam partem. Fatis vicinus, Aſtrologiæ cui fidebat admodùm deteſtatus ineptias, Monaſticam veſtem induit; ipsâ morte confutans Aſtrologos, ſuperfuturum annis adhuc quatuordecim pollicitos. Sed Aſtrorum ſermo à mortalibus tantâ diſtantiâ minus percipitur.

CALTHÆ.

CALLTHÆ.

AREOLA XV.

A Friderico Ænobarbo ad Henricum Magnum.

Sacræ expeditiones ſuſceptæ, & ærumnæ tot exhauſtæ laboribus, calthas exſcribunt, perdurantes inter æſtus immodicos, & rutilantes colore aureo, qui charitatis eſt. At graves procellæ decuſſerunt has calthas, pluréſque Principum cœptis nobilitantur quàm exitu; adeò meſsis rara ſementem excipit; & poſſe non omnium eſt, quorum velle.

ANNO Chr. 1152. Fridericus Sueviæ Dux, Conradi ex fratre nepos, à capillo & Barba dictus Ænobarbus, tam Suffragatorũ, quàm Patrui judicio creatus eſt Cæſar; Germanicis ſtatim laceſſitus bellis *Friderico, Ænobarbus.*

Digitized by Google

bellis, quibus ad Italica fieret gradus. Vix ullus Principum majori ambitu impugnavit Romanam Ecclesiam, vix de ullo Ecclesia triumphavit magnificentiùs: sex expeditiones in Italiam, hoc est in summum Pontificem suscepit; Mediolanum munitissimam urbem bis expugnavit, semel diruit; unus sex Pontifices potestatis annis æquavit, imò Pseudo-Pontifices duos, Victorem & Paschalem sui schismatis authores habuit. Nihilò seciùs ab hostibus condita Alexandria surrexit, ejúsque arma discussit; ab Alexandro III. pulso Italiâ diris devotus est, & de cœlo tactus sacrosanctis verbis; postea pestilentiâ victorias parvas absumente; ab ipso Alexandro Venetiis profugo debellatus, pacem petere cogitur, victoríque colla submittens, vivum Ecclesiæ trophæum posuit.

At melius quàm inceperat decessit, in Palæstinam cum exercitu profectus; pluribus in itinere contra Turcas præclarè & fortiter gestis; donec anno *Imperij* 38. dum in Ciliciæ vel Armeniæ amne natatu calorem disjicit, aquis hausțus & aliquantò pòst extinctus, spem conceptam simul extinxit; mox Friderico filio in obsidione Ptolemaidis febri confecto. Vir egregius, si juventutem ad ea detulisset, quibus senex periit; & parcendo Pontificibus defendisset clade Palæstinam, frustra mox obrutam vindicaturus.

Concilium 11. *Lateranense* III.

Interim Ecclesia licet ab hoste tanto impetita, de dignitate pristinâ non remisit. Nam & Arnoldus Brixiensis pervicaciſſimus

hæreticus Romæ combuſtus eſt; Et anno 1179. ab Alexandro habitum undecimum Concilium Generale, Lateranenſe III. Romæ 300. Epiſcoporum; in quo damnati Albigenſes hæretici, & de electione Pontificis multa ſancita.

Valdenſes.

Et inter repetita bellorum incendia, Gallia & Anglia Romanam Sedem impugnaverant; altera membris, altera capite. Quippe in Gallia quidam Valdo mercator Lugdunenſis, bona divendita in pauperes erogabat, malo conſilio, eorum multos ad errores ſuos alliciens, benignitate præpoſterâ, ut ſalute corporum, animos perderet; circa annum Chriſti 1159. Unde hæretici dicti Valdenſes, & pauperes de Lugduno. Et anno ejuſdem ſeculi 77. detecti in Narbonenſi Gallia deteriores hæretici, Albigenſes; quòd ad urbem Albigam nati vel damnati, Manichæis valdè affines, exſcindendi mox ferro & flammis.

Albigenſes.

Anglia verò peccavit in capite Henrico II. qui Thomæ, Cantuarienſi Præſuli intulit necem, pro fide & libertate Eccleſiæ occumbenti; anno 1170. præjudicium ingens calamitatis futuræ; dum alter Henricus alterum Thomam eâdem de cauſa morte afficiet, erítque Anglia ſeminarium Martyrum.

Thomas Cantuarienſis.

Gallia tamen novo Eremitarum ordine illuxit, anno Chriſti 1157. condente Guillelmo illo celeberrimo Bernardi diſcipulo, & Aquitaniæ Duce famoſiſſimo, Eleonoræ bis

Auguſtiniani.

nuptæ parente ; qui posteaquam sancta de corpore sumpsit supplicia, animúmque pœnitentiâ eluit; ad regulam S. Augustini Anachoretas instituit ; qui deinceps magno mortalium commodo ad nos propagati, cœnobitico agentes more ditant Ecclesiam.

Vidit eadem Gallia mirum Architectum in Benedicto duodecenni puero, qui impulsus & adjutus divinitus Rhodanum rapidissimum amnem ad Avenionem ponte conjunxit; circa annum Christi 1177. novus Amphion, qui non testudine, sed sanctis precibus, moveret lepides.

Avenionis pons.

Rem Christianam tristissimus casus prostravit in Asia. Guido Lusignanus ex nobilissima in Pictonibus familia, à Sybilla Regina Jerosolymæ in torum & regnum assumptus, altero pòst anno, Christi 1187. libertatis & regni jacturã passus est. A Saladino Babyloniæ Sultano aciè victus, & captus est, capta Crux sancta, flos Equitum cæsus, ipsáque Jerosolyma Barbaris tradita ; deincépsque reliquæ ; tam lugendo fato, ut ex tot urbibus, tres duntaxat Tripolis, Tyrus & Antiochia, Christianis supereſſent. Ita excisũ Jerosolymitanum regnum, nondum vertente seculo, quo conditum erat, Christianísque ostensum est, pietate regna, non armis teneri. Porro is erat Saladinus, qui regnum non corruptum modò, sed validum extorqueret ; Godefrido conditori ; præter pietatem. cætera similis ; voluptate nullâ, nisi dominandi, verè Saracenorum Cæsar, tam clementiâ quàm fortitudine.

Jerosolymitanum regnum.

Saladinus.

Anno

Digitized by Google

Anno Christi 1190. Henricus ab asperitate morũ, & severitate tam in se, quàm in alios, Asper dictus, Friderici patris excepit Imperium; quod in occupanda utraque Sicilia, impendit maximè Guillelmo Rogerij filio, sine liberis, præter Tancredum natum ex pellice, obeunte; jus regni ad Constantiam sororem Guillelmi, eandémque Henrici uxorem spectabat. Nec defuit suo juri Imperator, coronatus à Celestino III. invadit Apuliam, transmissóque Freto Siciliam: ac post Trancredi fata initâ pace cum Sybilla ejus viduâ, Guillelmóque filio, regno potitur, feliciter hactenus; sed in posterum crudelitate maculata felicitas. Nam ob levem suspitionem ex Siculis plurimi in cruciatibus necati, Sybilla in carcerem trusa, ac Guillelmus infons orbatus oculis; in quo desiit Guiscardorum familia, stirpsque fortissima illa Normannorum. Cùm inde copias in Palæstinam misisset, inirétque consilia de invadendo Bysantino Imperatore, fato propemodùm paterno periit, in venatione, largiore aquæ gelidæ haustu, febri contractâ, anno Imperij 7. relicto filio Friderico à tribus mensibus, ex Constantia jam quinquagenariâ suscepto. Ita ingens illa Ænobarbi ambitio, cui Europa minor, in infante trimo vagiebat. *Henricus IV.*

In Palæstina conamen ingens, sed irritum. Philippus Augustus Galliæ, & Richardus Angliæ Reges; posituri odia, in communem hostem incensi, delati erant in Syriam, hoc emolumento ut Ptolemais caperetur. *Palæstinæ expeditio.*

Digitized by Google

Amedeus secundus Mauriennæ Comes, dictus est primus ab Henrico Imperatore Sabaudiæ Comes, virtute Comitum propagationem limitum excurrente.

Veneti. A Venetis in Oriente præclarè res gestas; quorum Dux Dominicus Michaël excitatus à Callisto, ad ferendam opem Christianis in Palæstina laborantibus, instructâ classe Joppen à Turcis obsessam liberavit, Tyrúmque Phœniciæ celeberrimam terra marique quatuor mensibus oppugnatam, Alexandro constantior cepit. Dum Genuenses & Pisani mutuis cladibus atterebantur.

Lotharius II. Anno Christi 1125. Lotharius Saxoniæ Dux, post multum procerum ambitum Imperator eligitur, quāvis renittēns adinodùm. Is temporibus dificillimis provisus est cœlitus ad propugnandam Ecclesiam, periculosissimè laborantem; nam Innocentius II. Pontifex à Rogerio Siculo, quem pellebat Apuliâ, captus; inimicis locum dedit evehendi ad sedem Petrum Leonis, Anacleti nomine; à quo tametsi liberatus, à Rogerio Româ prohibitus, profugit in Galliam, ope Ludovici quintùm implorata; quam jam ante Urbanus, Paschalis, Gelasius & Calistus, non irritis votis, flagitarant; adeò Gallorum est præbere portum Petri naviculæ.

Sed & Lotharius appellatus, ac Bernardi divinâ emollitus eloquentiâ, Germanum Imperatorem se gessit: reducturus Pontificem, primùm Italiam petiit; secundùm Romanos ad obsequium adacturus; tertiùm Rogerium

gerſum, qui ſolus obdurato animo tuebatur, Anacletum totâ Italiâ depulſurus: reſponderunt optatis eventa; Innocentius Sedi reſtitutus, Romani in obſequium acti; Rogerius cum Pſeudopontifice ingenti victoriâ terrâ marique victus, in Siciliam ſuam ſe recepit; Anacletus ab omnibus exploſus paulò poſt obiit; honore ignominioſus, & in dignitatum apice execrandus; tanti intereſt, ſuffragatorem habere Deum, an homines. Lotharius tantis rebus geſtis, in Italiæ reditu obiit; quam à ſe pacatam diviſit aliis; unus Imperatorum à Carolo, cui res Eccleſiæ, ſuæ eſſent, cuique vires & fortunam impenderet.

In Hiſpania novum portenti genus viſum eſt, Eunuchus & Pater, Maritus & Presbyter, & Monachus: Is Ramirus è Monaſterio ad thronum eductus, ut fratri Alphonſo Aragoniæ Regi in obſidione Fragæ perempto ſubſtitueretur; anno Chriſti 1126. ſummo Pontifice ob neceſſitatem regni diſpenſante. Quippe privata poſthabentur publicis, regnúmque jus ſummum eſt, cui reliqua cedunt. *Ramirus.*

Gallia etiam ſuo privilegio viſenda, quæ per annos 361. aluit hominem. Is Joannes à Stampis ſive à Temporibus, quaſi temporum dominus vitâ tam longævâ, ſub Carolo Magno ſtipendia meruerat, obiitque tandem ſub Craſſi filio, anno Chriſti 1128. felicem putas; ego diu miſerum nam præter communia tempeſtatum, belli & morborum mala; quanta miſeria per tot annos in momenta *Joannes de Temporibus.*

fatum

fatum expectare, & subire mortem quoties fugis? si mali metus malo gravior est.

Fulco Rex Jerosolymæ.

Anno 1133. Novi Regis auspicia victoriâ Palæstinam ornant. Nam Fulco Andegavensis Comes dum religionis causâ Ierosolymam petit, sponsam & regnum nactus est: quippe Balduinus secundus Rex Jerosolymorum, virtute Juvenis commotus, huic majorem filiam Melisscindam cum spe regni collocat; aspiravítque nuptiis cœlum, ingenti victoriâ de Turcis partâ. Ita Pietas honorificè excepta, myrto, auro, lauro coronata est.

Conradus III.

Anno Christi 1137. Conradus Dux Sueviæ renuntiatur Augustus, statim civili bello implicitus, Henrico Superbo Saxoniæ Duce ad idem fastigium aspirante. Sed Henrico proscripto & mortuo, cùm Guelpho frater bello non cessaret, Conradus Vinsbergum obsidet, Guelphone acerrimè propugnante. Ibi primùm natæ celeberrimæ illæ factiones, quæ deinde tot annis universam Italiam devastarunt, Guelphorum & Gibellinorum; nam à Guelphone, Guelphi hostes Cæsaris, Cæsariani Gibellini dicti à Geblinga natali solo Conradi. Ibidémque editum præclarissimum illud muliebris virtutis exemplum, cùm urbe deditâ, fœminæ, quibus datâ, asportandi quæ vellent licentia, efferentes humeris viros suos, iram Cæsaris emollierunt; quasi triumphales conjugalis affectus quadrigæ, & Christiano matrimonio dignæ, quo mariti gratiâ spernenda omnia.

Guelphi Gibellini.

Sed

Sed iis motibus difficiliùs bellum finem imposuit. Fulco Rex Jerosolymæ, sectando leporem, equo excussus, mortem invenerat: uxor & impuberes filij gubernaculo tanto infirmi, Edessâ à Noradino præstantissimo Saraceno expugnatâ, Christianorum opem appellabant. Bernardus ille, Rex animorum, Cœnobij tenebras Aularum luce immutans, apud Ludovicum VII. Galliæ Regem, tum apud Conradum, sacri belli Tuba, Cruciatam expeditionem pronuntiat. Sed quantùm interest Divina inter & humana consilia! Cæsar ductis ducentis peditum, Septuaginta Equitum millibus, per Hungariam capessito itinere, Manuelis Græci Imperatoris invidiâ, cui præbita fides, frumento ab eodem malignè præbito, vel cum pernicie gypso admixto, fame & morbis, viarúmque errore corrupit exercitum. Delatus deinde cum Franco in Syriam, sed nullo emolumento; conficiente discordiâ quod affectum erat invidiâ: cùm enim duo exercitus Teutonicus & Gallicus Damascum obsiderent; Duces veterani, ne urbs traderetur Theodorico Flandro, in latus alterum transferunt castra; unde soluta obsidio, Conradúsque ad suos rediit. Franco postmodùm hærente ejus vestigiis. Ita florentissimi exercitus, à generosis ducti Principibus, ex fortissimis orbis conflati gentibus, religiosissimo impulsi consilio, non modó re infectâ, sed calamitosissimè gestâ, in hostico perierunt. Nempe Deus cœlo, non terris expeditionem indixerat, quæ

Cruciata expeditio.

Digitized by Google

quærebátque milites aſtris laureatos. Conradus aliquantò pòſt Germaniam redux Bambergæ obiit, dum de pacanda Italia cogitaret.

Ea quippe motibus agitata graviſſimis armatum Cæſarem flagitabat. Nam quamvis anno 1139. habitum eſſet Concilium Generale ſub innocētio II. in æde Lateranēſi, quod ordine decimum eſt, & Lateranenſe II. ab Epiſcopis mille frequentarum, in quò Pſeudopontificis Anacleti acta reſciſſa ſunt: tamen haud multò pòſt Innocentius à Rogerio Siculo captus, eum Apuliæ Principem, Regémque Siciliæ dixerat, futurum Eccleſiæ clientem in poſterum; Rogerio dum Conradus bello Germanico diſtinebatur recipiente in Italia quæ Lotharius ceperat. Sed Romani poteſtatis cupidi ejecerunt Pontifices, urbéſque finitimæ inteſtinis bellis vexabantur. Eos quidem Eugen. III. redegerat in ordinem multo labore, ſed animis acerbatis infida pax erat.

Concilium X. Lateranenſe II.

Anglorum Gallicũ bellum 2.

Gallia in Eleonoræ Reginæ repudio belli graviſſimi ſementē fecit; anno 1151. Eleonora cum Ludovico cōjuge in Palæſtinā profecta, Antiochiæ corrupta, & pudore violato vel læſo, redux à Ludovico Rege dimittitur: ignominiæ impatiens femina Pictavos & Aquitaniā cum ulciſcendi libidine, ad Henricum, cui nupſit ſecundò, detulit. Ita Henricus materno jure Anglorum Rex, & Normanniæ Dux; paterno, Comes Andium, Turonum, & Cenomannorum, auctus novâ uxoris dote, tâ inſtigante mox bellum in Gallos conciet, quod

quod potius civile Gallicum, quàm Anglicum dicas; cùm Gallia in partes divisa, hinc duntaxat Anglos socios habuerit, mutuis conscissa vulneribus, donec menbra iterum in corpus unum coalescant.

In Hispania res melius gestæ, ac Portugalliæ regni titulus partus anno Christi 1139, Revocata veterum Imperatorum acclamatio, quâ Alfonsus est Lusitaniæ Princeps parta de quinque Regibus Mauris insigni victoriâ, ab exercitu Rex proclamatus est: transmissa ad posteros pugnæ memoria, Regúmque Portugalliæ sumpta insignia, quinque minora scuta in cæruleo clypeo impressa, ad designandos Reges profligatos. Hoc regna debent fundamento surgere, fortitudine piâ & felici. *Portugalliæ regnum.*

Anno Christi 1118. Alexio mortuo Joannes filius, ob formam corporis Calojoannes dictus, Orientem excepit. Primùm in suos clementiâ & moderatione pugnavit; nam Irene mater in Bryennium generum propensior, insidias Joanni intentabat, quibus periisset, nisi Bryennij socordiâ occasione corruptâ, se Joannes ipse confirmasset, suósque ad meliorem mentem revocasset parcendo. Inde domi expeditus, se foris exprompsit Turcas magnis affecit cladibus, multis eorum urbibus expugnatis, ad Istrum accolas quâ vi, quâ industriâ, sub jugum misit, & contractâ cum Lothario amicitiâ, Persamenios ingenti prælio stravit. Quæ laurea Mariæ adscripta Deiparæ, ipsíque triũphus Constantinopoli splen *Calojoannes.*

Digitized by Google

ſplendidiſſimus actus eſt; glorioſiſſimâ Joannis modeſtiâ, quid enim honorificentiùs, quàm Mariæ ductu pugnare & vincere, & habere propitiam, quam ambiunt Cœli?

Poſtremò Joannes cùm ab æmulatione, ne invidiam dicam, tranſverſùm actus, rebus Syriacis Chriſtianorum parùm proſperè ſe immiſcuiſſet, tam fortiter, quàm infeliciter obiit: lævâ enim fortè in venatione læsâ telo venenato, cùm ipſi vel moriendum eſſet, vel manus truncanda, illud elegit; negans unimano Cæſare terras regi poſſe; verè periturus integer, & corporis damno manum ſervaturus. Ex liberis minori Manueli legavit Purpuram, prætermiſſo Iſaaco majore natu, iræ impotentis juvene: hoc exitu exſcribens Principem, cui Reſpublica pro liberis eſt.

Manuel. Itáque Manuel Comnenus ſuccedit anno Chriſti 1148. potius Latinorum invidia, quàm fortitudine paternum exemplum. Cui perniciem debuit Conradi exercitus, Francúſque calamitatum maximam partem. Fatis vicinus, Aſtrologiæ cui fidebat admodùm deteſtatus ineptias, Monaſticam veſtem induit; ipsâ morte confutans Aſtrologos, ſuperfuturum annis adhuc quatuordecim pollicitos. Sed Aſtrorum ſermo à mortalibus tantâ diſtantiâ minus percipitur.

CALTHÆ.

CALLTHÆ.

AREOLA XV.

A Friderico Ænobarbo ad Henricum Magnum.

Sacræ expeditiones ſuſceptæ, & ærumnæ tot exhauſtæ laboribus, calthas exſcribunt, perdurantes inter æſtus immodicos, & rutilantes colore aureo, qui charitatis eſt. At graves procellæ decuſſerunt has calthas, pluréſque Principum cœptis nobilitantur quàm exitu; adeò meßis rara ſementem excipit; & poſſe non omnium eſt, quorum velle.

ANNO Chr. 1152. Fridericus Sueviæ Dux, Conradi ex fratre nepos, à capillo & Barbâ dictus Ænobarbus, tam Suffragatorũ, quàm Patrui judicio creatus eſt Cæſar; Germanicis ſtatim laceſſitus bellis *Friderico Ænobarbus.*

Digitized by Google

bellis, quibus ad Italica fieret gradus. Vix ullus Principum majori ambitu impugnavit Romanam Ecclesiam, vix de ullo Ecclesia triumphavit magnificentiùs: sex expeditiones in Italiam, hoc est in summum Pontificem suscepit; Mediolanum munitissimam urbem bis expugnavit, semel diruit; unus sex Pontifices potestatis annis æquavit, imò Pseudo-Pontifices duos, Victorem & Paschalem sui schismatis authores habuit. Nihilò seciùs ab hostibus condita Alexandria surrexit, ejúsque arma discussit; ab Alexandro III. pulso Italiâ diris devotus est, & de cœlo tactus sacrosanctis verbis; postea pestilentiâ victorias parvas absumente; ab ipso Alexandro Venetiis profugo debellatus, pacem petere cogitur, victoríque colla submittens, vivum Ecclesiæ trophæum posuit.

At melius quàm inceperat decessit, in Palæstinam cum exercitu profectus; pluribus in itinere contra Turcas præclarè & fortiter gestis; donec anno Imperij 38. dum in Ciliciæ vel Armeniæ amne natatu calorem disjicit, aquis haustus & aliquantò pòst extinctus, spem conceptam simul extinxit; mox Friderico filio in obsidione Ptolemaidis febri confecto. Vir egregius, si juventutem ad ea detulisset, quibus senex periit; & parcendo Pontificibus defendisset clade Palæstinam, frustra mox obrutam vindicaturus.

Concilium 11. *Lateranense*

Interim Ecclesia licet ab hoste tanto impetita, de dignitate pristinâ non remisit. Nam & Arnoldus Brixiensis pervicacissimus haereticus

hæreticus Romæ combuſtus eſt; Et anno 1179. ab Alexandro habitum undecimum Concilium Generale, Lateranenſe III. Romæ 300. Epiſcoporum; in quo damnati Albigenſes hæretici, & de electione Pontificis multa ſancita.

Valdenſes.

Et inter repetita bellorum incendia, Gallia & Anglia Romanam Sedem impugnaverant; altera membris, altera capite. Quippe in Gallia quidam Valdo mercator Lugdunenſis, bona divendita in pauperes erogabat, malo conſilio, eorum multos ad errores ſuos alliciens, benignitate præpoſterâ, ut ſalute corporum, animos perderet; circa annum Chriſti 1159. Unde hæretici dicti Valdenſes, & pauperes de Lugduno. Et anno ejuſdem ſeculi 77. detecti in Narbonenſi Gallia deteriores hæretici, Albigenſes; quòd ad urbem Albigam nati vel damnati, Manichæis valdè affines, exſcindendi mox ferro & flammis.

Albigenſes.

Anglia verò peccavit in capite Henrico II. qui Thomæ, Cantuarienſi Præſuli intulit necem, pro fide & libertate Eccleſiæ occumbenti; anno 1170. præjudicium ingens calamitatis futuræ; dum alter Henricus alterum Thomam eâdem de cauſa morte afficiet, erítque Anglia ſeminarium Martyrum.

Thomas Cantuarienſis.

Gallia tamen novo Eremitarum ordine illuxit, anno Chriſti 1157. condente Guillelmo illo celeberrimo Bernardi diſcipulo, & Aquitaniæ Duce famoſiſſimo, Eleonoræ Ludovici nuptæ

Auguſtiniani.

nuptæ parente ; qui posteaquam sancta de corpore sumpsit supplicia, animúmque pœnitentiâ eluit; ad regulam S. Augustini Anachoretas instituit ; qui deinceps magno mortalium commodo ad nos propagati, cœnobitico agentes more ditant Ecclesiam.

Vidit eadem Gallia mirum Architectum in Benedicto duodecenni puero, qui impulsus & adjutus divinitus Rhodanum rapidissimum amnem ad Avenionem ponte conjunxit; circa annum Christi 1177. novus Amphion, qui non testudine, sed sanctis precibus, moveret lepides.

Avenionis pons.

Rem Christianam tristissimus casus prostravit in Asia. Guido Lusignanus ex nobilissima in Pictonibus familia, à Sybilla Regina Jerosolymæ in torum & regnum assumptus, altero pòst anno, Christi 1187. libertatis & regni jacturã passus est. A Saladino Babyloniæ Sultano aciè victus, & captus est, capta Crux sancta, flos Equitum cæsus, ipsáque Jerosolyma Barbaris tradita ; deincépsque reliquæ ; tam lugendo fato, ut ex tot urbibus, tres duntaxat Tripolis, Tyrus & Antiochia, Christianis supereſſent. Ita excisũ Jerosolymitanum regnum, nondum vertente seculo, quo conditum erat, Christianísque ostensum est, pietate regna, non armis teneri. Porro is erat Saladinus, qui regnum non corruptum modò, sed validum extorqueret ; Godefrido conditori ; præter pietatem. cætera similis ; voluptate nullâ, nisi dominandi, verè Saracenorum Cæsar, tam clementiâ quàm fortitudine.

Jerosolymitanum regnum.

Saladinus.

Anno

Anno Christi 1190. Henricus ab asperitate morũ, & severitate tam in se, quàm in alios, Asper dictus, Friderici patris excepit Imperium; quod in occupanda utraque Sicilia, impendit maximè Guilielmo Rogerij filio, sine liberis, præter Taneredum natum ex pellice, obeunte; jus regni ad Constantiam sororem Guillelmi, eandémque Henrici uxorem spectabat. Nec defuit suo juri Imperator, coronatus à Celestino III. invadit Apuliam, transmissóque Freto Siciliam: ac post Trancredi fata initâ pace cum Sybilla ejus viduâ, Guillelmóque filio, regno potitur, feliciter hactenus; sed in posterum crudelitate maculata felicitas. Nam ob levem suspitionem ex Siculis plurimi in cruciatibus necati, Sybilla in carcerem trusa, ac Guillelmus infons orbatus oculis; in quo desiit Guiscardorum familia, stirpsque fortissima illa Normannorum. Cùm inde copias in Palæstinam misisset, inirétque consilia de invadendo Bysantino Imperatore, fato propemodùm paterno periit, in venatione, largiore aquæ gelidæ haustu, febri contractâ, anno Imperij 7. relicto filio Friderico à tribus mensibus, ex Constantia jam quinquagenariâ suscepto. Ità ingens illa Ænobarbi ambitio, cui Europa minor, in infante trimo vagiebat. *Henricus IV.*

In Palæstina conamen ingens, sed irritum. Philippus Augustus Galliæ, & Richardus Angliæ Reges; posituri odia, in communem hostem incensi, delati erant in Syriam, hoc emolumento ut Ptolemais caperetur. *Palæstinæ expeditio.*

Digitized by Google

Sed cum Reges æmulos nec religio conciliaret, affectâ valetudine in Galliam Philippus rediit; quem brevi sequutus est Richardus, contẽtus ad Ierosolymam accessisse propius; data pax Saladino, tantúmque armorum commotum, ut securiùs barbari agerent. Guido ille Lusinianus Cypri coronâ à Richardo donatus est, qua posteri ad trecentos annos potiti, cum Ierosolymitani regni umbratili titulo. Richardus in Germania dum se occulit deprehensus, conjectus in carcerem, captivitate diutinâ multóque auro rependit superbiam, quâ Leopoldum Austriacũ ignominiosè affecerat: odiosâ in omnibus, maximè in Regibus, quos tã multa evehunt, arrogantiâ.

Saladinus. Paulò pòst sublatus Christianorum terror Saladinus, & suo funere mortalitatis magister; cùm jussisset lanceâ interiorem suam præferri tunicam, cum hoc elogio; istud unum ex domitore Orientis restare. Eò nimirum regna, victoriæ thesauri confluxerant; ut esset tunica tantarum opum compendium. Novem reliquerat liberos, sed quos statim eorum patruus Saphadinus necavit, præter unum Noradinum, ab amicis paternis servatum; ut qui tantùm sanguinis hauserat, suum in liberis funderet; vel Heroum fato, quorum heredes alieni sunt.

Ordo Teutonicus. Tunc & tertius militum Ordo, nempe Teutonicus anno Christi 1192. ad repellendos Saracenos Hospitalariis & Templariis accesserat; cujus Equites cruces nigræ chlamydibus albis assutæ distinguebant ab aliis.

Digitized by Google

c Teutonibus ſelecti, cùm plerúmque Franci eſſent, ut haberet fortiſſima na-, & occaſionem palmæ & præmium.

Anno Chriſti 1180. Alexius Comnenus odecim annorum, Manuéli patri ſucceſſit; ate tenerâ regimini alieno obnoxiâ, calaitatibus involvente Imperium. Prima omum atrociſſima Andronicus, Manueli conatus, flagitiorum omnium fundus; qui ab xilio rediens, ut pupillum Alexium à tutoum injuriis vindicaret, maximas intulit. Nam rerum potitus, Xenam Alexij matrem ſuffocavit, matri filium additi, cadavere in mare projecto, ejúſque ſponſam undecennem cruento toro adhibuit, tertio poſt Manuelis obitum anno; adoleſcente Alexio in purpura nato, ut miſerabiliùs interiret. *Alexius 2. Comnenus.*

Nec Andronico diu frui licuit crimine; cùm enim ab Hydromantiâ didiciſſet prima ſucceſſoris futuri elementa, Iſacio Angelo, in quem cadebant, dum comparat mortem, ſibi hanc conficit: quippe Angelus Andronici metu in templum fugiens, à populo ſalutatur Auguſtus, ab extrema miſeria ad ſupremum faſtigium ſine gradu ſcandens. Nec Andronicum vel arma, vel preces, vel fuga juverunt; comprehenſus à populo, exquiſitis ſuppliciis & quod Principi moleſtiùs ignominioſis, inter duas columnas pendulus, diu animam impuram egit, acto Imperij biennio; hoc uno felix, quod calamitate reſipiſcens, inflictas pœnas æquo animo patiens, divinam Juſtitiam implendo pacavit. *Andronicus.*

Digitized by Google

Isacius Angelus.

Anno itáque 1185. Isacius Angelus, expulsâ Comnenorum familiâ, populari gratiâ throno evehitur; quam statim ignaviâ & perditissimo luxu maculavit, ac quantúmvis annum decimum per varias conjurationes, non tam dominationem, quàm delicatam vitam deduxerit; tamen à Valachis spretus & victus, inter unguenta & convivia, vivum potiùs cadaver dici, quàm Princeps debuit. Donec à fratre Alexio, flagitia fratris per fratricidium vindicante, captus & excæcatus, non tam Imperio dejectus est, quàm servitute voluptatum.

Alexius III. Comnenus.

Alexius sumpto Comneni nomine, spretóque Angeli, anno Chr. 1195. fratris Imperium, hoc est luxum & voluptates, quasi hæreditarias, crevit. Feliciter pro scelere multos æmulos sustulit ferro, vel veneno; graviorem hostem nactus in Henrico Imperatore occidentis, Macedoniæ partem exigente, quem & mors ademit. Cùm itáque impunè Jasciviâ, muliebríque luxu diffluueret; Alexius Isaaci fratris excæcati filius, elapsus custodiâ, & ad Venetos infensos Bizãtinis profugus, illorũ ope, & Francorum in Syriam intendentium, fugato patruo, throno imponitur; eâ tamen modestiâ, vt Patri Isacio quantũvis cæco Diadema reddiderit, se ejus collegam professus.

Alexius IV.. Angelus.

Alexius V. Ducas.

Sed Isacio beneficium damno fuit; cùm enim quibus debebat omnia, multa concederet, orta inter Græcos & Latinos rixâ; quidam Alexius Ducas regij generis, ob supercilia conjuncta Murzuflus dictus, â Græcis detestantibus

antibus Angelos Auguſtus dicitur Iſacio
e interim mortuo; filius Alexius in car-
e laqueo periit, menſe ſeptimo poteſtatis.
urzuflus tertio pòſt menſe ſibi fugâ cõſu-
it; cùm à Francis poteſtatem tyrannicam
ſectantibus, pacem non impetraret, mul-
minùs bellum ab iis illatum repelleret.
a ad Latinos delatum Orientis Imperium,
oſtibúſque permiſſa corruptiſſima urbs vo-
uptatibus; nempe antè perdita, quàm capta,
uxu hoſtilibus armis pereunte.

Ab Henrici Aſperi morte, aliquot annis, Occidentis Imperiũ, cùm duo contenderent, neutrius fuit, donec Philippo Henrici fratre Bambergæ inter ſalutationis officia interempto, & Othone ab Innocentio III. abdicato, Fridericus Henrici filius adhuc adoleſcens Imperator deligitur, anno Chriſti 1210. avo Friderico penè per omnia futurus ſimilis. Nam quadraginta poteſtatis annos per utrámque fortunam implevit, adverſâ preſſus, cùm proſperâ malè uteretur. Romanæ Eccleſiæ beneficium fuit, lues & odium; novus Enceladus Divorum fulmina lacceſſivit & ſenſit; ab uno tandem anathemate uſtus: paterni hæres odij in Mediolanenſes pugnavit atrociter; Guelforum & Gibellinorum ad Italiæ pernicie factionibus, omnia amiſcuit; à Põtificibus ſolio pulſis throno dejectus eſt; reſtitutus illorum gratiæ, armatus adiit Palæſtinam, ſed ſucceſſu nullo; ad obſeſſam Parmam ſperatâ cõditáque Victoriâ recidit; & triumphali curru dejectus, captivorũ gre-

Fridericus II.

gem propemodùm auxit. Postremò ne quid aviti fati deficeret, vidit Diadema raptum hosti imponi, non quidem filio, sed quod acerbius, extraneo, rejectis liberis; flagitij pœna transeunte ad posteros, & in seram stirpem vindicante crimen Ecclesiâ. Tarenti obiit, anno 1250. impiæ, ut creditur, contumaciæ pœnitens, nihil ex tantis turbis præter dolorem animi colligens.

Ecclesiæ fortitudo.

Ecclesia interim palmæ instar eluctantis in pondera, Moderatores nacta fortissimos, eos singulos victoriis plurimis designavit. Sanè Innocentius III. jam antè Raimundum Tolosæ Comitem fautorem Albigensium intrepidè obstrinxerat anathemate, ramos pernicioso exciturus in trunco: idémque in Joanne Angliæ Rege præstiterat; tam feliciter, ut eum pœnitentiâ eripuerit pœnæ, illum rejectâ pœnitentiâ pœna rapuerit. Ille ipse Innocentius anno Christi 1215. XII. Concilium Generale, quod est quartum Lateranense, Romæ convocavit; quasi Christiani Orbis centuriata Comitia, præsentibus Episcopis 412. ut de Palæstina recuperandæ viæ inirentur. Et quamvis in Ægypto occupanda fefellerit eventus consilia; nihil tamen illis successus detrahit, ex bono parente plerúmque corruptus.

Concilium XII. Lateranense IV.

Dominicani.

In Honorio geminus partus fœcundavit Ecclesiam, Religiosorum Ordinum institutione. Alter prædicatorum, qui à Dominico Hispano, Albigensium hoste acerrimo, & sanctitatis florem adepto, piè instituti, doctrinâ

inâ virtutum ſtudia excolentes, pulsâ cœbiis ignorantiâ, ſcientias religione dotas in ærarium Dei tranſcripſerunt.

Alterum fratrum Minorum à Franciſco aſſiſio, pæupertatis cultore eximio, ſumptâ rigine; tanto proventu, ut per orbem Chritianum poſtmodùm ſparſus, Chriſti exemplum ubíque præbuerit; & in novos deinceps ordines, vel repullulaſcens, vel repubeſcens, ſanctas propagines, juventámque piam in ultima tranſmiſerit ſecula, fecundus ſemper, idem & multiplex. Ea in Franciſco authore mira patrata ſunt, ut ſpoliatiſſimus mortalium rerum, locupletiſſimúſque cœleſtium, quâ copiâ, quâ inopiâ, Seraphinum exſcribat. *Franciſcani.*

Innocentius IV. fortitudine cumulavit hanc felicitatem; unus maximè Friderico par; à quo fractus pervicax animus, armatúmque Cœlum in terras. Id perfectum anno 1245. in decimotertio Concilio Generali, quod primum eſt Lugdunenſe, ubi Fridericus anathemate perculſus, & abdicatus Imperio, expeditio in Palæſtinam decreta, illius Duce Ludovico Rege Galliæ conſtituto. Erítque Lugdunum in urbibus memorabilis, quòd omnium prima, non in Gallia modò, ſed in cæteris trans Alpes gentibus, hoſpiti Cœlo præbuerit ſedem, Déique majeſtatem, quantum terræ capiunt, ſinu exceperit. *Concilium XIII. Lugdunenſe I.*

Sed dum Italia inteſtino bello dirimitur, Veneti jam antè potiti Cretâ, quàm Genuenſibus *Veneti.*

sibus eripuerant; anno Christi 1236. Rhodum Saracenis expulsis occupant; armatique postea Ecclesiæ nomine in Fridericum, Apuliam invadunt: sicut & Ferrariam Mediolanenses; cui præficitur anno 1240. Pontificum nomine Azzo Princeps Estensis familiæ, ad nostra tempora, per exempla pietatis & fortitudinis illustria, deductæ feliciter.

Estenses.

Philippus Augustus.

Porrò Gallia tunc Heroum ferax, gloriâ & religione certavit eximiè. Philippus, à regnandi laude, dictus Augustus, anno 1214. juxta Tornacum, celebrem illam Bovinensem pugnam profligavit. Ex diverso stabant Otho magis Imperij titulo spoliatus, quàm viribus Joannes Angliæ Rex inveterato in Francum odio; & Ferdinandus Flandriæ Comes; ita certi victoriæ, ut captivis vinciendis catenas ferreas circumferrent: victi tamen sunt; Otho & Joannes in fugam acti, Ferdinandus captus, injectáque parantibus vincula. Otho exarmatus hac victoriâ, & coactus à Friderico veniam petere, haud multò pòst in Saxonia latens, morbo obiit. Nec Joanni melius, qui ab Anglis proceribus exautoratus est, arcessito Ludovico Philippi filio. Ita plerúnque victoria ludit, & raro cum Superbia contubernio, felici lauro Modestiam donat.

Simon Monfortius.

Id jam ostensum anno antè proximo, apud Muretum in agro Tolosano oppidum; cùm Simon Monfortius Heros Christianus, cum octingentis Equitibus, & mille Peditibus, pugnam prope incredibilem susceptit & confe-

nfecit, profligatis centum millibus Albi-
nſium; & ne turbam inconditam credas,
t prælium tantùm delibatum; ducebant
æreticorum ordines Aragonius Rex &
omes Toloſanus, quorum ille in acie pu-
nans occubuit. Quid Spartani jactant Ther-
opylas? tantò eminentior Leonidâ Simon,
uantò victo præſtantis, qui vicit. Quinto
òſt anno fortiſſimus Dux in obſidenda To-
›ſa læſus, ſaxo interiit; dignus qui Roma-
um fulmen vibraret, abſciſſóſque Eccleſiâ
:rris abſcinderet. Expeditionis ſucceſſores
actus eſt Reges, Ludovicum Leonem Au-
uſti filium, alterúmque Ludovicum ejuſ-
em nepotem, ut jam inde domandi Hære-
ici, provincia ſint Franciæ Regum.

Sed nihil illuſtrius Ludovico illo Auguſti nepote, vivâ calamitatum Apologiâ, qui novo vincendi genere triumphavit hoſtes è vinculis. Nempe in eo Imperatorem ſuum exhibuit Deus, qui vinceret non mortales, ſed calamitoſiſſima, quibus mortales vincũtur. A Saracenis in Ægypto captus eſt anno Chriſti 1250. ſuíſque major victoribus, docuit Reges quidpiam eſſe ſupra Regni faſtigium, quod in ejus ruina perſtet erectum. *Ludovicus Sanctus.*

Et Ludovici temporibus debet Sorbonam orbis univerſus; Roberto Sorbonio illuſtriſſimi Collegij fundatore, circa annum Chriſti 1243. vel decennio pòſt. Quam Academiam ærarium Theologiæ, ſapientum Areopagum, fidei Atlantem, Doctrinæ cœlum ſi dixeris; adumbrabis illam, non exſcribes. *Sorbona.*

Suam

Hispani Mauros vincunt.

Suam eriam gloriæ ſegetem Hiſpania meſſuit, anno 1212. celeberrima de Mauris victoriâ poſt Calatravam urbem expugnatam. Ad obruendam Hiſpaniam incredibili multitudine Mauri irruperant; obruerunt quidem, ſed cadeveribus, ducentis eorum millibus in acie cæſis. Nec ad unum Regem tanti facinoris laus ſpectavit; Caſtellæ, Legionis Aragonis, & Navarræ convenerant; ad diſcriminis partem vel gloriæ. Vigeſimo poſt anno Ferdinandus Caſtellæ Rex Cordubam cepit, Maurorum arcem, & regiam civitatem; illorum rebus poſt pugnam in deterius prolabentibus; quaſi corpus exhauſtum ſanguine, vel ſerpens contrito capite caudam vibrans.

Interregnum Imperij

Interea in Germania, exauthorate Friderico; fluctuavit aliquandiu ſine gubernatore Imperium, quippe Henricus Langravius Thuringiæ, deſignatus clavo ab Innocentio, dum ſe illi expedit; victòque Conrado Friderici filio victoriam urget, in obſidione Ulmæ vulneratus interiit, anno 1246. ad coronam evectus, obſequio magis, quàm cupiditate. Huic, altero pòſt anno, ſubſtitutus Guillelmus Hollandiæ Comes, licet repugnante Friderico, & poſt ejus obitum Conrado filio; ſe tamen gerit pro Imperatore; donec anno 1255. pugnans cõtra Friſios interemptus eſt; Vacavítque Imperium XIX. annis; Electorum ſuffragiis, inter Richardum Regis Angliæ fratrem, & Alphonſum Caſtellæ Regem Mathematicum illum, nobilem diſtractis, & Friderici

libe

eris, de Augustali apice malè contendentis, cùm nec regna avita retinerent, & cædis mutuis grassarentur.

Nam Conradus anno 1254. Apuliæ Rex, m Henricum fratrem Siciliæ Regem nefa- peremisset: statim à Manfredo Friderici tho veneno tollitur, relicto in Germania io parvuloConradino; justé Divinâ Nemesi idericum plectente in posteris, ut eorum eri cui Pontificem Patrem ejurassent, na- ræ ruptovinculo, se ipsi perderent. Manfre- is illicò, ne periret crimen, Conradini vel fantiâ, vel morte prætextâ, in perempto- um involat regna; sed Neapolitanis Pontifi- m appellentibus, movetur bellum pro fra- icidij pœna vel præmio, quod variè gestum t, ad annum 1264. quo Galli in Italiam ocati, fontem novo regno ac novis bellis peruerunt.

Conradus Rex Siciliæ.

Manfredus.

Eo quippe anno Clemens IV. Carolum Comitem Andegavensem, Ludovici sancti ratrem, utriúsque Siciliæ regnis inaugurat, er vectigal annum 40. millium aureorum. Nec facilior inauguratio Pontifici fuit, quàm victoria Carolo: ad Beneventum uno prælio lebellatum, Manfredóque in pugna occiso, taliæ nobilissima portio, Gallorum fuit, Sed arò tam facili pretio regnum stetit: anni 268. Conradinus Conradi filius, Sueviæ Dux, sceptri jam potens, avitum repetitus, numeroso exercitu aggreditur Carolum; ad Fucinum lacum pugnatum est; & ex victore victus Conradinus, in fugam-

Carolus Andegavensis.

Conradinus.

que

que actus, & nova calamitate ex fugiente captivus, cum Friderico cognato, Auſtriæ Duce; ſequenti anno Neapoli ſpectaculum fuit luctuoſum, capite illo coronando minutus, in urbe regiâ, quàm ingreſſus, erat in vinculis, Friderico ejuſdem ſortis comite. Magis Carolo miſeriâ, quàm armis nocuit; fuítque jus ſummum: ſi non ſumma injuria, ſumma tamen invidia; creditúmque regna tanti non eſſe: ut iis nati ea propter perirent principes, calamitoſiſſimâ regnantium ſorte, ſi throno dejectis mors una reſtaret. In eo Fridericorum exciſa ſtirps, nec Eccleſiæ hoſtibus licuit perennare.

Ludovicus ſanctus.

At de regnis caducis dum contendunt Principes; cœleſte comparavit Ludovicus Gallus. Inito enim de bello ſacro inter Reges Francum, Anglum, & Aragonium fœdere; poſtquam Eduardus Anglus Aſiam tenuit, & Ludovicus in Africa, captâ Carthagine Tunetum obſidet; lue peſtilenti in caſtris ortâ, eâdem dignus immortali vitâ Princeps ſublàtus eſt; anno 1270. Verè apud poſteros virtutum meritis ſanctus; ſed ſanctitate regiâ, quæ fortitudinem, & animi robur incenderet; adeò Dei eſt non officere muneri quod impoſuit, nec Cœnobitam in Rege præſtare.

Thomas Aquinas, Bonaventura.

Hoc tempore, bello flagrans Italia viros alebat Chriſtianæ pacis feriales, Thomam Aquinatem, & Bonaventuram Etruſcum; utrumque doctrinâ & pietate percelebrem: hoc tamen diſcrimine, quod Thomas ſplendórem proſapiæ, clauſtri tenebris texit, Bonaven-

nturâ è Franciſci tunicâ ad ſplendorem
uræ evecto: at ille idem doctrinâ quam-
ltè imbutus, tamen pietatis ſenſu com-
datur; alter verò tametſi penitus Deo
)utus, doctrinæ famâ venit ad poſteros;
) parca laudis humanitas eſt, nec unum
eminis ſinit excellere. Sanè Thomas de-
tam cœlo Theologiam terris impertiit,
1 eo vel hoſpitantem Angelum, vel eum
:r Angelos hoſpitem credas.

n Oriente interim Græcorum Imperium *Gallorũ in Græcia Imperiũ*
Gallos divertit, ab *iis* obtentum per an-
: 58. Primus Imperator Baldviñus Flan-
æ Comes; qui anno 1204. expulſo Mur-
lo Alexij peremptore à Latinis Principi-
Conſtantinopoli inauguratus eſt, eniten-
maximè cæco illo perſpicaciſſimo Dan-
lo Venetorum Duce, ne quis Latinorum
:nctiis proximus imperaret. Nec tamen
ldvinus totum Imperium unus obtinuit;
m ut è Coloſſo Rhodio multæ ſtatuæ fuſæ
nt; ſic ex ruina Imperij, dominationes plu-
mæ natæ. E Latinis Bonifacius Marchio
onferratenſis Peloponenſi Rex appellatus
t; Athenarum Godefridus Trecenſis; Theo-
)rus Laſcharis, Theodori Comneni gener,
licææ in Bithynia novum regnum condi-
it; David, & Alexius fratres, Andronici Ty-
anni nepotes, in Ponto Trapezuntinum re-
num poſuerunt; aliud, ſed admodùm breve
ibi Theſſalonicæ Theodorus Angelus quæ-
ivit, ſtatim à Myſis captus & excæcatus.
At minimam orbis partem, quàm multi

divi-

dividunt! ut dicas in grano formicas certantes.

Sed Balduino diuturna pax non fuit: nam primo anno interceptus à Joanne Myſorum Duce, conjectus in carcerem, pædore aut tormentis periit; fato Orientalium Imperatorum, vix ſuâ morte fungentium. Huic ſucceſſit Henricus frater, continuis tartarorum irruptionibus infeſtatus (ij quippe ab Aſiatica Scythia ingenti numero prorumpentes; Saracenis & Græcis paſſim occiſis, innumeram mortalium vim exhauriebant) qui pace cum Theodoro Laſcari contractâ, decem annos Imperium tenuit; ſi ſit Imperium, ſuorum intereſſe calamitatibus, nec mederi.

Id tamen qualecúnque ad ejus generum Petrum Antiſiodorenſem delatum, & eidem ſtatim ereptum, ac Roberto filio, virtute Iolantæ conjugis traditum, in Balduino nepote deſiit; qui uno ſubra 30. annos imperator, Chriſti 1261. à Michaële Palæologo, ex vetere Palæologorum & Commenorum familiâ, eo depulſus eſt; fraude & inſidiis, hoc eſt Græcis moribus, nam Francis Conſtantinopoli abſentibus, noctu per proditores patefacto ingreſſu, ab hominibus octingentis capta urbs regia, redditúmque Græcis Imperium; cymbâ profugit Balduinus, ſolâ præteritorum memoriâ in poſterum ſe conſolans, vel macerans.

Rodolphus. 1. Anno Chriſti 1274. Tandem poſt diutinum interregnum, Electores in Rodolphum

Har-

irgenſem Comitem conveniunt, de-
m virtuti plura, quàm fortunæ, quippe
meritis ambiret Imperium. Hic ſuâ
ntus Germaniâ, Italiam Imperatorum
lum vel fugit, vel ſprevit, nunquam
aſus eam ut adiret. Et habuit in Germa-
riumphorum materiam: primùm in
caro Bohemiæ Rege opibus præpol-
, quem armis & contemptu fractum ad-
d veniam, iterúmque reparatis viribus
dum, vicit in acie à gregario perempm-
milite. Inde Auſtria Alberto filio data,
liæ Auſtriacæ celeberrimæ in poſteris,
úmque feraciſſimæ nomen dedit. Et in
eticos, Burgundóſque quater & decies
itis pugnis, totidémque palmis, victo-
titulum Rodolphus adeptus eſt; ubique
us, quem ambiret victoria. Jam ſenex
, clementiâ & comitate morum infra
uſtum; imò ſuprà, cùm maximè Prin-
demiſſione ſui emineant.

odem anno quo Imperium Rodolphus *Concilium 14. Lugdunenſe 2.*
, habuit Lugduni Gregorius X. Conci-
Generale XIV. Lugdunenſe II. præſen-
s quingentis Præſulibus; in quo actum
alæſtina recuperanda, Regibus Europæ
acram expeditionem incenſis; quin &
eologo Romanam Eccleſiam ſupremam
nti, conceſſum Orientis Imperium, ut
natis animis vires faciliùs jungerentur.
pia conſilia mors ſancti Pontificis di-
bavit, & profanus Principum ambitus
tiſſimis votis interceſſit.

Anno

Anno Christi 1282. Eruperunt pressa diu consilia; cùm Galli omnes per Siciliam fusi, ipso Paschatis die, & ne immanitati sacrilegium deesset, sub campanæ signū ad vespertinos hymnos convocantis, in singulis oppidis ab ipsis Siculis contrucidati sunt. Cædis causa, Siculorum in Gallos odium; auctor, Petrus Aragoniæ Rex, qui ductâ in uxorem Constantiâ, Manfredi Nothi filiâ, ex qua liberos suscepérat, Friderici regna quasi dotalia reposcebat; Instrumentum, Joannes Procliyta, qui religioso cucullo tectus, hoc est ovinâ pelle lupum dissimulans, impunè Siculas urbes concursans, odiorum flammas incenderat; socius, Michaël Palæologus, qui ut Carolum amoliretur imminentem Byzantino Imperio (Carolus enim filiam desponderat filio Baldvini) aurum Aragonio ad cruentum dolum supeditaverat. Ita ex libidine, odio & ambitione, sceleratissimis parentibus, orta proles illa flagitiosissima; & patrata cædes apud Christianos, quem in Mithridate damnavit olim bàrbaries; adeò nihil est, quod libido regni non violet.

Petrus Aragonius.

Ita Aragonius Siciliâ potitus, & jacta diuturnæ, Gallos inter, & Hispanos, discordiæ fundamenta, quæ posteri magno mortalium malo, nimis strenuè ad fastigium educent. Interea Carolus divinâ & humanâ ope ultionem intendit, Martini Pontificis anathemate, Gallorúmque armis accinctus; sed alterum Petrus contemptu elusit, alterum fraude, singulari pugnâ ad Burdigalam Carolo indicta;

ta; ita disjectum à Sicilia bellum, nec ad
igalam pugnatum; Aragonio detre-
te certamen, cujus præmium jam occu-
rat; & Franco irritâ generositate, qnam
Hispaniæ artes exarmabunt.
ıde à Sicilia in Aragoniam bellum illa-
, sed trium Regum lugendum funere;
›pe eodem anno, hujus sæculi 85. Petrus
gonius tanti fax incendij decessit ex vul-
; Philippus Audax Franciæ Rex, dum
›iniano capto redit ad suos, morbo obiit;
arolus Neapolitanus tædio & dolore,
Siciliæ modò à continenti suâ avulsæ,
captivitatis filij Caroli Claudi, quem Ro- *Carolus*
us exul Apulus pugnantem navali prælio *Claudus*
rat, vinctúmque Aragoniis dederat. Is
ea à Constantia Petri viduâ ultionis libi-
e neci admotus, ejusdémque pietate pro
. passo statim ereptus, sibíque restitutus
icatâ Siciliâ, novis iterum bellis cum Ja-
›o Petri filio, per vim extorta repetens,
nponetur; utróque suum affirmante,
›d jure alter, re alter teneret.
obierat anno 1283. Michaël Palæologus *Michaël*
22. annis potitus Imperio, Latinorum *Palæolo-*
tior quàm Turcarum, dum Europam ser- *gus.*
, Asiam perdit; Turcis in ea septem Sa-
pias constituentibus. Ita præpostera sem-
Ambitio; & oculata à fronte, à tergo
ca est; & dum fluctum frangit, ruit in
›pulum.
Hoc tempore Raimundus Lulius in His- *Raimun-*
nia, magnum Amoris humani, Diviníque *dus Lul-*
spe- *lus*

Digitized by Google

ſpecimen fuit. Siquidem mulierum amoribus penè ad inſaniam implicitus, cùm reſipuiſſet, cœleſtibus flammis ſic exarſit, ut ſanctè phanaticus, per agros diſcurrens, ubíque novum incendium circũferret. De litteris benè meritus, dicendi artem ſcripſit, vel Labyrinthum ingeniis poſuit; notior poſteris famosâ auri arte, quàm pietate; ut mali, quàm boni tenacior fama eſt.

Adolphus. Naſſovius.

Anno 1292. Adolphus Naſſovius conſequutus eſt Imperium Occidentis, geſsítque ſex annis cum dignitaris tãtæ dedecore; nam bello concitato Philippum inter, & Eduardum, Anglo ſtipendiariam militiam pollicitus, Germanis in contemptum venit, Albertúmque Aſtriacam æmulum excitavit, primùm ut ſe hoſtibus Gallis adjungeret, dein ut repudiatâ affinitate, Romanorum Rex deſignatus in ipſum Auguſtum armis contenderet. In prælio læſus Adolphus periit, relinquens Alberto laureatum Imperium. Francus, & Anglus contracto fœdere, Adolphum, ut communem hoſtem inſequuti ſunt, qui fidem auro mercatus, auro fefellerat.

Cœleſtinus.

Anno pòſt altero Petrus Morronus Cœleſtinus dictus, in Pontificatũ ſummum evehitur; ſed cum privatæ vitæ aſſuetus, negotiorum turbam horreret, ſolitariam ſanctitatẽ negotioſæ anteferens, ſe dignitate ſponte abdicavit. Jam antè Ordinis conditor, quem Cœleſtinorum dixit poſteritas; Cœlitum vitam, ſeceſſu, abſtinentiâ, ſacríſque precibus imitantium. Petro ſucceſſit Boniſa-

cius

VIII. rebus agendis aptior, fortaſſe
ibus, quàm par eſſet.

cebat hoc tempore Joannes Duns, Sco- *Scotus.*
rigine, Franciſcanus familiâ, famâ &
itis Coſmopolitanus, hoc eſt civitate to-
orbis donatus; dignus qui ſubtilitate in-
, cum ſoliditate Thomæ contenderet;
mque pari opponeret in arena ſcholæ
antibus.

nno Chriſti 1298. Albertus Auſtriacus *Albertus*
lolphi filius imperavit; bellis in Germa- *Auſtria-*
ſuos exercitus, quos ad nutum ſubegit, *cus.*
oribus dignus, niſi minora martiam in-
m conſumpſiſſent. Nono Imperij anno
riè trucidatus eſt, dum in Bohemos bel-
appararet, à Joanne fratris filio, quod
bona diutiùs pro tutore teneret: impiè
dem, ſed occulto judicio Adolphi ani-
m repetente.

ub eo nova Helvetiorum Reſpublica; *Helvetio-*
a annum 1307. ſumpſit originem. Eorum *rum fœ-*
ci Alpium incolæ, ab Imperatoris mini- *deratio.*
vexati, inito fœdere ceperunt injuriam
pulſare; à parvis initiis per gentes multas
lus invaluit, facilè animis ad tutelam ſui
leſcentibus, perſtátque hodie potentiſſi-
s inter Principes illibatum. Gens tam
ers ambitionis, quàm amans libertatis,
ndorum potius, quàm promovendorum
ium cupida, non tam ſuis montibus, quàm
orum modo circumſepta, alienam hacte-
ambitionem fregit, dum ſuam tenuit a-
tutiſſima ſunt quæ mediocria, omniúm-

que

que decreſcunt minimè, quæ creſcunt minimè.

Curtracenſis pugna.

Gallia interim bello Flandrico gravem jacturam paſſa eſt, in pugna ad Curtracum editâ, anno 1302. ubi temeritate Roberti Atrebatum Comitis, flos nobilitatis exciſus, cum ipſo Roberto; præſtantiſſimis Equitum turmis, ſe deinceps in Liſæ annis foſſam, Andabatarum inſtar præcipitantibus. Ibi verè Gallicâ pugnatum indole, hoc eſt imperterrito ſed cæco animo; quis enim oculatus ad prælium, non inſpecto campo proceſſiſſet. Sed ars illa belli noſtris Heroibus Ludovicæo ſeculo debebatur. Excepit & Philippum Regem tumultus novus à Bonifacio Pontifice ſuſcitatus; quo tandem defunctus novam Romam Lugduni in Gallia ſua vidit.

Clemens V.

Nam anno 1306. Clemens V. Burdigalenſis Lugduni à Cardinalibus Pontificiâ chiara coronatus eſt. Pompa ſupra regiam, quam tres reges ornarũt, Francus, Anglus & Aragonius, ſed propè lugubris; pariete collapſo, coronatiſque capitibus ſi non exitium, at timorem exitij gravem inferente; Joanne tamen Britanniæ Duce ruinâ oppreſſo: ita ſibi eſt proſperitas oneri, & quæ pompam augent, ruinam urgent; Pontifex tumultuum Italicorũ pertæſus, totâ Italiâ factionibus Alborum & Nigrorum ſciſsâ, Sedem Pontificiam Româ Avenionẽ tranſtulit, ubi hæſit annis minimùm 70. Urbs Gallica quidem, ſed Phocenſis Provinciæ, & Neapolitano Regi atributa, ſplendorem Curiæ gratulans excepit,

Auenio Pontificum ſedes.

ornata

nata deinceps præclariſſimis ædificiis ſa-
is & profanis, quæ tantorum hoſpitum
nplitudinē celebrent. Tres Cardinales Ro-
iam legati, qui res Italiæ adminiſtrarent.
Circa hæc tempora pyxis nautica ingenio- *Acus nautica.*
› invento, ſed prorſus ancipiti, ad navigatio-
is uſum reperta eſt; quâ ad acum magnete
llitam venti indicarentur, cursúſque na-
ium dirigeretur. Sed tanti non erat hauriri
luctibus, armare ſcopulos noſtrâ audaciâ, &
ventoſæ artis beneficio provocare ventos, ac
in peregrina naufragia ſeſe immittere.

Anno Chriſti 1283. Andronicus Palæolo- *Andronicus Palæologus.*
gus Michaëli patri ſucceſſit longâ domina-
tione, 40. propemodùm annorum calamita-
tes longé producens. Turcas inſenſiſſimos
paſſus eſt, à quibus totâ dejectus Aſiâ, vix Eu-
ropam ſuam defendit; quos in opem excive-
rat Maſſagetas, quaſi hoſtes deeſſent, mole-
ſtiſſimos omnium expertus; idem in Rogerio
famoſo illo Pirata Apulo miſeriæ perferens,
quem adſcitum ſocium prædonem ſenſit: ac-
ceſſit ad cumulum domeſticum malum. An-
dronicus junior, ex filio nepos, cujus corrup-
ta adoleſcentia fratri Manueli, & Michaëli
patri attulit mortem; illi quidem ignoto in-
ter nocturnas graſſationes, huic dolore &
tædio. Nec in eo cōſtitit perditus juvenis, ſed
in avum rebellis, ab invito extorſit Impe-
rium, tanto ſenis dolore, ut corruperit ocu-
los luctu; quâ miſeriâ octo annos protractâ,
tandem vitam poſuit rerum adverſarum cur-
ſu longiſſimam.

Digitized by Google

Othomanus. Sed quod omnium acerbiſſimum & Chriſtianis luctuoſiſſimum, ſub eo, nimirum anno 1300. natum eſt Imperium Turcicum, Aſiaticis Europæiſque terribile, in Othomanno, Satrapatum Aſiæ potentiſſimo; cui cùm Bythinia obveniſſet, idem Satrapias cæteras ſibi ſubjecit, gradúmque poſteris ſtravit, ad erigendam ſublimem illam poteſtatis molem, quâ orbis premitur, gemítque perdiu diræ tyrannidi mancipatus.

Henricus VII. Luxenburgius. Anno Chriſti 1308. Henricus Comes Luxemburgius dictus Imperator, ut conditionem à Clemente Pontifice impleret, ſopitâ Germaniâ, in Italiam properavit, quam præfecti ſinguli in tyrannides ſingulas partiebantur. Ibi ſolito Tranſalpinis more fauſta primordia, infelix exitus. Nam ad Padum urbes Guelphorum domitæ; expugnata Brixia, Roma in verba ejus adacta: ſed inter hæc proſpera, Valtamum fratrem & Beatricem uxorem amiſit, hanc morbo, illum vulnere; ipſe tandem morbo abſumptus: haud ſine veneni ſuſpicione, cùm in Robertum Neapolis Regem, quem exautoraverat, arma intenderet; anno 1314. autoritatis ad ſuperbiam tenax; quique fato quodam Henriciani nominis Pontifici detrahebat Italiam.

Concilium XV. Vienenſe. Interim anno Chriſti 1311. habetur à Clemente V. Viennæ Galliæ Concilium Oecumenicum, ordine 15. cui interfuere Patriarchæ duo Orientales, Epiſcopi 300. præter Reges Francum, Anglum & Aragonium. Ibi actum de Terræ ſanctæ expeditione, damnatæ

natæ hæreſes,& extinctus Ordo Templariorum; quos multorum criminum reos, partim ignis abſumpſit, partim texit exilium; eorum bona, vel Franciæ Regi conceſſa, vel Equitibus S. Joannis adjudicata; quibus poſtea tradita Rhodus Inſula, Saracenis erepta, Rhodiorum equitum indidit nomen. *Templarij.*

Anno Chriſti 1322. vidit Imperatorem Ludovicum Bavarum, poſt interregnum octennij, quo diviſis Electorum ſuffragiis, hinc Ludovicus Bavarus, inde Fridericus Auſtriacus, Germaniam bello diviſerant. Tandem multa poſt prælia; ultimo captus Auſtriacus, vir fortiſſimus, cùm ſuâ manu 50. hoſtes confodiſſet, fortunâ fortitudini infensâ, ſibi captivitatem, Imperium æmulo peperit: quo tamen abuſus ad ruinam Pontificum, poſtremò ruinâ quam apparabat obrutus eſt. Quippe in Italiam profectus, Gibellinorum factionem inſtauratam pro viribus in Joannem 22. inflammat; Romæ in ipſa veritatis ſede Pſeudopontificem Nicolaum, à quo acciperet coronam, collocat; fraterculos quoſdam infenſos Pontifici fovet, ac tegit; ac demùm in Germaniam redit, coronâ auctus; ſed infelici, & Pontificiis execrationibus juſtè devotâ. Tandem Clemente VI. Joannis & Benedicti diris rem addente, Electores ab ipſo exciti, Carolum Bohemiæ Regem, abdicato Ludovico, Cæſarem dixerunt. Ludovicus haud multò pòſt equo lapſus in venatione diem extremum clauſit; infenſiſſimus Imperatorum Romanæ Sedis hoſtis, ſed ultimus; *Ludovicus Bavarus.*

timus; quaſi Orcus victus poſtremum vinus effuderit, & inſtar morientium anguium poſuerit vitam in vulnere.

Circa hæc tempora, ſidera duo fulgebant in Italia benigniſſimâ luce. Alterum Robertus Neapolis Rex, Caroli primi ex filio nepos, virtutibus Regiis cumulatiſſimus, nec privatis infra Regem inops, doctrinâ & amore in litteras, atque litteratos. Ornavítque Deus felicitate virtutes, ſcriptis litterati; ut famã amplam, & meruerit & aſſequutus ſit.

Robertus.

Petrarcha.

Lumen alterum Franciſcus Petrarcha, qui Florentinus ortu, educatione Avenionenſis, quamplurima ſcripſit verſu, & prosâ, linguâ patriâ & latinâ; Lauræ amoribus celeberrimus. Huic intermortuæ litteræ vitam debent, quas contemptui habitas, commendatiſſimas fecit. Diu jactatus variâ fortunâ, tandem in ſeceſſu Patavino conſenuit, cumulans ſtudia pietate, dignus cui terrarum orbis de inſtauratis litteris trophævum poneret.

Anglicum bellum II.

Anno Chriſti 1336. Natum eſt bellum Anglo-Gallicum II. graviſſimum omnium, quòque Gallia tantùm non periit. Orta ex affinitatis vinculo lues; Eduardo III. jure materno regnum Galliæ poſtulante, quod Philippus VI. poſtremo Regi patruelis, ſibi per legem Salicam arrogabat. Jus dictum eſt armis per ducentos annos, quibus Galli tametſi inferiores, Deo tamen patrocinante, litem non ſine prodigio impetrarunt. Nobilis in paucis pugna Creſſiaca in Ambianis, quâ Philippus fortiſſimè dimicans, in fugam actus, 20. millibus

millibus Gallorum cæsis, in quibus Joannes BohemiæRex,oculorum tenebras animi acie illuminans, aliíque è nobilium flore præcipui. Inde Calesium expugnatum fame, & Anglia Franciæ propemodùm juncta. Nec Joannes Philippo patre felicior; qui anno post decimo in Pictonibus pugnans, ab Eduardo Principe pugnam deprecante, non modò victus; sed captus est cum Philippo filio, & in Angliam abductus; hac fortitudinis gloriâ, quod fugam nesciret. Pax quidem ad Britiniacum coaluit, anno 1368. Sed admodùm fragilis, & graviùs statim dissolvenda.

Longè illustrior in Hispania Castellani Regis victoria, quâ ad Salsum amnem, anno 1340. ducenta Maurorum millia ceciderunt; postquam Albohacen Mauritaniæ princeps, transmisso mari, spe invadente Hispaniæ, non tàm ad prælium, quàm ad palmam decurrerat. Sed Dei est superbos calcare, & ferociam intumescentem infringere. *Mauri ad Salsum victi.*

In Oriente anno 1341. Joannes Palæologus Andronico Juniori succedit, sub tutela Joannis Catacuzeni: sed ambitio fide potior, ut tutori regnum, sic pupillo mortem comparabat; donec jam adulto pupillo; cui hactenus consuluerat ætatis infirmitas, à Græcis in Monasterium trusus est Catacuzenus, in quo Historias scriberet, redditúmque Palæologo paternum Imperium. Deus enim scelera aliquando plectit in semine, & parcendo punit nascentia. *Joannes Palæologus.*

Digitized by Google

Carolus VI.

Anno Christi 1346. Carolus Bohemiæ Rex abrogato Bavaro Imperator, postquam æmuli vel armis victi, vel tempore mitigati, artibus pacis inclaruit, quam sollicito semper animo coluit. Ideò litterarum, quæ pacis proles, studiosissimus, Academiam *Pragæ* excitavit, quâ Bohemi sui barbariem ponerent, & ipse quinque linguarum peritus, in quibus Latina, quòd illo ævo rarissimum Principi, tam fuit studendi exemplum, quàm stimulus. Reipublicæ amans, Bullam Aureã condidit, ad comprimendum Procerum ambitum, & ad designandos Ordinum gradus, religiosissimus vel majestatis dispendio, stratoris officiũ Urbano V. Avenione præstitit, equitémque Pontificem sequutus est pedes, gnarus nullum fastigium Deo non subjici, nihílque augustius, quàm ob eum sese demittere. Hoc uno culpatus, quod Bohemiæ regno plurimũ studuit, minus Imperio; visũsque est posteris, non Reipublicæ prospexisse.

Turci in Europa.

Anno Christi 1360. Gravissimam res Christiana jacturam patitur, nam Amurathes tertius Turcarum Imperator, inito fœdere cum Joanne Palæologo Genuensium navibus, sexaginta suorum millia in Europam transmittit; specie quidem juvandi Græcum contra Triballos, revera ut alieno prætextu proanoveret rem suam. Quod actum est; & Adrianopolis in Thracia Turcici facta Sedes Imperij, ipséque Palæologus Amuratis factus vectigalis; pœnâ justissimâ societatis turpissimæ: sed nec allegendus is socius, qui possit

poſſit eſſe, cùm libuerit Dominus. Amurathes poſtea à transfuga occiſus, 37. præliis, defunctus.

Anno Chriſti 1377. Gregorius XI. Avenione Romam ſede translata, urbi Auguſtæ primum ornamentum reſtituit, totíque Italiæ diuturnis bellis oppreſſæ, ſpe pacis illuxit. Hic ortu Gallus, patriæ commodis anteponens Eccleſiam, verè ratus eſt viro forti patriam eſſe orbem terrarum. Quia tamen graves morbi duris & acerbis curantur remediis; hinc ſequutum eſt immane ſchiſma 30. annorum poſt Gregorii obitum; cùm ab creato Urbano VI. deficientes quidam Cardinales Pſeudopontificem Clementem VII. delegerunt; cui poſt annos 14. ſubſtitutus Petrus de Luna Aragonius; obſtinatiſſimo animo dignitatis umbraticæ, vel ad mortem cuſtos, nec fortaſſe unquam magis in alio, orbis obſtupuit vim ambitionis. *Romæ Pontifex redditus*

Anno Chriſti 1379. Venceslaus jam patre Carolo vivo Cæſar dictus, eo mortuo non tam geſſit Imperium, quàm infecit. Pragæ in Bohemia frequens; vino, luſtríſque marcidus, paternam ſapientiam turpiſſimis vitiis obliteravit. Imò flagitiis crudelitatem adjungens, Carnificem habebat pro comite, qui ad nutum novi Neronis quémque, ut eſſet libitum, interficeret. Bis à ſuis conjectus in carcerem, bis evaſit; ita in adverſis ſiccus & temperans, ut proſperis redditus ſtatim nequitiæ redderetur, nunquam enim cum bona mente in gratiam rediit, annos 21. hanc *Venceſlaus.*

Digitized by Google

luem Germania tulit, donec abrogatum ei Imperium à Septemviris; & publica labes expuncta. Insanabilis vomica, quam remedia etiam alerent.

Carolus VI. Galliæ Rex.

Mirare interea, quàm rara virtutum in stirpe series, nam quod Venceslaus in Germania, id propemodùm Carolus sextus in Gallia; nisi quod ille privatos perdebat, hic publicum, qui Caroli sapientis & vere cunctatoris filius (nam rem Gallicam cunctando restituerat) temeritate & stoliditate cùm paternam operã corrupisset, regnum antiquissimum orbis sic prostravit, ut humanâ majus ope remedium, uno fuerit cœlo arcessendũ.

Bombardæ.

Et anno hujus seculi 80. sub illa Imperij lue Venceslao, hominum & orbis lues inventa prodiit. Reperta enim majora illa tormenta bellica, evertendis munitionibus opportuna: autor Bertoldus Germanus, priùs adinvento nitrato pulvere; usíque primum Veneti in fossa Clodia recuperanda. Nullo fortiori telo Bellum se instruxit, quo simul plures quasi unum perderet; quid homines mortem armatis hoc fulmine; quid alas currenti & insanienti furorem additis?

Joanna Neapolitana.

Anno Christi 1381. Carolus Dyrrachinus ingratissimo animo Joannam Reginam Neapolitanam, exutam regno, pulvillo suffocat, & mortuæ spolium thronum inscendit. Joanna Roberti Regis doctrinâ & felicitate præclari neptis, ab ineunte adolescentiâ coronata, quatérque nupta, calamitatum scopus plurium fuit. Liberata suspicione infami,

fami, quam incurrerat ob cædem mariti Andreæ Hungari, non ideò miſerias depulit; nam exul ſæpius vidua, dejecta non rarò, tandem reſtituta eſt ut perimeretur. Unius ſanè criminis conſcia, quod ſchiſma promoverit, Clementis VII. Fautrix eximia, cujus & pœnas morte perſolvit. Hæc Ludovico Andegavenſi adoptato regni jus dedit, regiæ litis hoc eſt bellorum ferax ſeminarium.

Anno pòſt ſexto, Carolus Navarræ Rex, Franciæ virus, poſt turbas plurimas in ea excitas, ſuum ipſe funus vivus confecit; dùm ad vires malè deperditas reficiendas, inſutus linteis aqua ardente perfuſis, admotâ filo candelâ, flamma concepta eſt. Ita mors in remediis quæritur, & telo, quo pellitur vincit. *Carolus Malus Navarrus.*

Anno Chr. 1399. Tamerlanes Bajazethem potentiſſimum Turcarum Principem, plurimiſque ſuperbientem victoriis, occurrentem in Capadocia cum trecentis Equitum & ducentis peditum millibus, magnâ internecione profligat; captúmque, & vinculis aureis gravem in ferreâ includit caveâ, ejus dorſo utens, quoties equum inſcenderet. Victúſque Bajazethes tam ignominiæ ſenſu, quàm prælio, capite in caveam illiſo, necem ſibi intulit; proſtratæ ſuperbiæ exemplum ingens; quale per ſecula exhibet Deus, ne mortales ſui oblivio capiat; nec quod rotâ nititur, fixum eſſe credant. *Tamerlanes.*

Hic Temir ſive Tamerlanes, Scytha origine, tantus è gregario milite Imperator, for-

tunæ ſuæ artifex, poſtquam Indos Parthóſque ſubegerat; ubi à Bajazetho irritus eſt, quem de reſtitutione exulum compellavit, in eum progreſſus, jam Ægipto & Meſopotamiâ ſub jugum miſſis, univerſam Aſiam in prædam habuit: donec cruore & vaſtitate terrarum ſatur, opulentiâ ſupra votum gravis, revolavit in Scythiam ad comprimendam rebellionem. Tertio pòſt anno, ſuo fato mortuus, ſucceſſores habuit filios: quibus paternum Imperium pro diſcordia fuit, quâ mutuis cædibus conciderunt. Ita fulmen Tamerlanem dicas; quod illatâ clade evaneſcit.

Rupertus Anno Chriſti 1400. Rupertus Comes Palatinus Venceslao ſuffectus, prudenter & fortiter adminiſtravit Imperium; uno infelicior, quòd cùm Italicis tumultibus ſe immiſcuiſſet, fortior gubernatore procella clavum excuſſit, & remedia morbus exegit: ipſe in Germaniam ſuam receſſit, quam totâ propemodum Europâ bellis conflagrante, illæſam decennio regiminis texit.

Eo tempore calamitates Orientis egregias opes occidenti pepererunt; Chryſolorâ, Gazâ, Trapezuntio, aliiſque doctis è Græcia profugis, & in Italiam theſaurorum cumulos deferentibus; nimirū litteras, doctrinam, & ſtudia; quorū Occidens jam pluribus annis egentiſſimus, in feritatem barbaram ſylveſcebat.

Concilium Conſtantienſe. Anno Chriſti 1414. Sigiſmondi Imperatoris accurati ſimâ ſolicitudine habitū eſt Conſtantienſe Concilium; in quo ad opprimendum ſchiſmatis virus, creatus Pontifex maximus,

ximus, Martinus V. aliíque depoſiti: Joannes Hus & Hjeronymus Pragenſis, quod Vicleſi Angli ſpargerent hæreſim, vivi concremati; contumaciſſimo ad mortem animo, vímque flammarum larvâ conſtantiæ ſuperante, adeò virtutis ſpecie vitium fallit; & ignorantibus cauſas, effecta imponunt.

Orta eſt tamen à bono parente gemina ſoboles extitioſa, Huſſitæ, & Baſileenſe Concilium. Huſſitæ, Duce Joanne Ziſca, 40. millium numero, anno Chriſti 1419. Sigiſmundum Bohemiâ pellunt, eámque immanitate ſummâ diripiunt, hæreſim latè ferro propagantes. Hæc per quinque annos quamdiu Ziſcæ ſuperfuit vita, quam aſſiduis illuſtravit victoriis, Tabore urbe in monumentum gloriæ exædificatâ; Victoriæ tam certus, ut eam etiam cæcus invenerit; nam utróque orbatus lumine pugnavit & vicit (quis oculatā victoriam dicat, quæ cæcum ſequatur?) peſte tandem periit, patriæ lues & religionis vel vincendo. Inde Huſſitæ in duas factiones diviſi; nec ideò quod mirum, oppreſſi, diu Germaniam direptionibus & cædibus violarunt. *Huſſitæ.*

Baſilienſe Concilium minus damnum intulit, majorem injuriam. Cùm enim à piis primordiis in privata conſilia degeneraſſet; non tantùm in Pontificem Eugenium inſurrexit; ſed etiam anno 1438. Amedeum ex Duce Sabaudiæ jam ante Monachum ultrò agentem, Antipapam dixit, & Felicem nuncupavit; quaſi vitæ prioris ſanctitas illuceret ad nefas, & depoſitus Princeps ad dignitatum apicem *Concilium Baſilienſe.*

Digitized by Google

apicem gradus esset. Is tamen postea tam Felicem posuit, quàm Amedeum, & renuntiato sponte fastigio, quod oneri erat, pace publicâ per demissionem privatam redemptâ, obire maluit Monachus, quàm Princeps, vel Principum Pastor.

In Gallia Angli. Anno Christi 1419. Belli incendio quod in Gallia Angli concitarant, injectum est oleum, cæde Joannis Burgundiæ Ducis; quæ sub oculos Caroli Delphini ad Monterigolum patrata, universam Galliam penitus obruit. Et verò regnum tot annos incolume vix unquam propius à casu abfuit. Nam inde Philippus, Joannis filius, Anglo adjunctus, Lutetia, rex Carolus jam sui impos, uxor, filia Catharina potestati ejus contraditi; pòst nuptiæ inter Henricum Anglum & Catharinam contractæ; Susceptus Henricus filius, & adhuc bimulus Lutetiæ coronatur; tenuitque bellum triginta fermè annos continuos, nulla pace, nullis induciis temperatum: Carolo Delphino & postea Rege, ægrè Bituricis regni vel jacturam, vel spem moderante.

Aurelianenſis. Sed tantis calamitatibus empta prosperitas tandem illuxit, Deóque placuit probatam constantiam coronare. Et ne motas divinitùs machinas cogites; id instituit Deus anno 1429. per puellam extraneam, rusticam, tam egenam rerum, quàm inscium; quæ stupentibus hostibus Gallorum spem excitavit & fovit; ut in posterum Gallia sit cœlo charior; cujus maximè beneficium est. Joanna Virgini nomen, Lotharingia patria, ætas

viginti

viginti anni, ars ovium cura; quibus si opponas arma tractata, liberatam Aureliam, Regem Rhemos ductum, Anglos sæpe victos; Mireris Deum magna patrantem, & in arrogantissimos Goliathos Davidis miracula superantem. Passus est tamen captam ab hostibus Virginem ignominiosâ & crudeli morte interire, ut excocta flammis integritas, & adversis læsa prosperitas, & humanitatis sordes abstergeret, & ad cœlos purior scanderet. Sanè Virgo tam mortua quàm viva rem Gallicam juvit; reconciliata Burgundi gratia, restituta Lutetia, Angli expulsi, receptum Imperium, vel sunt appendices vincentis dum viveret, vel effectus precantis dum vixit; debuítque Carolus precarium sceptrũ titulúmque Victoriis, vel infirmæ Virgini, vel quod idem sit, potentissimo Domino Regum Deo.

Anno Christi 1438. Habitum est ab Eugenio IV. Pontifice Concilium Generale XVI. inceptum Ferrariæ, ac finitum Florentiæ, quod inde dictum est Florentinum; magnâ Christiani orbis celebritate; cùm adessent ab Oriente Imperator Joannes, pluréſque Patriarchæ, à quibus contracta unio cum Latinis, Græcorum & Armeniorum; unde Bessarion Nicænus Episcopus, & Isidorus Ruthenorum Archiepiscopus, viri doctrinarũ laude clarissimi, quòd ad concordiam multùm contulissent, donati sunt purpurâ, cui splendorem tãtum arcessiverant. Fuítque celeberrimum Ecclesiæ Trophæum hæc unio, nisi perennitatem Græca incõstantia detraxisset.

Concilium 16. Florẽtinum.

Annus

Typographia. Annus Christi 1440. in fastis maximè recendendas, novam vidit artem; per quam ingeniorum fœtus immortales, expedita studendi ratio, & litterarum cursus promotus, Joannem Guttembergium inventorem, posteritati ostentant æternis encomiis prosequendum. Hæc ars Typographica, quâ una priorum temporum felicitatem extinguimus; nisi quòd cæteras artes æmulatur, parátque gladium, quo tam civis quàm hostis pereat. Sanè librorum colluvies hanc accusat, suáque ipsa copiâ premitur, ac peccans exuberantiâ perdidit stylum facilitate scribendi. Arti statim materiam præbuit Nicolaus V. tam litteratorum amans, quàm litterarum, quas assiduo studio propemodùm perditas instauravit; dignus per eas vivere quibus vitam dedit.

Scanderbergus. Anno Christi 1443. Georgius Castriotus, Scanderbergus dictus, hoc est Alexander, in Epiro magno suorum plausu Rex salutatur. Hic provisus divinitùs cum Joanne Hunniade Hungaro, qui Turcarum inundanti Imperio opponeret aggerem, réinque Christianam ab imminente peste servarent. Scanderbergum quidem suo malo aluit Amurathes, quem à Patre cum duobus fratribus obsidem datum, & vir circumcisum, cùm studiosè ad munera belli applicasset, in se armavit Imperatorem eximium; quippe Georgius pertæsus tyrannidis, Christo & paterno regno receptis, irruentem Amurathem celeberrimus victoriis fregit, Croiam urbem

ab

ab obſidentibus vindicavit. ſemper victor, nunquam vulneratus; novus Alexander, non limitibus promovendis, ſed gloriâ, quam æternam ad poſteros miſit.

Dicas Deum in Georgio pugnantem, in Hunniade hominem; qui ſæpe victor, aliquoties victus, utrámque fortunam in Turcas armavit, tam ſibi in adversa calcar, quàm frenum in proſpera. Sanè clades Varmienſis, qua anno 1444. Ladislaum Regem occiſum luxit Hungaria, ruptáque fœdera ultus eſt Amurathes; ea inquam cæſa 30. Turcarum millia Hunniadi debet, eidémque Ladislaus quinquennis ſervatam domi foríſque Hungariam dum adoleſceret. Nec ſilenda Belgradi propugnatio, qua clariſſimus Hunniades, cæſis uno die 40. Turcarum millibus ipſóque ſaucio Mahumete, nobiliſſimum rebus geſtis faſtigium impoſuit; nam paulò poſt peſte abſumptus eſt; verus Imperator quem adverſa probaverant: nec enim ſemper victoriam meruit (parcat Scanderbergus) qui ſemper obtinuit. *Hunniades.*

Anno Chriſti 1448. Philippus Vicecomitum ultimus, ſine liberis legitimis decedens, Mediolanenſem Ducatum litigioſum reliquit poſteris, futuríque belli copioſam ſementem. Teſtamento heredem ſcripſerat Alfonſum Aragonium; at Carolus Dux Aurelianenſis, Philippi ex ſorore Valentina nepos; teſtamentum incuſans, hereditatem repoſcebat avunculi: medius inter litigantes Franciſcus Sfortia Florentinorum Dux bello clarus *Sfortia Dux Mediolanenſis.*

clarus Blancæ Philippi filiæ olim conjux, jus in certum certis armis fulciens, Mediolanenſem Ducatum invadit; Franco & Aragonio litem ad heredes tranſmittentibus, quam ingenti mortalium damno exequentur.

Conſtantinopolis capta. Anno Chriſti 1453. Labes infamis Chriſtianæ rei inuſta, captâ per Mahumetem *II.* Conſtantinopoli; Ea jam ante mille & centum annos Orientis caput, tot victoriis triumphíſque clara, in prædam ceſſit immani Tyranno; deſiítque Græcorum Imperium in Conſtantino XI. Joannis Palæologi filio, cui datum eſt pro patria occumbere, nec extincto regno ſupereſſe, Urbi perſtitit Conſtantini nomen ad Chriſtianiſſimi opprobrium, dum Dæmoni ſervit, quæ ideò ſurrexerat, ut Urbs nova non ſerviret Dæmoni. Pudeat Chriſtianos audita Conſtantinopoli Turcam cogitare. Nunc levius eſt lugere litteras, Athenas barbaras, Græciam indoctam, & exareſcentem fontem doctrinarum.

Mathias Corvinus. Anno Chriſti 1458. Fortunæ ſpecimen geminum editum eſt; dum Ladislaus, florenti ætate, Hungariæ & Bohemiæ Rex, in Auſtriam conjugij causâ profectus, in nuptiarum apparatu, morbo extinguitur; & aliunde Mathias Corvinus ab ipſo Ladislao in carcerem actus, ab mortis faucibus in Hungariæ thronum evehitur; magno Providentiæ in mortalibus luſu. Is Mathias Joannis Hunniadæ filius, nec à Patre degener, egregiè in Turcas propugnabit Hungariam, cui & Auſtriam Sileſiámque adjunget.

Nec

Nec enim licebit viro fortiſſimo, ſe totum in communem hoſtem expromere.

Eodem anno Æneas Sylvius, Picolomineus Senenſis, doctrinarum laude in paucis clarus, Supremus Pontifex Pium II. ſe dixit; magno litterarum bono: ſed & Chriſtianæ rei incremento, ſi piis conatibus faviſſent Principes, & fraterna odia in neceſſarium hoſtem convertiſſent. Deceſſit in paranda Turcica expeditione; novo fato ut litteris innutritus, inter arma occumberet. *Æneas Sylvius.*

Anno Chriſti 1473. Calabria in Franciſco de Paula, viro illuſtriſſimæ demiſſionis, novum Eccleſiæ ordinem dedit, quem Minimorum humillimus conditor dixit. Nec humilitati celebritas defuit Sanctitatis & doctrinæ, ad hoc ævum perducta. In eo mira ciborum abſtinentia, quæ primam mundi temperantiam ſuperet, & tenuitate victus novum inediæ genus repræſentet. *Minimorum Ordo.*

Anno Chriſti 1476. Cypri regnum ad Venetos tranſit, jus ad Sabaudiæ Duces. Quippe Ludovicus Sabaudus Carolotam Reginam uxorem duxerat, ſed ſtatim regno pulſus à Jacobo Notho, qui ſe Sultani Ægyptij beneficiarium conſtituit, ejuſdem Carolotæ de ſtirpe Luſiniana poſtremæ teſtamento heres ſcriptus, jus tranſmiſit ad poſteros, Jacobus regnum ad Venetos; nam ductâ uxore Caharinâ Venetâ; quam adoptavit Reſpublica, um ipſe Jacobus ejus filius moriēs, vacuum heredibus regnum relinquit, obtinendum à Venetis adoptatæ filiæ ſuccedentibus: novo *Cyprus Veneta.*

Adoptio-

Adoptionis emolumento, per quam Imperia dabantur antea, nunc comparantur.

Carolus Burgundus.

Sed anno sequenti novum casum aspexit Europa, in Carolo Burgundiæ Duce ad Nancæium à Renato Lotharingo in acie cæso. Is ætate, bellicâ gloriâ, provinciis subditis, florentissimus Principum, nullũ seipso acerbiorem hostem expertus, ambitione sublimem animum stimulãte, cùm Galliam sæpius bello incendisset, vellétque Helvetios sub jugum mittere, ac Lotharingium quasi aggerem ditionibus suis interpositũ amoliri, primò duobus præliis ab Helvetiis deprecantibus pugnã in fugam actus est; deinde in Lotharingia spes magnas agens occisus: Terribilis dictus & Pugnax; sed immoderatissimus ambitionis, à quâ finem solitum nempe violentam mortem impetravit. Heres tot provinciarũ Maria filia, nupta postea Maximiliano Friderici Imperatoris filio; quarum tamen partem quasi feudum regni Ludovicus invasit, nẽpe Burgundiã & Atrebates, infensissimo æmulo liber, à quo sæpe in artibus suis deprehensus tutò vulpinari in leonem minus licuerat.

Angliæ Bellum Civile.

Nec Anglia calamitatũ securior, quæ inter Henricum sextũ & Eduardum Eboracensem distracta, ab anno hujus seculi 61. ad 85. suorum cruore, non militum modò, sed Ducum & Principum inundavit. Henricus bis regno pulsus totiésque redditus, tertiũ pulsus & ab Eduardo captus, cum uxore in carcere extinguitur; unius criminis reus, quod raptum regnum repetiisset. Nec id Eduardo fuit diuturnum,

im, imò nec liberis, nam eo mortuo, liberi Richardo Cloceſtriæ Duce necati, ab eodem gnum occupatum; donec terti› poſt anno enricus VII. Richemontius, è familia Lanſtria, à Britonia ubi exulabat furtim elaps, tyrannum in Anglia prælio victum occit, victíque ſpolium regnũ cepit, Eliſabethâ duardi filia in uxorem ductâ. Id ſi regnum t, necare & necari, præſtolari mortem vel iferre, quid per tantas ſtrages appetitur?

Anno Chriſti 1481. Mahumetes Nicome- *Mahumetes II.*
iæ veneno obiit, ætatis 53. verè Magnus à iis dictus, cùm ſubegiſſet duo Imperia, Byantinum & Trapezuntium, quatuor regna, rovincias 20. vrbes ducentas, brevi tempore Chriſtianis raptas; & imminebat Italiæ, Hyrunte captâ; & immanitate omni fœdatâ: el voluptatum diſpendio fortis; emollitus emel in Irene, mox dilectæ nece ab utróque œnas amoris repetens. Plura patraturus, iſi præſtantiſſimi Duces ruentem fregiſ- ent; in Hungaria Hunniades & Mathias fiius; in Perſide Uſumcaſſanes, bello clariſſimus; & in Rhodo inſula Dalbuiſſonius Magiſter Equitum Rhodiorum; qui anno 1480. res menſes continuos Rhodum urbem oppugnatam à Turcis, eorum cæſis 30. millibus, liberavit. Dignus qui Mahumetis magnitudine creſcat, eò amplior quò victus auguſtior. Bajazethus Mahumetis filius, pulſo fratre Zeme Imperium tenuit.

Anno Chriſti 1483. Ludovicus XI. Galliæ *Ludovicus XI.*
Rex, cùm diu timore mortis mortem paſſus eſſet,

Digitized by Google

esset, tandem moriendo timere desiit; fortunam expertus pro ingenio variam,& aliquoties asperam; animo tectus siquis ullus, consilia alta dissimulatione obvelans, id unum nato præceptum tradens; Aulicorum dominus,haud mancipium;maximè studens,ut regnaret;Regum tutelam solvisse dicitur;severitati tamen addictior,crudelis audiit;&dum odit litteras,in litteratorum odia incidit.Donatus est à Renato Andegavensi Phocensi Provincia& jure Siciliæ,cui successit Carolus filius tredecim annorum, & cura regni Annæ sorori credita, miro Gallorum in Reges amore, cúm bellicosissima gens imbelli fœminæ pareat, Regi ut pareat.

Ferdinandus Mauros expellit.

AnnoChristi 1492.Ferdinandus Aragonius jam ante per Isabellam conjugemRexCastellæ, universam Bæticam sibi adjunxit; bello Maurico tandem confecto, captâ urbeGranatâ ac Rege Bandele:vix alius Hispaniæ annus felicior, quo dominatus importunissimus est extinctus,& post septingentos annos & plures, inusta genti labes expuncta. Inde FerdinandoCatholici nomen restitutum,qui ne victæ gentis semen excresceret, statim ex Hispania Mauros omnes & Judæos expulit, quorum migraverunt in alias terras familiarum centum viginti quatuor millia, ingenti Hispaniæ vel damno,vel fructu. Sanè incolarum fides intacta compensat infrequentiam, & apertus statim novus orbis purgati veteris merces est. Inquisitio mox instituta, ne malum rursus occultum serperet; quæ ad ef-

focan-

focandam hereſim prorogata, ſanctum ferrum eſt, abſciſſione membri corpus ſervans.

Ad res tantas inſtrumentum maximum Ximenes fuit; qui ex Franciſcano inope locupletiſſimus Cardinalis, & ad regni clavum admiſſus, opes, corpus, mentem, ad Dei cauſam, regníque gloriam impendens, in cinereâ veſte, quam non depoſuit, animo forti prudentíque conſilio ea geſſit, ut Gonſalvo par, Regni mens fuerit; eo miraculo, ut nec Monacho Aulicus, nec Aulico Monachus in hac munerum pugna obfuerit. *Ximenes.*

Eodem anno 92. Chriſtophorus Colombus genuenſis, audaci & felici navigatione Atlanticum Oceanum emenſus, centeſimo die quàm ſolviſſet Gadibus, novas terras Europæ condidit vel aperuit: hinc Cuba, Florida, Hiſpaniola, aliæque terræ vel Inſulæ, Ferdinando adſcriptæ, cujus auſpiciis Columbus ſolverat. Et quinto poſt anno in iiſdem partibus America ab Americo Veſputio Florentino inventa & dicta, eidem Ferdinando adnata eſt; ea tamen ſorte, ut cui regna naſcebantur, non naſceretur, ea qui regeret, eſſétque hæres, ab aliena gente arceſſendus. *Orbis Novus detectus.*

Nec à Luſitanis ea in laude ceſſatum, qui cum varia regna in Occidentali Æthiopiæ orâ detexiſſent; tandem ſub Emanuele, ductore Vaſqueſio Gama, anno hujus ſeculi 97. primi omnium auſi caput illud horrendum non tam bonæ quàm inſanæ ſpei circumflectere; inde Moſambico Melindáque luſtratis, *India.*

luſtratis, ac Malabarico regno inſpecto, ſpem ingentium opum in Luſitaniam retulerunt. Et fortuna concilium juvit; dum anno 1500. Alvarus Capralis in Orientem deſtinatus, jactatus tempeſtate, & in Occidentem delatus

Baſilia. inſperatò in Baſiliam appulit, futuram appendicem Luſitaniæ. Dicas arctiores Europæ limites ambitioni, ultra Oceanum & Solis vias prorogando; quamvis Dei charitas malo benè uſa, fidei lucem gentibus miſeris ſic intulerit; at beneficio tanto malè utentibus, quæ ad nos irritamenta gulæ & luxus, imò aurum vitiorum omnium fomitem, pro tanto commodo, importarunt: niſi nos fortè ab ignaris & invitis rapuimus.

Carolus. VIII. Anno Chriſti 1495. Carolus Galliæ Rex, ne jus in Siciliam datum fruſtra foret, ducto in Italiam exercitu, mirâ felicitate Neapolitanū obtinet regnum; nec minori fortitudine in reditu, Fornovij à fœderatis Germanis & Hiſpanis victoriâ Duce ſe explicat; oſtenſúmque populis gloriam Gallis ſeri in adverſis, ut ſæpe infortunium meti ex proſperis. Sanè brevi Neapolitanum regnum ad Ferdinandum Alphonſi filium rediit, nihilque Gallis ex felicitate tanta ſuperfuit, præter turpem morbum quem altera natio alteri imputat, pœnæ fœditate fœditatem culpæ inſinuante. Carolus tertio poſt anno repentinâ morte extinctus eſt; è duobus regnis vix ſepulchrum nactus in quo putreſceret.

Ludovicus XII. Anno Chriſti 1499. Ludovicus XII. agnâtus Caroli & ſucceſſor, & à Valentina Vicecomite

comite oriundus, jus in Ducatum Mediolanenſem ſanciens armis, expulſo Ludovico Sfortia Mauro dicto (qui Franciſco fratri poſt Galeatij nepotis mortem acceſſerat Ducatum occupat; cúmque innata Francis negligentia dejectus illo eſſet à Sfortia; iterum victor non Ducatum modò, ſed Sfortiam capit cum fratre Aſcanio, mittítque in cuſtodiam, in qua obierunt. Et vaferrimum illud Mauri ingenium, tot artibus regnandi imbutum, in caſſes incidit quos parabat; nec fraus fraudi fuit, præterquam auctori.

Nec à Ludovico Neapolitanum regnum omiſſum eſt, ſed curâ infeliciore tentatum. Nam cùm mortuo Ferdinando, Fridericus ejus patruus jus regni ſibi vindicaret; anno 1501. Ludovicus Gallus & Ferdinandus Hiſpanus, de regno inter ſe dividendo conveniunt; ita Albiniacus Præfectus eſt Gallico nomine, Gonſalvus Hiſpanico, Fridericus in Galliam abductus, in qua mox obiit. Sed infida ambitionis ſocietas, arte Hiſpanicâ Gallus depulſus eſt, & virtute Gonſalvi armante Ferdinandi conſilio, præclariſſimum regnum magnâ Gallorum infamiâ acceſſit Hiſpaniæ. Hic eſt Gonſalvus qui per 200. urbes & 70. oppida Regi ſuo comparata, Magni nomen ideptus eſt; ideò quod tantus eſſet, appetitus nvidiâ, domi ſuæ dolore contabuit, expertus omnia Ferdinando ſuo faciliora. *Gonſalvus magnus.*

Anno Chriſti 1500. Natus eſt Gandavi Carolus V. ex Philippo Maximiliani filio, & Joannâ Ferdinandi & Eliſabetæ filiâ, futurus tot *Carolus V.*

Digitized by Google

tot regnorum heres, & ingens hujus ſeculi pagina: cum jam in Gallia ſeptimum ageret annum Franciſcus Valeſius, ipſius æmulus. At quantis Europæ cladibus utérque in gloriam ſuam adoleſcet.

Perſicum Sophi regnum.

Circa hæc tempora novum Perſarum regnum exortum eſt; in Iſmaële ex Uſuncaſſanis filia genito; qui novam Alcorani interpretationem commentus, ſuos à Turcis ſejunxit, Sectámque condidit, publico Chriſtianorum hoſti hoſtem opponendo; Dei ſummâ providentiâ, ut ex veneno pararetur antidotum. Reges ab eo dicti ſunt Sophi, vel à Magis Perſicis; vel quod hæc vox lanam ſignificet, qua hi Reges utebantur in capite.

Albuquercius.

Anno Chriſti 1510. Luſitanico nomini jam totâ Indiâ perilluſtri inventurus regni ſedem Albuquercius, Goam cepit; unde magnâ deinceps Luſitanorum gloriâ Chriſti Fides cum eorum victoriis propagaretur. Et anno ſequenti Malaca, ditiſſimum Emporium, & vltrà patentis Indiæ clauſtrum, ab eodem Albuquercio expugnata eſt: unde Magni titulus juſtè collatus; quem ſi Magno Gonſalvo opponas, hic Annibalem, Scipionem illic deprehendes; ut amplitudinem quiſque ſuæ gentis genio menſus ſit.

Ravennæ pugna.

Anno Chriſti 1511. Italia tunc Martis Scena; magnarum rerum converſionem vel vidit, vel ſenſit. Galli ad Ravennam Duce Gaſtone Foxio celebrem de Venetiis & Hiſpanis retulere victoriam; quam dum Gaſto intemperantiùs urget, nec pontem aureum fugienti ſternit,

rnit,ab Hiſpanis cæſus,eandem abrumpit.
inc reliqua Gallis infenſa; relinquenda Ita-
ı , ut Henricum Anglum & Ferdinandum
iſpanum à ſe repellerent , inde per tot æ-
mnas partis ſpoliantur;Maximiliano Sfor-
æLudovici filioMediolanum perHelvetios
ſtituitur; ſua recipiunt Veneti, plura quàm
niſerat Julius ; imò & aliena, ſi nobis credi-
ır,Ferdinādus; cùm Navarræ regnum pulſo
oanne Albreto invaderet; armatur quidem
ōtificio telo,ſed quod vibraret ipſe ſuoMar-
:.Sic Italia , neſcio quo fato , jam inde à Ro-
ıanis luctuoſa eſt Gallis ; in qua vincunt
uidem , ſed perituri quaſi terra olim gen-
um victrix triumphantiū ambiat corpora.

Anno Chriſti 1512. Inceptum eſt à Julio , & erfectum à Leone X. Concilium Generale :VII.Lateranenſe V.ad Piſanum Concilium efellendum;quandoLudovicus non tantùm rmis,ſed & artibus impugnaret Pontificem. ed ſtatim ſub Leone pax Eccleſiæ cum pri-nogeniti gratiâ reſtituta. *Concilium 17. Lateranenſe V.*

Tunc agebant in vivis viri litterati, Budæus, ongolius , Cuſpinianus, Volaterranus , Saloletus, Bembus & alij, qui partim eruditio-ıem & hiſtoriam, partim elegantiam ſtyli, è uderibus veterum ſuſcitarunt. Omninò Ita-is redivivum poſteri Tullium debent , cùm ıactenus eſſet vel ignotus vel ſpretus. Nec in-er eos ſilendus Eraſmus, qui tametſi malè de noribus & fide meritus , tamen promovit itteras haud mediocriter ; utinam ad nor-mam religionis & morum.

Digitized by Google

Selimus. Anno Christi 1513. Selimus cum Bajazethem partem coactum abdicare se Imperio, veneno etiam sustulisset, in parricidij appendicem fratres ac nepotes interficit; statímque ad delendam infamiam movit in Persas; capítque Taurisium, Ismaële in fugam acto tum Syriam & Ægyptum, Sultanis victis Imperio Turcico adjungit, expugnatis validissimis urbibus Damasco & Cairo; ac 7. anno obiit siccâ morte, relicto filio. Ita in pœnis criminum connivet aliquando Deus; & judicaturus alibi, hic quiescit.

Lutherus. Sed graviorem hostem Martinum Lutherum sensit Ecclesia; qui cùm jam abjecto Monacho præluisset in Hæresiarcham; tandem anno 1520. á Leone Pontifice anathemate ictus, propagatâ per Germaniam lue, Boreales gentes deinceps infecit; homo inquinatissimus; ventris mancipium, effrontis audaciæ, & ipsius Dæmonis convictor. Vix ulla pestis tanto mortalium damno grassata est, quæ per tot funera etiamnum sævit vertente sæculo, & animorum luctuoso contagio, ni avertat Deus, ibit ad posteros. Hujus Hydræ subnascentia capita, Melanchthon, Zuinglius. Oecolampadius, aliíque; qui mutuò dissentientes, in hoc consenserunt ut Ecclesiam Christi everterent; sed in horum ruinis altiùs surget.

Theatini. Imò illi nova subsidia in prodeuntes hostes adnata sunt, nam 1. Theatini, Clericorum Regularium ordo, anno Christi 1524. Petro Caraffa instituente, qui deinde Pontifex

Paulus

ulus quartus, armarunt Eccleſiam virtu-
cultu, & in Italia pietatis caſtra erexerunt.
Ibidem etiam ſequentibus annis inter
ıncisſcanos nati ad ſtuporem ſeculi Capu- *Capucini.*
ıi; qui dum Lutherus ad ſaginam corporis
tus incumberet; propemodùm nudi, non
ſtibus modò ſed corpore, repellunt hoſtes
ıcaciſſimo telo, vivendi exemplo; tantâ
ɔpiâ, ut præter cœlum quod ſperant, nihil
ɔprium habeant in elementis.

:odem tempore naſcebatur Societas JESU *Societas*
ıcita à Paulo III. anno 1540. eo incremen- *Jeſu.*
rerúmque ſucceſſu, quem utérque orbis
ſpexit, Autor Ignatius Loyola, qui per ti-
cinium patientiæ ad ſanctitatem miram
ectus, prudentiæ & humilitatis ſpecimen
it: cujus miraculum ingens Xaverius, ſe-
ıenti anno in Indiam miſſus; qui terrarum
actus & ınarium immenſos obiens, myria-
bus hominum Chriſto conſignatis, eíque
ɔertâ primùm Japoniâ, in Sinarum aditu
ptus eſt febri; cùm ejus ignibus minor eſſet
:bis, quærendúmque eſſet in ipſo fonte in-
ndij pabulum.

Anno Chriſti 1500. Henricus VIII. Septi- *Henricus*
ıi filius Angliam regendam ad 38. annos ſuſ- *VIII.*
:pit; egregiam juventutem turpi ſenectute *Angliæ*
ɔmmaculans; adeò vita hominis tametſi *R.*
reviſſima longa eſt virtuti. Cum Catharina
ɔnjuge Caroli quinti matertera 20. annos
git tranquillos, ſuſceptâ Maria non pror-
ıs ſteriles; in Lutherum Diadematus
\thleta propugnaverat. Eccleſiam ſcriptis,

fidémque defenderat, non operâ ut cæteri Principum alienâ, ſed ſuâ, hoc eſt fœtu ingenij. Potuit tamen quam dilexerat conjugem odiſſe, & quam defenderat Chriſti Eccleſiam impugnaſſe, eâ animi pertinaciâ, ut poſt repudium Catharinæ, ſextam conjugem duxerit, & novo portento ſe Eccleſiæ caput edixerit. infauſto tamen utrínque exitu; nam & corpore, cui ſe pro capite ingerebat, abſciſſus eſt, anno Chriſti 1534. & uxores adulteras plures paſſus eſt (niſi primus ipſe adulteras fecit) Annam Boleniam amores inſanos coactus ipſe ferro percutere; ut initium criminum & pœnarum eſſet, amore & odio calamitoſum Regem dilaniantibus. Antea tamen Thomas Morus cecidit, Eccleſiæ victima illuſtris, licet vittis & infulis carens, politiori doctrinâ & eruditis ſalibus notus, at notiſſimus amore fidei; comes additus Præſul Roffenſis, aliíque, quibus monſtroſum illud Eccleſiæ caput horrorem moverat.

Franciſcus I. Anno Chriſti 1515. Franciſcus Valeſius, ætatis 22. ad annos 32. admovetur Gallico regno; ſpem ingentem fortunâ variâ alens & decoquens. Mediolanum gloriæ & infortunij meta, ad Marignanum fuſis Helvetiis, ſtatim receptum eſt; aliæque urbes adjectæ. Sed in fatis erat, ne Galli unquam ſine æmulo agerent; deſinentibus Anglis, inſurgunt Hiſpani; & vel à Franciſco provocati, vel à Carolo ſuo incitati, commovent bellum, quod tunc quidem poſt annos 38. ægrè deſæviit; deinde

einde poſt intervalla modica ſuſcitatum ad
oc noſtrum ævum ſcintillam immiſit. Quid
n cicatricem ferrum infigimus? Mediola-
ium iterum perditum, Carolus Borbonius
x propugnatore hoſtis acerrimus, Andreas
Doria, Genuenſibus raptis in defectionem
el libertatem triremibus 40. Carolum au-
gens, Sfortiæ fratres Mediolanenſibus red-
liti, aç poſt eorum obitum Carolus ſibi
it Feudi-Domino Ducatum adjudicans, ip-
e Franciſcus ad Ticinum captus anno 1525.
ic Madritum ductus navibus ſuis, luctuoſum
le Gallia victa trophæum; ipſa Gallia ſæ-
pius infenſiſſimis exercitibus obruta; teſtan-
tur invictam eſſe, quæ his victa non ſit; nec
le inconſtantia poſtulandam, quæ conſtan-
ter hanc calamitatum ſeriem tulit.

Nec Franciſco laus omnis deterenda, qui tametſi abuſus proſperis, ſub initia æmulum contemptu auxerit; & pacem voluptatibus ac temeritate bellum corrumpēs, multa pec-caverit, quorum & ipſe ſupplicium fuit; ta-men in adverſis fortis, eum ſe Madriti, quem Pariſiis geſſit, & palmas infractas, & Delphi-num raptum ex ulnis Gloriæ tribuenti Deo reſtituit; nec inter tot turbas diſtractus ani-mo, ubique Franciſcum vel præſentiâ vel curâ referens; ſpe duntaxat infelix qui patri-monium Regum poſt tantas clades, à tam forti hoſte reliquerit integrum. Et in laudis partem litteræ ſubeunt; quæ Franciſci men-te & regno exceptæ, ſedem tam altè in lucu-lentis fixerunt ingeniis, ut per honorem belli

transmissæ ad posteros, nunc efflorescant amœnius, quò cultæ diligentiùs; nec originem spernant tanta incrementa. At in Franciſco nefas preteriisse Ronsardum; sanè Franciſci gratiâ provectum ingenium longè uberrimum Parnassi lauros omnes consumpsit, & felici copiâ Poëtas singulos exscripsit & vicit. Utinam ad excultissimam hanc ætatem tam sublimis indoles perveniſſet; Poëtam nemo vel optaret vel præstolaretur.

Ronsardus.

Carolus V.

Anno Chr. 1519. Carolus Maximiliani ex Philippo nepos electus est Imperator, jam per avi materni obitum Hiſpaniæ, Neapolis & Siciliæ Rex, hæreditate paternâ Belgij Dominus, nunc ab paterno avo Imperator; ita florentiſſimâ ætate ad tot evectus Imperia, fortunæ ſuæ non defuit. Per Europam omnem bellum geſſit, & triumphum egit; Hiſpaniam ſuam tumultuãtem compeſcuit, Belgas rebellantes in ordinem coëgit; in Italia Mediolanenſem Ducatum primò fœderatis, pòſt ſibi aſſeruit; Pontificem, Florentinos, Senenſes, Genuenſes, vel erexit ſocios, vel hoſtes afflixit; in Germania Solimanum Viennâ depulit, Proceres acie victos ſub jugum miſit; Et quaſi Europa tot victoriis anguſtior foret, transmiſſus in Africã, barbaris gentibus Regem dedit; arcémque poſuit ubi ante nec licebat ſtare. Sed quid hæc bella ad Gallicum? nam Carolus ſive Monarchiam Europæ complexus animo, ſive æmulationis impetu actus, nihil omiſit quò vel Galliam interjungentem ditiones ſuas, vel Franciſ-

cum

cum rivalem gloriæ, tot triumphis adjungeret. Et hinc forſitan nævi, quibuſcum poſteritati ſe tradidit, dum Turcis & hæreticis aliquandiu parcit, ut ſpontaneum hoſtem obrueret. Nam dicitur uſus inclementiùs Ticinenſi victoriâ, Romam conceſſiſſe diripiendam, Clementem Pontificem concluſiſſe, Lutheri hæreſim ſuo interim ſinu aluiſſe; Peruvium & Mexicum novi orbis terras à Pizarro Fernandi Corteſij præclariſſimas fœdante victorias, vel ignoraſſe diripi, vel diſſimulaſſe, utrínque pari culpâ. Sed quis mortalium ſine labe? & quid hæc levia, ad res tantas, quibus coronam ſe dignam impoſuit; cùm anno Chriſti 1555. Imperij XXXVI. vivus & vegetus ſe hæredibus tradidit; donúmque conceſſit ab omni memoria locupletiſſimum, Ferdinando fratri Imperium, ac regna cætera Philippo filio; ſibi ex tanta potentia unum equulum, in quo ambularet reliquum faciens: quo facinore inclamat poſteris ad ultimum ævum; Mortales diſcite, quanti Mundus ſit. In Hiſpano ſeceſſu duobus annis ſibi ſuperfuit, imò ſibi vixit, ſi vitâ mortis commentatio eſt.

Sub eo duo Ducatus in Italia nati, Florentinus & Parmenſis. Florentinus Alexandro Mediceo obtigit; qui Caroli gener, ejúſque partes ſequutus, dictus eſt primus Etruriæ Princeps; dein per nefas occiſus à propinquo ſuo Laurentio; anno 1539. Ducatum Florentiæ Coſmo itidem propinquo tutiorem quã ſibi reliquit. Mediceorũ familia altero ſæcu-

Florentiæ Duces.

lo jam inde à primo Coſmo Florentiæ celeberrima, & inde patens invidiæ, ſibi per exilia, bella & clades quibus jactata eſt, in cives tandem dominatum peperit. Nec pœnituit regiminis poſteros, quos ſecuriùs adminiſtravit unus quàm plures. Huic Catharinā & Mariam Gallia debet, regiâ prole fecundam utrámque, & in Gallicis faſtis percelebrem.

Parmæ Duces. Parmenſis Ducatus ſurrexit lentiùs, inter Paulum III. è Farneſiana familia, & Carolum Imperatorem. Cujus Dinaſtiæ idem propè fons qui Florentinæ, Margarita Caroli filia, Medicei vidua, Octavio Farneſio Pauli nepoti nupta; quæ tunc ad maritum titulum detulit, mox ſub Philippo rem ipſam, Parmæ & Placentiæ arcibus conceſſis; quaſi Margarita Ducatus pareret, quæ vel ſterilis Florentinum pepererat. Et quidem Octavio Alexandrum peperit; unde Carolo tot triumphis pleno gloria nova compararetur.

Solimannus. Anno Chr. 1520. Solimannus Selimi filius Turcarum Imperium ad annos 47. obtinet. Summus Princeps, & ſi fidem excipias, Chriſtianorum paucis inferior. Et ex noſtris damnis incrementum cepit; ſuſceptis in Hungariam expeditionibus variis, & maximâ ejus parte ad ſe diſtractâ. Id teſtantur Belgradum, Peſtum, Buda, Strigonia, Alba Regalis, & aliæ urbes expugnatæ; teſtatur Ludovicus Hungariæ Rex, ætatis anno 21. ingenti clade victus & cæſus; id etiam Rhodus anno 1522. poſt octo menſium expugnationem deditione receptâ. Nec à Perſis ceſſavit, palmis noſtris clarus, quos expeditione geminâ fudit.

fugavítque, capta Tauriſio. Attamen tantæ gloriæ ut cæteris principum obex objectus. Nam ad Viennam impegit, Philippo Palatino ſtrenuè propugnante; Et Melita, quam Rhodo dejecti Equites tenuerant, ſcopulus potius quàm Inſula, ann. 1565. verè Othomanicæ laureæ ſcopulus fuit: decem menſibus continuis omni vi & arte à Turcis, tentata, tandem Valetæ magiſtri Equitúmque fortitudine liberata; ut qui juvenis Rhodum expugnarat, jam veteranus Melitâ excideret. Porrò ipſi gravior ex parricidio labes; cùm Muſtapham filium victoriis Perſicis nobilem, novercâ privigni gloriæ infensâ, innoxium ejúſque liberos ſuſtulit; Ziangire altero filio morte ſpontaneâ ſævitiam patris infimulante. Ita Solimannus muliebris furoris trophæum, tam præclaras dotes fato Heroum, quòd uxorius eſſet, maculavit. Obiit in caſtris in Sigeti urbis Hungaricæ oppugnatione; ex Veſpaſiani dicto verus Imperator, qui ſtans moreretur.

Anno Chriſti 1546. Inceptum eſt Tridenti Concilium XVIII. & hactenus ultimum Generale; quod protractum diutiùs, translatum Mantuam, iterúmque Tridento redditum, per varios Pontifices, tandem abſolutum eſt anno 1563. ſub Pio IV. plenum graviſſimis ſanctiſſimíſque decretis, ac illuſtris Orthodoxæ fidei regula. *Concilium Tridentinum.*

Anno Chriſti 1547. Henricus II. natus annos octo ſupra viginti, Franciſco Patri in regni tam adminiſtrationem quàm propugna- *Henricus II. Galliæ Rex.*

tionem ſuccedit; nam Caroli deſinentis extremum impetum, & incipientis Philippi primum fortiter retudit, & illi Metis columnas fixit, propugnante Guiſio, & Cæſarianorum 30. millia abſumente; & hunc quantumvis Sanquintini & Gravelingæ cladibus exultantem, revocato eodem ab Inſubribus *Guiſio*, per quem Caletum ab Anglis poſt annos 210. receptum eſt, ad pacem compulit; quæ ſcripta Cameraci anno 1559. poſt Europæ damna graviſſima, Gallis & Hiſpanis apertâ vi interdixit, animorum pugnâ non potuit; Pedemontium Emanueli Philiberto reſtitutum, & in appendicem data uxor Henrici ſoror Margarita, ſimúlque ejuſdem Henrici filia Eliſabeta Philippo nupta; ut diverſæ gentes in Principum thalamis convenirent. Sed in Ludorum prompâ, Henricus Pariſiis, in certamine ludicro, à Mongomerio lanceæ fragmento læſus, magnâ ſuorum jacturâ moritur, anno regni 13. Pax nihilo ſecius obſervata, datúmque Gallis lugere Principem, tam bello fortem, quàm ſinceræ fidei amantem; qui nihil non moverat, ut hæreſim naſcentem proculcaret in ſemine.

Maria Angla. Anno Chriſti 1553. Anglis Phoſporus diuturnis tenebris Maria illuxit, quæ Eduardo fratri ſuccedens, maternam verámque Catharinæ fidem revexit in Angliam. Inſula magnam partem per Polum Cardinalem Eccleſiæ reſtituta, & Maria Philippo Caroli filio nupta; brevi tam conjugum quàm Anglorum uſu; nam quinto poſt anno conjugem

gem viduum, orphanósque ſubditos reliquit moriens; tam virtutibus ſuis chara, quam vitiis ſuccedentis.

Anno Chriſti 1556. Joannes Calvinus Noviodunenſis Canonicus, quaſi poſt Lutherum non affatim eſſet peſtis Europæ, novam invexit luem, ſeu Chimæram, ex priſcis hæreſibus conformatam; vir ſubtilis ingenij, larvam virtutis obtendens vitiis, Gallos inter novorum cupidos, tantum brevi excitavit incendium, ut eo mox conflagraverit Gallia. Dum ipſe Genevam ſecedens, quaſi novus Nero ardentem patriam ſpeculabatur, octavo poſt anno accerbiſſimis doloribus ibidem extinctus eſt, inter animi morſus & corporis morbos diſcerptus. Beza dignus magiſtro diſcipulus relictus eſt, per quem non liceret inſipientibus ſapere. *Calvinus.*

Anno Chr. 1558. Eliſabetha olim Henrico ex Anna Boleniâ nata, ad Anglicum regnum promota eſt; quod tenuit annos 45. nimium, ad Catholicæ rei perniciem, quam vi & artibus toto illo tempore afflixit. Mulier tam regni capax quàm avida, cui ſoli ut nuberet, nuptias Principum repudiavit; gnara malè dominari aliis quæ marito ſerviat. *Eliſabetha Angliæ.*

Anno 1560. Erupit Amboſiena conſpiratio Renaudio duce, in Frãciſcum II. & familiam regiam; origo, factiones Principum, dum Condæus & Caſtilionæi fratres, Guiſios in aula dominantes non ferunt; inſtrumẽtum, Calviniſtæ religionis ſpecie ad omne nefas accincti. Tunc quidem oppreſſi magnã partem *Gallicum Bellum civile.*

tem rei, & Principi mors imminebat; cùm repentino morbo raptus Franciſcus, Carolum fratrem in prædam reliquit. Hinc exorta bella civilia, quæ 40. annos ſævierunt, nunc ab Hæreticis, mox à Catholicis retexenda, quibus mirum eſt Galliam jam exhauſtam bello Hiſpanico ſuffeciſſe, cùm Poëta libet exclamare. Heu! quantùm potuit terræ pelagíque parari, Hoc quem civiles hauſerunt ſanguine dextræ.

Druydēſis pugna. Anno Chriſti 1562. Cùm ad Rothomagum Antonius Navarræ occubuiſſet, pugna inter partes in Druydum campis conſerta eſt; in qua hinc Mōmorantio capto, inde Condæo, victoria tandem Guiſij fuit, quaſi pœniteret ſequutam hæreticos. Sequenti anno Aureliā obſedit Guiſius, ad quam à Poltroto Sicario occiſus, pacem quidem peperit, ſed incertam, quam vivus longiore bello conſtabiliſſet.

Belgici Ordines. Anno Chriſti 1566. Ne ſolam Galliam jactaret hæreſis, novas in Belgio commovet turbas; non ſtatim aperta, ſed libertatis ſpecie graſſans. Hinc Gueuſij ſub nomenclatura vili nobiles viri; hinc Margarita Parmenſis maſcularum etiam virtutum mulier conturbata; hinc Granvellanus qui comprimeret furentes amotus; hinc demùm Albanus ut malum inſtar ferri reſcinderet miſſus; ſed qui cæca mortalium Sapientiâ dum corruptum membrum altiùs ſecat, detruncavit corpus quod curaret. Nam in Egmondi palmarum illuſtrium Ducis & Hornæi morte, ſic Belgarum animos acerbavit, ut inflammante

Arauſio

Atauſio jam nutantis ac perditæ poſtea religionis; Provinciarum ſequuta ſit illa ſeceſſio, quæ fœderatos Ordines peperit; illuſtriſſimã poſtea in Europa Rempublicam, & à terræ angulo mari dominantem. Ita ſeveritas ſuperbiâ comite, audaciam parit non pœnitentiam; & male per contẽptum reus emẽdatur.

Anno ſequenti, Gallia rurſus incendio flagrat, Carolus ad Meldas Helvetiorum ope Condæo eripitur; conſeritur pugna ad Sandionyſium, in quâ victoriâ partâ Mommorantius quaſi Gallicus Epaminondas ex vulneribus moritur; præclariſſimus bello, ſed infelix; adeo quiddam eſt, quod à conſiliis eventus disjungit. At Henricus Regis frater longè felicior; qui anno 1569. geminata victoriâ res Hæreticorum penè concidit. Prima Jarnacenſis apud Santones, in qua partium Dux Condæus cæſus, dignus meliore exitu, ſi ſe ad meliorem cauſam applicuiſſet; altera Monconturiana in Pictonibus; quâ in Vaſconiã ablegati Hæretici, civiliſque furor ad tempus oppreſſus. Interea Scotia eâdem lue miſerè deformata, Mariâ Reginâ actâ in carcerem, luctuosâ pace fruebatur, incolis paſſim in Calvini ſectam ruentibus. Ita hoc ſeculum magnorum Principum fuit, & malorum.

Anno Chriſti 1570. Selimus ſecundus Solimanni filius Cyprum inſulam Venetis eripit, enituit maximè Bragadini virtus in utráque fortitudine, tum agens tum patiens; pluríſque eſt tanti viri laus quàm Cyprus perdita. *Cyprus Turcica.*

Et

Et imminebat Turca Italiæ; niſi anno ſequenti illuſtri ad Neupactum victoriâ repulſus eſſet (in fœdus Pius V. Hiſpani & Veneti convenerant) captæ triremes Turcicæ 180. depreſſæ & incenſæ multæ, cæſa hoſtium 25. millia; captivorum recepta 20. millia. Feliciſſimum prælium, cujus exitum Deiparæ Virgini adſcripſit Pius & ipſe ad illum Sanctitatc vitæ emolumentum maximum. Nec Joanni Auſtriaco ductori claſſis laus detrahenda, præclariſſimo juveni; & ex Caroli Patris indole bella flagrāti. Hic cùm poſtea Tunetū Regi legitimo reſtituiſſet, in Belgio lento morbo obiit in magnarū rerum exordiis.

Henrici cæſi.

Anno Chriſti 1572. In nuptiis Henrici Regis Navarræ & Margaritæ Valeſiæ, vulnus antiquum Guiſianæ cædis in Chaſtilionium cæterósque Calviniſtas recruduit; ipſe admirabiliùs cum plurimis Lutetiæ cæſus, tantorum motuum pœnas dedit; & in aliis urbibus trucidati non pauci; facinore quod judicij apud mortales ancipitis, Deum unum habet diſceptatorem.

Henricus III. Galliæ Rex.

Anno Chriſti 1574. Henricus Dux Andegavenſis Rupellam obſidens, jam inde arcem rebellionis, in Poloniæ Regem ambitur, præclaro palmarum in Hæreticos emolumento, ut nato Regnis regna naſcerentur. Sed eo diu frui non libuit, cùm ſequenti anno è vivis Carolus frater exceſſiſſet. Hinc pugna in Principis mente eximia, adoptivi regni & nativi; amor patriæ nutantem impulit, & quærenda Gallia jam inventam Poloniam

lóniam vicit; clam itáque profugit Henricus, & quasi patraret flagitium amanti regno sese eripuit. Repudiatum sceptrum Stephanus Báttorius duxit, quâ celeritate fugiebat Henricus advolans: ita cæcutimus mortales; dum hujus odium, amor est illius.

Anno Christi 1578. Sebastianus Lusitaniæ Rex diuturnum luctum suis indixit; in Africa 24. annorum juvenis, cum flore regni pugnans occisus est; infausto belli tirocinio, nisi quod Zelo fidei ad arma profectus, emendavit exitum causâ. In Henrico patruo ætatis jam decrepitæ regnum aliquandiu hæsit; donec eo mortuo Philippus Hispaniæ Rex per Albanum Ducem nondum suæ gratiæ redditum, anno altero id sibi asservit; pulso notho Antonio; ita multis post annis universa Hispania in unum caput coaluit, sed dissentientum gentium nullum est vinculum; & malè necessitas discordes animos nectit. *Sebastianus Lusitaniæ Rex.*

Iis temporibus Campianus, Briantus, Paynus & alij, in Anglia diris excruciati tormentis pro Catholica fide mortem subierunt; cum majestatis Divinæ cultus, humanæ læsæ crimen esset, supplicio quolibet vindicandum. At quale monstrum, ut femina caput Ecclesiæ diceretur; & quæ per leges suæ tutelæ vix esse potest, in virorum animos dominaretur. *Martyres Anglí.*

Anno Christi 1582. sub Gregorio XIII. promulgata est emendatio Calendarij, qua decem dies ex Octobri mense decisi; veteri error[illegible] *Calendarium emendatum.*

errore correcto & in posterum cauto. Quis non hic rideat hæreticorum stultitiam; quibus aberrare potius fuit; quàm sentire cum Pontifice. Et verò in doctrina cœli quantùm aberrant?

Teresia. Eodem anno Teresia virgo Hispana, ætatis 70. humano carcere, hoc est corpore soluta, pati & mori desiit; quando ipsi hæc vita præ ardore alterius mori fuit; & assiduæ patientiæ Schola. Instauravit Carmelitarum Ordinem, & ad eam vitæ asperitatem evexit, quæ simul animum & corpus frangendo, totum hominem cœlo & versantem in terris inferat.

Alexander Parmensis. Anno Christi 1585. Alexander Parmensis cinctam obsidione celeberrimâ Antuerpiam expugnat; post alia præclarissima in Belgio gesta; de quibus dicere post scriptorem Stradam sit temeritas. Sanè hæret animus; uter plura alteri debeat Princeps scriptori, an scriptor Principi; cùm hic materiam, ille formam dederit immortalitatis. Superiori anno Arausius fœderatorum Ordinum caput sclopeto ictus expiraverat; & quantumvis Mauritio filio annorum 18. substituto, excitata spes esset; tamen ab Alexandro debellatum foret; nisi expeditiones Anglicæ & Gallicæ, aurum Iberiæ & Imperatoris curas distraxissent; ac tandem infregisset ejusdem obitus; qui contigit anno 1592. & Alexandrum Christianum non inter pocula, ut illum Macedonem, sed inter preces & Sacramenta nostra confecit.

Anno

Anno Chriſti 1585. Perhonorifica & inaudita legatio ab ultima Japonia Pontificem Gregorium XIII. conſalutavit; ut cum Hæretici ingrati filij Patrem ejurarent, à cunabulis Solis novi adnaſcerentur. Iis auditis obiit de Chriſtiana Republica meritiſſimus ſenex, ſeminariis pluribus ad externarum gentium bonum erectis; in quibus adoleſcentes Chriſtianis moribus imbuerentur. Tunc verè Roma populorum mater, quæ ſanctitatis præberet ubera, poſtea in terras ſingulas refundendæ. *Gregorius XIII.*

Eodem anno contractum eſt inter Principes Catholicos in Gallia, promovente Guiſio, fœdus, quod Liguam dixerunt, religionis vel prætextu, vel causâ; quo motus civiles majore incendio conflagrabunt, & Monarchia Gallica tantùm non ſolvetur. Sed Dei eſt humana conſilia ſuo exitu claudere; qui per hæc bella Henricum Magnum Eccleſiæ dedit. Jam nihil querimur; hac mercede placent quæ luximus. *Gallica Ligua.*

Anno Chriſti 1587. Maria Scotiæ Regina, imò & Angliæ, ſi jus ſpectes, ab Eliſabetha cognata poſt 20. propè annorum carcerem, capite plexa eſt crimen, quod de libertate Orthodoxa mulier cogitaſſet. Quam tandem morte adepta eſt, perpetuâ calamitatum ſerie vitam texens; adeò & in thronos adrepunt miſeriæ. Sed calamitoſior Eliſabetha quæ Diadema intingens puriſſimo ſanguine, tantò infelicior, quò in ſpeciem felicior divinam ultionem morâ exaggerat. *Maria Stuarta.*

Anno

Hiſpanica claſſis. Anno Chriſti 1588. Eadem Eliſabetæ felicitate ingens illa Hiſpaniæ claſſis, Angliam conſumptura, tanto labore & ſumptu parata triennio, nullo fructu, minimáque hoſtium operâ disjecta eſt. Conſtabat militaribus navibus 130. vehebat veteranorum militum vicies mille, nihil ut vinceret præter Ducem deerat; cujus defectu, & Draci Angli audaciâ, quam tempeſtas exorta promovit, terror ille Europæ evanuit, víxque membra tam vaſti corporis tenuerunt Hiſpaniam. Ite nunc Reges, & conſiliorum mole Numen æquate.

Henricus III. Eodem anno in Bleſenſibus comitiis, Guiſij fratres Henrici Regis juſſu perimuntur, quaſi reſtinguendo igne in fomite; ſed inde luculentiùs exardeſcente, & Maynio cæſorum fratre oleum flammæ injiciente, docetur ancipitis remedij quis ſit uſus. Prorſus anno ſequenti luctuoſiſſimus fuit; cùm ipſe Henricus, Catholicæ fidei cultor eximius, quaſi hæreticus, ab impiiſſimo parricidâ cultro confoditur, in obſidenda Lutetiâ; quâ olim per ſummam ignominiam pulſus, jam excipi victor non fruſtra ſperabat. Princeps omni laude quæ in regem cadit ornatus; pietate, eloquentiâ, liberalitate, corporis formâ, & magnitudine animi, clarus in paucis; hoc uno infelix, quod factionem adverſam vel lentiùs caverit, vel violentiùs ſolverit.

Henricus Magnus. Anno Chriſti 1593. Henricus IV. Orthodoxam fidem in S. Dionyſij profeſſus, hac

unâ

unâ victoriâ, Curtraſiam, Juriacam, Diepenſem, & alias ita cumulavit, ut ſubditorum animis victis, fœderis nexus quaſi Gordium nodum ſemel abrumpens, hæreſis nube amotâ ſplendidiſſimus Sol Francis illuxerit. Et tametſi mox novo bello in Hiſpanum implicitus, aliquot mulctatus vrbibus, adverſa belli expertus ſit; tamen adeò tremendus hoſti eſt viſus, ut de pace appellatus receperit perdita; reſtituente Hiſpano, ne raperentur; nihílque acceptius legavit hæredi Philippus moriens; quam pacem cum Franco. Ea eſt Vervienſis, pax contracta an. 1598. & ad noſtra tempora appellata toties, & cupita.

Fuítque is annus decretorius Philippo II. ætatis 72. quo regnandi peritiſſimus Princeps deſiit vivere: Cunctator eximius, qui temeritate nunquam peccavit: ab Eſcuriali quaſi è machina agens univerſum propemodùm orbem, & quidem animus tantæ molis capax, at fortè ambiens plura quàm ceperit, dum Galliam patris inſtar, ſed diverſa arte tentavit. Pietate & zelo in fidem laudandus in paucis; quem dixeris impendiſſe curas magnitudini Divinæ & ſuæ. *Philippus II.*

LILIA

AREOLA XVI.

Ab Henrico Magno ad hunc annum.

Sibi hanc Areolam ſeponit Francia, & conſignat Liliis: ſive fœderata rebellione perdomita, ſive hæretica perduellione compreſſa, ſive hoſte externo ad pacem adacto. Et Henricus magnus lilia evolvit ſpinis, quibus premebatur; Ludovicus filius in altitudinem celſam evexit, Nepos circuncluſit pace atque munivit, faxit Deus, ut hæc perennis ſit.

Jubilæus. ANNUS noſtri hujus ſeculi primus, hoc eſt poſt milleſimum ſexcenteſimus Chriſtianis Jubilæus fuit. Et felix à Pietate & alumnâ pictatis Pace auſpicium,

cium, niſi pia primordia ſtatim mortalium ſtudia corrupiſſent. Clemens Octavus, dignus qui ſeculũ inauguraret, omnia religioni poſthabuit; tam liberalitate & ſanctimonia, quàm dignitate Pontifex ſummus: Orbe demirante fortunam, & fortunæ locupletiſſimum inſtrumentum, in virtutũ ſcholam tranſiviſſe. *Clemens VIII.*

At Pietati obſtrepunt arma Mauritius Batavo palmarum plurimarum Imperator, ut Alberto Belgarum Principi innoteſceret, Neuportum obſidet. Hinc pugna conſeritur, quâ victus Albertus, & quidem ſaucius; ſanè victoriam meruerat & delibaverat, primis Batavorum legionibus cæſis; ſed pugnabant feſſi in integros; & Mauritius deſperatione ſuos armaverat, à claſſe abductos longiùs; ut abſciſſa ſpe fugæ, porrò ad victoriam pergerent. *Pugna ad Neuportum.*

Eodem Anno bellum Allobrogicum inſtar incendij compreſſi diutiùs tandem erupit. Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, in hujus ſeculi ſcena frequens Actor, pugnabat ne Salucias reſtitueret, quas per inteſtina Franciæ mala interceperat, ſuóque trunco reſtituerat an avulſerat: pugnabat Henricus, vt avulſum membrum coaleſceret corpori, & redderetur Monarchiæ ſua integritas. Et Sabaudiâ cum Sebuſianis jam occupatâ, intutæ erant ſuo Principi Alpes; cùm Clementis Põtificis curâ, & Aldobrãdini Cardinalis induſtriâ, pax compoſita eſt; magno utriúſque Principum lucro vel jacturâ. Nam Sabaudo totis Sebuſianis ſteterunt Saluciæ; *Allobrogum bellum.*

Henrico

Henrico viâ in Italiam clausâ, multò terræ compendio; æstimantibus Italis, Francum mercatorem, Sabaudum Principem.

Maria Medicæa.

Et Marti Francico in armorum strepitu, sua Venus sed castissima nupsit. Ea Maria è Medicæorum stirpe, jam in Catharina Reges germinante; Quæ novo connubio eóque felici, & vetus solvit cum Margareta Valesia inauspicatum & fœcundâ prole stabilivit Imperium; nam stant malè regna, quæ trunco sterili fulciuntur, & per liberos plurimùm majestas Regibus sarta & tecta est.

Ludovicus 13.

Primus Mariæ fœtus Ludovicus, postea decimus tertius, primo seculi anno in lucem editus, magnus ejusdem splendor & nomen. Sequentibus Gasto & Virgines, in sceptra genitæ; factáque Henrico spes, gestis & liberis propagandi in ætates ultimas nominis.

Jacobus Scotus petitus insidiis.

Jacobo Scotiæ Regi pax foris fuit domi insidiæ. Is spe Thesauri à Comitibus Gourienſibus in castrum deductus est, diu solus pugnavit in geminos, morte à parricidis in aurum oblata. Victum tandem scelus, Réxque incolumis; Cautelâ imposterum magnâ, quid optandum Regibus, cui fidendum.

Zamoyscius Polonus.

Nec Polonis annus incruentus fuit. A Zamoyscio Cãcellario vindicata Moldavia, pulsúsque in Valachiam suam Michaël, jam Poloniæ imminens, mirùm, saxaginta hominum millia, Tyra amne tecta atque aggeribus à pauciſſimis profligata; & mirabiliùs

tot inter victos mille admodum cæsos. Nec semper sanguine palmæ irrigantur;& sæpius pavor potentissimum telum vincentium est.

Improspera Rodolpho Imperatori Hungaria; Canisia validissima arx à Paradisio Duce Ibraimo Vesiro dedita. Eam propugnabat acerrimè, expugnantibus centum Turcarum millibus (nec par tanto numero deerat animus) & Mercurius evocatus è Francia futurus auxilio advolabat : sed is prælio pulsus, nam victum negat receptus tutior , & ille vi, tum domesticâ , tum externâ , tandem expugnatus ; tradiderunt arcem , commeatus & nitrati pulveris inopem. Attamen Paradisio virtus frustra fuit; Viennæ, truncata dexterâ, capite plexus est , & oblitterata primordia, impuratus exitus. Adeò finis præpollet in omnibus; misera Ducum sorte , quibus infortunium sæpe in culpam est. *Canisia capta.*

Anno 1. post inceptum seculum, Mercurius Albam regalem vi capit (eam sequenti anno Turcæ recuperant) & ne quid gloriæ deforet , à Turcis advolantibus ad pugnam adactus , cum decem millibus quinquaginta millia vincit ac fugat , cæso Nikai Bassa in prima acie, mox in patriam rediens , Norinbergæ obiit , in apice famæ & gloriæ. Non eadem sors Ferdinandi Archiducis , qui magnis viribus aggressus Canisiam ; vel suorum morbis vel fortunâ suâ an imperitiâ, recipere se coactus, salutem suam triumpho adscripsit ; tantum præstat ad momentum belli Imperator *Mercurij Facinora.*

In

Zamoiſcius in Suecium.

In Polonia Sigiſmundus in Carolum patruum tandem exſurgit. Uſurpaverat is Sueciæ regnum, armíſque propugnabat injuriam. Ejus vindicandæ Zamoiſcio munus impoſitum, obitúmque fortiter, delato in Livoniam bello; pulſus à Riga Carolus, expugnata Volmaria; dabátque pœnas ſceleris Carolus, ſi Zamoiſcio ad perſequendum tam fuiſſent vires, quàm erat animus. Sed Sigiſmundo id antiquum fuit, ut fructum victoriæ in victoria ipſa reponeret.

Oſtenda obſeſſa.

In Belgio Albertus viſcerum vomicam purgaturus, Oſtendam obſidet; hoc eſt piſcatorum tuguria, ſed Batavorum curis ſic munita, ut vim excluderent. Hæc ſcena honoris an contumaciæ; utráque gente ad eam triennio depugnante, & faciente jacturam, quâ regna emiſſent,

Eſſexius cæſus.

Anglia interim fragilitatis humânæ exemplum edidit. Robertus Comes Eſſexius, reportatâ de Tyronio Hiberno victoriâ, Eliſabethæ gratiâ momento excidit; an æmulorum arte, an ſatietate fortunæ; an Reginæ arbitrio, poteſtatem evertendo ut attollendo metientis; an rei crimine; proſperitate partus ſuos plerúmque necante. Sanè Eſſexius truncatus capite quod Turri Londinenſi affixum, diu ſpectaculum Reginæ præbuit; tam gratum tunc quàm olim fuerat. Ite mortales, & placete vobis amore fæminæ.

Bironij mors.

Anno 2. Non abſimile exemplum præbuit Francia. Ferro publico caput demeſſum Bironio: is fortitudinem & præclara in Regem faci-

Digitized by Google

facinora uno in eundem ſcelere extinxerat; ſuperbia & ambitione eò raptus, ut obſequium probro, beneficia Principis avaritiæ duceret; in quem dum conjurat, retibus quæ parabat implicitus, ſervatam tot periculis animam dedit carnifici.

Geneva præſenti excidio liberata, captivos nobiles necavit ſuſpendio. Sabaudiæ Dux capiebat incautam, & miles intra mœnia graſſans ſæviebat. Captam inter & ſervatam urbem diſcrimen quàm leve! Sabaudi muris quos diripiebant concluſi excluſis ſociis dedere pœnas, an temeritatis, an infortunij. *Geneva liberata.*

Anno 3 Societas Jeſu in Franciam poſt liminio redditur. Illuxit Henrico Principi optimo innocentia, quodque peccatum nimio aliarum ſtudio erat, juſtitiâ ſuâ emendavit. Everſum ignominiæ trophæum, fama reſtituta; Cotonúſque unus é ſociis in intimum Regis pectus admiſſus, fremente invidiâ tandiu placuit, quandiu vixit. *Ieſuitæ in Franciam*

Eliſabeta in Anglia anno poſt ſeptuageſimum primo vitam finit. Mulier ſceptro nata, ſi pietate temperaſſet imperium; par tam bello ferendo quàm paci: fortunæ gratiam ſtudio & ſolicitudine merita; Hiſpano tam infenſa quàm noxia; ſævitiæ in regendo propenſior; ut fœminarũ eſt, deflectente in crudelitatem mollitudine ſexus. Ea veram religionem proſtravit; nec pepercit ferro, quos Londini reos, dans Martyres cœlo. Succeſſit Jacobus Scotiæ Rex, Mariæ filius, condonatâ jam ante ſpei regni injuriâ; calamo *Eliſabetæ mors.*

Jacobus Angliæ Rex.

quàm ferro promptior. At Regem inter & virum doctum intereſt plurimùm.

Annus Quartus celeberrimam obſidionem Oſtendæ concluſit. Clarum Ambroſij Spinolæ rudimentum: Is tum primùm ad bellum admotus, quod Heroum eſt, Imperatorem in tirone format, & munimenta operibus, animum animo, vim vi expugnat. Reddita non Oſtenda, ſed ſepulcretum; in qua hominum millia (credetne poſteritas?) ferro & morbis ſupra nongentos ſeptuaginta duo abſumpta triennio. Nec plurimùm differt, in obſidentibus cæſorum numerus; magno pudore mortalium, quibus vita ſic flocci eſt, in interitum pro punctulo terræ ruentibus. At Mauritius Sclusâ Oſtendam rependit: tantò faciliùs nova quærunt homines, quàm quæſita ſervant.

Carolus Rex Sueciæ.

Eodem anno Sueciæ regnum Carolus palam uſurpat, Sigiſmundo nepote planè abdicato. Ille hæreſis partus, regna & Reges moventis ad nutum, ut graſſetur tutiùs. Sigiſmundus nimia cunctatione rem perdidit, intempeſtivus ſemper atque ſerotinus, fortunam paratam morâ corrumpens; & celeritatem belli extinguens conſiliis.

Demetrius Moſchus.

Anno 5. Tragœdiam in Moſcovia Demetrius luſit, quæ & ad ſequentes annos pertinuit; ſeu verus ſeu fictus Ducis Moſchi filius, Polonis promoventibus; evectus in ſolium, & eo, dum intemperantiùs regnat, inter effuſa nuptiarum gaudia, deturbatus præceps, cæſúſque turpiſſimè; diu jacuit calamitatis ludi-

ludibrium; adeò parare regnum, fortunæ eſt; obtinere, prudentiæ. Et ex cæſi tumulo novus exſurrexit, turbáſque miſcuit; ſed eodem fato, dolis ejuſmodi inſtar præcocium fructuum, non ferentibus tempus, & lapſu annorum evaneſcentibus.

Romæ Clemens Pontifex vitam clauſit ſanctiſſimam; magnis rebus præter privatas virtutes celebris: maximè quod Henricum & Franciam adſcripſiſſet Eccleſiæ, Romanæ ſedi Ferrariam; ſummus Princeps & Pontifex; tam adverſus homines quàm in Deũ potens. Leo undecimus delibavit imperium, ipſóque die pompæ morbo contracto, & viceſimo quinto ab Electione animam reddidit; privatus haud dubiè ultra victurus; niſi tanti ſit thiarâ ornari, & ſedere in ſolio moriturum. Ad Burgheſium Senenſem delatæ Inſulæ, qui & Paulus quintus, diuturnior vitâ, & rebus clarior. *Clemens VIII.* *Leo XI.* *Paulus V.*

In Anglia præſenti periculo Rex ſervatus, cuniculo ſubter aulam ducto; Quo ipſe cunctíque Proceres nitrato pulvere periiſſent: ſub ipſum diſcrimen delatæ inſidiæ, raptúmque Morti atrociſſimũ telum. Verùm ab eo commodo crudelitas nata; Qua ſævitum in Catholicos acerbè, & innocentes involuti ſuppliciis; Hæreſi Neroniana ſecula renovante. *In Jacobum cõjuratio.*

Anno 6. Paulum inter & Venetos exarſit civile incendium, illo jus Eccleſiaſticum vindicante, iſtis Policitum. Et totam Europam flamma rapiebat; niſi Henricus utríque pacis ſequeſter acceptus, eam compoſuiſſet, reſtincto incendio; Franciæ regum præjudicio ve- *Paulus & Veneti contendunt.*

teri, quibus tuari Ecclesiam, tam avitum est, quàm tenere regnum; & Pontifices liliis non tam ornare quam tegere. Omnia in pristinum restituta præter Jesuitas, quibus promptum obsequium Venetiis stetit.

Justus Lipsius.

Justus Lipsius in Belgio moritur, si mors immortalem famam assequitur; & monumenta æterna cõterit. Sanè Lipsius in litteratorum mente nunquam deficiet; in ipsa antiquitate, quam evolvit ruderibus, antiquissimam futuris seculis nactus memoriam.

Baronij mors.

Et sequenti anno Baronius, fax historiæ, luménque Ecclesiæ, desiit vivere; qui Dei instar immensam rerum confusámque materiam digessit in tempora, ac pulcherrimum Annalium fœtum in lumen edidit. Partum agnoscit Ecclesia, & immortalis scriptori suo memoriam debet.

duodecim annos in Batavis.

Anno 9. Pax Hispano data à Batavis; pactæ in duodecim annos induciæ; bellóque durissimo tandiu gesto, hoc unum Hispania egit, ut pacem impetret. Fœderatæ provinciæ liberæ dictæ, fuítque id fœdus magno Spinolæ Ostenda altera.

Juliacensis hæreditas.

Dux Juliacensis, quia sine hærede moritur plures habet: quos inter maximè; Brandeburgium & Neoburgium jus, lis & bellum: nam quæ Principum lis nisi armis dirimitur? Germania & Europa propemodum in partes iverunt: quos non commovit angulus terræ, quærendus alij? quàm facilè bellum enascitur, quàm ærumnosè Pax!

Sigismundo

Sigismundo Regi Poloniæ, apertæ in Moscoviam

coviam fores laureatæ. Cæso Demetrio vocatus à Moschis, dum Smolesci obsidionem urget pertinaciùs, & tardiùs petentibus Moschis Ladislaum condonat Principem, sibi & filio tantum Imperium præripit; Moschis ad nativum Ducem concedentibus. Smolenscum ampla urbs capta, & adjuncta Poloniæ, ingentis prædæ portio tenuis, & magni hodie belli origo. Sigismundo fortuna quàm multa obtulit, quàm pauca permisit. *dus, in Moscoviam*

Hispania Mauros fœdissimam luem a se ablegat, conjurationis reos, & pervicaces impietatis. In Africam numero ingenti deportati omnes, aut plerique. Hæc phlebotomia servatum corpus, sed debilitatum; urbibus cives, agris cultores desiderantibus hactenus. Tam misera est mortalium providentia, quibus remedia in vulnus abeunt, *Mauri expulsi*

Anno 10. Henricus Rex Franciæ atque deliciæ dum rebus amplissimis gestis, se ad magna accingeret, in urbe Regia, inter Aulicorum charissimos, post tanta bellorum discrimina superata; luce palam, Florentissima pace, ab satellite Orci perimitur; & momento extinctus spes Gallicas provectas in summum ruinæ objicit. Magnus dictus, amplitudinem nominis re adæquavit, non tantùm alienâ victoriâ, sed & suâ. Julio Cæsari propemodùm par, qui sibi regnum confecit ex minimo, celeritate & fortitudine; passus hostes, ut haberet quos vinceret quibúsque parceret; geminâ laureâ *Henrici mors.*

tam veniæ quam belli donandus: uno ſuprà Cæſarem; quod ambitionem finibus Juſti continuit; altero infrà; quod liberalitatem pecuniâ rerum inhibuit Solutus eſt ingens exercitus; neſcitúmque quò Henricus intenderet; niſi quod Hiſpanæ potentiæ minabatur. Quis enim alius dignus hoſtis Henrico?

Caroli Sueci mors.

Anno 11. Carolus uſurpatâ Suecià morte ceſſit; contracto ex bello Danico, quod improſperé geſſit, dolore: diadema verè ſpinas expertus inter curas, bella, cladéſque perpetuas. Sed tanti eſt imperare, ut calamitates & præcipitia placeant. Succeſſit filius Guſtavus Adolphus, variis in Polonos exercitus præliis, ſemel captus, quanquam ignotus, non ſemel fugatus, in quibus rudimentum Germaniæ domandæ poſuit.

Guſtavus

Rodolphi mors.

Anno 12. Rodolphus imperator ægritudine & ſenecta obiit. Diu Pragæ latebat metu & tædio, eliquandis ſuccis vitam inſumens; nullúmque infenſiorem hoſtem, quàm Mathiam paſſus, eundémque fratrem, quem tamen Hungariæ & Bohemiæ Regem coronavit invitus, & adlegit Imperio. Tantùm eſt in rebus mortalium vanitatis; ut dignitate omnium Principi, nec heredem ſcribere liceat.

Matthias

Betlem Gabor.

Anno 13. Betlem Gabor, Turcarum ope ad quos confugerat, Princeps Tranſilvaniæ, deletis tandem Batoreis, renuntiatur. Ea ſtirps Florentiſſima, ramis omnibus Germanorum ferro truncata, poſtquam Sigiſmundus cum Auſtriacis affinitatem contraxerat, ditionem

vitam.

Digitized by Google

avitam, Gabori viro acri atque fortiſſimo, ſibíque regnum ab exilio paranti, reliquit ut vacuam. Ita evaneſcunt ſpes, timor expellitur; ludúntque invicem teſſerâ variante, calamitas magna atque proſperiras.

Anno 15. nuptiis mutuis Francia atque Hiſpania pacem adſtringunt; datæ Ludovico Anna, Philippo Eliſabetha; ſed infirmo admodùm vinculo. Nam ambitionem qui nexus vinciant? Hiſpanis ſua ſponſa placuit; ſua Francis non omnibus; Condæo cum fœderatis turbante; Quippe ſuſpecta potentia, cui deeſſet æmulus, quámque librare nemo amplius poterat. *Regum nuptiæ.*

Anno 16. Uſcochis Pyratis Venetum mare vexantibus; inter Ferdinandum Styriæ Archiducem, Venetámque Rempublicam bellum exoritur; quod variè geſtum, mox ſopitum eſt pace. Et Venetos, præter naves ſuo mari direptas, Gradiſca fruſtra obſeſſa, militúmque ignavia, à Marte abduxit; nempe quos longa pax pacísque deliciæ aliquantùm infregerant. Belli magnùm præludium, ipſum Bellum. *Uſcachi pugnans in Venetos.*

Et aliud bellum tentabat Italiam, ſub aliis Alpium Faucibus, ut Mars ſi portas perfringeret, ſæviret ulterius. Sabaudiæ Dux Emanuel; cui Pax vix unquam placuit, in Monferratum arma intenderat, filiæ jura nova & ſua vetera in Mantuanum promovens. Nec Hiſpana potentia generoſiſſimo Principi terrori fuerat; vel ceſſante ab auxiliis Francia; tantus illi animus, quem ſua facerent. Et ſo- *Sabaudi bellum cum Mantuano.*

pitus is motus, Hiſpanis pacem præoptantibus bello, & fugientibus aleam, magnæ jacturæ parvi compendij.

Aerei mors. Anno 17. Tumultus Francici procellæque ingentes unius nece conquieverunt. Averſi à Rege Principes Sueſſionem confugiunt; Nivernenſis proſcriptus Nivernum ſecedit, nam Condæum tenebat cuſtodia; obſtrepebant armis omnia, unus Ancreus, Regis nimiùm potens, petebatur. Hic ad Luparæ fores cæſus, dum Regis imperio detrectat obſequium; pacem continuò Franciæ peperit: cadaver ad omnem contumeliam plebs diſtraxit; & repetitus Scianus in Ancreo, hoc eſt præceps fortunæ impotentis caſus. Mutatus Aulæ curſus cum vento, Regina Mater afflicta, Rex tutelâ liber, Luinius promotus in gratiam, revocati Principes; ac miſſus poſtmodùm Condæus cuſtodiâ: ruina unius fulcra plurium conſtabiliente.

Cometa. Anno 18. Cometa ingens, toto propemodùm orbe ſpectabilis, imminere maximè Germaniæ viſus, in ſcorpionis ſigno diu effulſit. Nec impunè ſpectatus eſt; bellorum hue primùm in Germaniam, in Europam reliquam deinceps effuſa. Deo ſæpè verbera præſignante in aëre, ut reſipiſcant mortales: ſed & ſurdis fruſtra occinitur, & cæcis pingitur.

Bohemicum bellum. Nec bellum in longiora dilatum tempora. Tuba & Tympana à Bohemia ſtatim: cauſa Religio; dum veram aſſerit Imperator, ſubditi falſam. Et gens jam olim Huſſitarum peſte infecta,

infecta facilè in conterminam hæresim transiit. Pragæ furor primum intonuit ; pulsi Catholici, arma expedita, & Turriano duce facta ingentibus turbis initia, quæ toti Germaniæ quanto sanguine stabunt.

Rhetorũ vicus.

In Rhetia vicus, Pioram dicebant, convulso monte repentino motu totus obruitur, tectis incolísque ruina oppressis, ut die posteraⁿe vestigium quidem loci supereſſet. Nec fossoribus licuit quidquam eruere, tetra Mephiti erumpente, & pœnam pristinam propugnante: Quid tutum mortalibus, si montes corruant? an vita est stabilis, caducis Alpibus?

Arminiani oppressi.

Batavi, presso per inducias ferro, ingeniorum pugnâ propè evertuntur. Novam sectam Arminius quidam invexerat, quam hi dum propugnant, illi impugnant, secti in partes animi abrumpebant concordiam. Et praeter religionem, de re publica actum; hinc Mauritio, indè Barneveltio, tuentibus partes, ut cadendum alterutri æmulatione deficiente in odium. Vicit Mauritius, nec facilis palma Barneveltius fuit; de sene septuagenario sequenti anno sumptum supplicium, reo reipublicæ læsæ, an Mauritij; ingentia merita expuncta; erat quippe senex in apice; standum omninò, aut ruendum fuit.

Mathiæ mors.

Anno 19. Vitam clausit Imperator Mathias; concepto ingenti tædio, ob Cluselium in custodiam traditum. Is Cardinalis, Ferdinando & Austriacis minus gratus, ab iisdem raptus Tirolium erat. Jam ante Ferdinandus

Ferdinandus II.

patruelis Mathiæ, designatus Imperio, Alberto Mathiæ fratre assentiente, regna Hungariæ & Bohemiæ, seu præludia Imperij; & Austriacam hæreditatem, adiverat. Unde illo inauguratus, Bohemicis illicò turbis involvitur, quas ut renascentem Hydram perpessus ad obitum, magnas virtutes calamitate exercuit.

Pragensis pugna.

Anno 20. Pragense prælium Bohemiam, imo Germaniam, Ferdinando assetuit. Fridericus Dux Palatinus, ab Hæreticis in Bohemiæ Regem electus, affinitate Anglica & Protestantium studiis erectus in ampsam spem, Pragam jam admissus, coronam & spes commisit prælio; quo victus à Duce Bavaro Legato Cæsaris, & â Tillio Comite famæ jam celebris, regno dejectus est; imo & Palatinatu: Spinolâ superiora; & inferiora postmodum Bavaro invadentibus; tanti est alea pugnæ unius. Imperator fuit Deus in partibus; Crucifixi effigies lata pro vexillo, pro signifero Carmelita Monachus, partáque cœlitùs Religioni victoria. Nec ideo à Catholicis pugnatum impigrè; nam quis fortitudinis auctor præter Deum?

Turca in Polonos.

Anno 21. Discrimen ingens Christianæ res in Polonia subiit. Osmanes cum quadringentis Turcarum millibus, in Polonorum castra incurrit; ea Chodhienicius sexaginta hominum millibus propugnabat; quâm impare, proh Deus, numero! At tanta fortitudine, ut fractus primò viribus, dein animis Turca: frustra tentatis per omnem

vim

vim Caſtris, poſt fortiſſimum quémque impugnantium cæſum, pacem flagitarit; & receſſum inglorium. Hæc obſidio ari pugna plus menſe tenuit; magna Polonorum gloria, Coſaccorum maximè, quos vis Turcica ne à ſtatione quidem amovit. Agebat in caſtris Ladislaus Princeps; æger plerúmque; nec laudi morbus detrahit; nam quantus animus, qui externum hoſtem ſimúlque internum pervinceret?

Nec id bellum hac clade Oſmani ſtetit. *Oſmanes.* Nam anno ſequenti; cùm nova agitaret ferocianimo, ac Janiſſeris infenſus, de mutanda militia cogitaret, ab iiſdem inaudito hactenus Turcis flagitio, regno dejectus & vita eſt, impotentis & excelſi animi juvenis, qui imperium licentia metiretur, & poteſtatem arbitrio.

Et is annus Heroum funeribus orbi inclaruit. Primus Paulus V. ab tumultu Veneto pacem colens, fœderiſque Catholici in Germania promotor, vivere deſiit. Succeſſit Ludoviſius Bononienſis, Gregorius nomine decimus quintus. Et Philippus Hiſpaniæ Rex vitâ ceſſit; pius ſanè Princeps, & morum facilis; Sed Lermæo Duci multum obnoxius; penes quem regni vis tantùm à Patre Philippus defecerat; cujus unius capite tam diffuſum Imperium ut firmiſſimo axe vertebatur. Albertus Archidux Partibus additus, recrudeſcente bello Bohemico; & ipſe piiſſimus & negotiorum moli haudquaquam impar; *Paulí V. mors.* *Et Philippi III.* *Et Alberti.*

Iſabella

Iſabella uxor pro hærede & liberis fuit; & ipſa celſi animi fœmina, in qua Philippus pater elucebat. Nec inter orbis Proceres Bellarminus ſilendus, è Jeſuitis in Cardinales tranſcriptus; doctrina & pietate adeptus memoriam, quæ nunquam intereat: magnus qui paupertatem in purpura coluit, & in negotiis ſtudia.

Bellarmini.

Ludovicus in Hugonotas.

Ludovicus interea Franciam ſuam percurrebat victoriis; vera religione in Bearniam revocatâ, unde dimidio ſeculo exulabat. Sed quis tam multa per epitomen dicat; ſpiſſi voluminis opus eſt, immorantis, non properantis ingenij. Teſtes fortitudinis Aquitani, Santones, Ocitani, Pictavi; teſtis Angeriacum caſtrum expugnatum vi; & plura oppida, quæ armabat rebellis Hæreſis; donec pax ad Monſpelium contracta, ſequenti anno, hæreſim aliquantiſper continuit; ſi ſtante Rupellâ contineri poſſet. Hæſit Regis gloriæ labes Mons-Albanus tentatus, nec captus; Maynius cæſus magnâ jactûrâ; Luynius poſtmodùm mortuus, liquit clavum rerum moderatori novo occupandum.

Vallis-Telina.

Anno 22. Vallis-Telina in Rhætia; hoc eſt Italiæ atque Germaniæ clauſtrum & collum, ab Hiſpanis ante occupata; expoſtulantibus Francis & Venetis, quaſi parato Italiæ jugo, dum de jure lis eſt, Gregorio in depoſitum traditur; patri nempe, qui diſceptantibus liberis æquus foret, & præeſſet judicio. At ſi jam cudebant gladios, qui pro lingua forent;

fórent ; mox quanto ſanguine jus ſuum ſcripturi.

Anno 23. Gregorio mortuo ſubrogatur Vrbanus octavus, è familia Barberinorum; humanioribus litteris ac Poëticæ ſtudio celebris ut nunquam Muſæ honeſtiùs habuerint, lauro in Thiaram, Parnaſſo in Vaticanum receptis. Nec ea laus gravioribus obfuit, quibus Urbanus dignum in paucis Pontificem geſſit. *Urbanus VIII.*

Anno 25. Genua vetus illa & clara civitas, Sabaudiæ Duce impugnante, ruina propius abfuit, levis cauſa vetera odia inflammarat, feudum à Genuenſibus emptum Sabaudo invito. Erat in partibus Lediguerius, Dux ille bello percelebris, jam adſcriptus Catholicis, & Franciæ Coneſtabilis dictus. Peribat Genua, niſi victores ſejunxiſſet diſcordia, & ſtatim vincentibus ſat fuiſſet non vinci. Lediguerius poſteà, ſedato Hæreticorum tumultu, plenus annis & gloriâ, domi obiit; vir peritiſſimus artis militaris, quam ab ætate prima imbuerat; mancipatus quidem hæreſi, ſed & Regi trophæis perpetuis Allobroges ſignans, vitæ felicitate Chriſtiano exitu cumulatâ. *Genuenſe bellum.* *Lediguerius.*

Anglia dum apparat pompam conjugij, Carolum inter Principem & Henriciam Franciam, Jacobi Regis mortem eluget. An veneno pericrit, dubitatum. Sanè non fauſtæ in poſteris nuptiæ; & virgo Regia in calamitatum ſeriem tradita. Jacobo animus alienus à bello, & paci etiam per ignominiam proprior: *Jacobi Angli mors.*

propior : Palatinum generum verbo tenus juvit ; bonis ſpoliato ſolatium duntaxat præbuit.

Breda capta. Spinolæ magna laus parta, Bredâ expugnatâ. Jam annum alterum implebat obſidio ; nec vi, ſed fame, hoc eſt alienâ patientiâ, nitebatur. Jámque ab Hiſpania jubebatur abſcedere Spinola, die quo urbs capta eſt; ut de conſtantia hoſtium ſuorúmque invidia triumphaverit ſimul. Interea moriebatur Mauritius, longa tabe, quaſi morbus urbis derivarit in Ducem ; Antuerpiâ fruſtra ante tentatâ : ita tot victorias defectus unius extinxit : quàm miſera conditione mortalium, quibus tot vices inter, defeciſſe vel ſemel, culpæ eſt.

Mauritij mors.

Henricus Orangius. Res Batavicæ ad Henricum Mauritij fratrem devolutæ ; mirâ Principem inter Rempublicámque concordiâ, ut alterutrius dignitas neutri officeret.

Richelius Cardinalis. Eodem anno Richelius, ingens in poſterùm Francicorum codicum pagina, ſacrâ donatur purpurâ, & ad clavum admotus, auſpicatur regimen ; quo Francia ad cumulum gloriæ veræque potentiæ ſtatim provecta eſt.

Dariæ bellum. Anno 26. Germaniâ novo bello miſcetur, Proteſtantium fœdus Daniæ Regem in Imperatorem commovit : conſertum ad Luthram prælium, quo Tillius victor, Danus victus, multáque Tillio victoriæ præmia, captæ urbes. Ita proſtrati Hæretici, & ſarta religio ; niſi victores intemperantiùs uſi eſſent victoria. Quantum eſt gloriæ, tantùm ſcaritatis eſt, ſubjectis parcere.

Eodem

Eodem anno, ibidem in Germania Papenhemius inclaruit, ruſticis cæſis atque perdomitis. Ij octoginta millibus ſuorum armatis, vaſtabant Auſtriam; imò prælio certare auſi victoriâ furorem auxerant: jámque ſupra ruſticos timebantur, cùm à Papenhemio variis cladibus edomantur; non impune tamen, nec facilè; ut Papenhemio tam dignum facinus Ruſtici fuerint, quàm Sueci mors. *Papenhemius in ruſticos.*

Anno 27. Apuliam fœdè terræ motus concuſſit; plura loca diebus pluribus pervagatus eſt; mors ubíque & vaſtatio dira; naturâ exuente faciem translatis montibus, aversíſque fluminibus. Mox cládem excepit Mantuanum bellum; magnum ſanè; quod ſtrages tanta prænuntiet. *Terræmotus.*

Angli rupto fœdere, promoturi Hæreticorum partes in Francia, Buquingamo Duce in Rheam excedunt. Quis credat repulſos arce infirma; tantáſque vires fruſtra adhibitas; fide haud ardua cogitanti Toraſium; quam enim gentem tanti nominis fama non perculit? Tandem poſt menſes quatuor Schombergus tranſmiſſus in Inſulam; ejectíque Angli clade non modicâ: quantâ laude Toraſij, per quem præſtitum eſt, ut vincerentur! *Angli Rheâ pulſi.* *Toraſius.*

Hinc vincentium animi ad Rupellam appliciti; hoc eſt ad rebellionis arcem, officinam cladium; caſtrúmque Hæreſeos; qua ſtante, Regis auctoritas ſtare non poterat, erátque alienæ poteſtatis regni tranquillitas. At expugnari vetabant munimenta, odſideri Oceanus, *Rupella Capta.*

Oceanus, & domanda natura priuſquam Rupella. Utrúmque tamen Richelius præſtitit, & erecta mole portum clauſit, & claſſe inſtructa Anglos excluſit, & pertinaciam civium conſtantiâ fregit, & Rupellam tandem anno ſeculi 28. Regi aperuit. Ij victoriarum carceres atque repagula; quibus revulſis; liber Regi curſus, & Europa tota ſtadium fuit.

Mantuanum bellum 2.

Anno 29. Illicò hyems, Alpes, clauſtra, victa. A Rupella Ludovicum excivit Mantua; quæ jure Nivernenſium Duci debita, & à Ferdinando Auſtriacis nimis obnoxio in litem deducta, commiſit Europam. Quantæ hinc clades, ſenſit Italia Colaltum paſſa; imò Germania mox Suecis patens. Una Caſalis, quanta viciſſitudinum ſcena, bellicæque virtutis! dum hinc Spinola expugnator Arcium, hinc defenſor Toraſius; & ille Oſtendam, hic Rheam opponunt; ille tædio moritur, hic triumphat gaudio: dum Ludovico ſubſidunt Alpes, evertuntur clauſtra, ſubduntur Inſubres, expandítque ulnas Italia; dum objectæ acies Maſarini arte pacem admittunt; & dum Francis pugna, Arx Hiſpanis eripitur, ſervatur conſilio, quod peribat Marte. At infelicior Mantua, quæ Germanis præda, calamitatem omnem exhauſit.

Caſalis.

Ludovicus XIII.

Ludovicus poſt Caſalim liberatam, in Hæreticos verſus, quos avulſum caput nondum pacaverat; primùm juſtitiâ, deinde clementiâ conficit pacem. Urbes rebellium ſpoliatæ

ſpoliatæ muris, & invitis dum denudantur parta ſecuritas. Et induciæ Polonis Suecíſque contractæ, Franci operâ; ſed quis oleæ credat lauros inſitas; & ab hac pace enatam eſſe bellorum ſegetem?

Anno 30. In flamma Mantuani belli, captâ Pinerolio, admiſsíſque Francis in Pedemontij viſcera, Carolus Emanuel morte eſt raptus; in turbis uti vixerat, mortuus; Celſi Princeps animi, cui ſemper amplæ ſpes, & ſupra modum; capax non Italiæ modò, ſed Europæ. Statim pax Ratisbonæ coaluit; reddita Mantua Nivernenſi, Francis permiſſa Caſalis, & Pinerolium venditum. Dubia ſanè pax; niſi hanc peregrinum bellum ſanciviſſet. *Carolus Emanuel.*

Quippe ad Germaniæ fines dètonabat Guſtavus Sueciæ Rex; illato Marte, quà jure, quà injuriâ Proteſtantium fautor, Germanicis Inſulis occupatis, jam terrori erat Ferdinando. Mirum quot urbes momento invaſerit, quot arces, quot oppida; vel recenſere ſit tædio: & quæ fulmine loca clades jungit, fruſtra numerus dividit. *Guſtavus in Germaniam.*

Anno 31. Magdeburgum opulentiſſima urbs, à Tillio funeſtiſſimâ ſtrage propè delecta eſt: ferro, igni & militi, nihil non licuit, ne dicam libuit; direptæ ædes, cæſi cives, vim paſſæ virgines, abſorptáque ignibus tecta; miſerante ipſo victore, & calamitate hoſtium ingemiſcente: adeò humanitas non dèdiſcitur; & in ipſa licentia crudelitatem æmulam vincit. *Magdeburgi excidium.*

Sarcit

Lipſiaca pugna.

Sarcit hanc jacturam pugnâ Lipſiacâ Guſtavus victor; qua veterani illi Tillij milites, tot palmis clari, quot prælijs, Germaniæ terror & flagellum, victi & proſtrati, magno orbis ſtupore. Sueco aperta Germaniæ viſcera, & alæ properanti adjunctæ, quibus in Auſtriacam perniciem, niſi Deus vetet, advolabit.

Veſuntij incendiũ.

Annus deſiit, magno Neapolis luctu, & terrore Italiæ, Veſuvius mons in diriſſimos partus erupuit: primò tetra ſpectata incendia, dein horribilis tonitruum fragor, devoluti poſtea torrentes ignei; vaſtata circum omnia, projecta ſaxa ingentia; ac poſtremò quaſi ad tumulum eructatus cinis; quibus civitas ampliſſima tantùm nõn periit. Præclara mortalibus monita, ſi reſipiſcere aliquando vellent.

Valſteinꝰ Dux.

Anno 32. Valſteino redditum á Ferdinando Imperium, ſanè Imperium, cui & Imperaror ipſe ſubditus foret. Vir militia victoriiſque celebris, Bohemiam recepit illicò, ac famâ nominis ſuſtentavit vacillantem Rempublicam. Dum Rheno tranſito urgebat Tillium Guſtavus; & ille quidem in pugna ab Lycum ſaucius, vel vulnere moritur, vel dolore; ſummus laude militiæ, quam nec exitu corrupit. Guſtavus in Bavariam penetrans, corripiedat quæque victoriis, donec verſa in Valſteinum fronte, prælio ad Lutzam conſerto, non victus ſed cæſus eſt, & magno fortunæ ſuæ prodigio, è ſanguine, cœno & pulvere hoſtem vicit. Dixeris mortem pœnitentem

Tillius.

Guſtavi mors.

tem emendaſſe ictum victoriâ, & cadaveri indulſiſſe laurum, quam vivo invidit.

Batavi interea propagabant fines, captis Venlona ac Ruremunda, & caſtris poſitis ad Trajectum, quod & expugnarunt; fruſtra adventante Papenhemio, & caſtrenſes foſſas invadente: nec enim omnia Ducibus quanquam fortibus patent, illíſque objicitur non plus ultra Herculeum. *Trajecti Captum.*

Francia pereclitatur Mommorantij ſeceſſu, qui bello in Occitania moto imminebat Richelio. Sed rebellem fortitudo proſtravit, qua in confertiſſimam aciem vectus, vulnerum plenus captus eſt; & in caſſum clementiâ Regis appellatâ, Toloſæ cæſus capite, mœrore omnium ſummo (nam nec vetat dolere Juſtitia) militari fortitudine ad audaciam propior, navali in ſubiſium pugnâ, & equeſtri ad Vallaviam clarus. Mortem obiit piè & fortiter, quâ Chriſtianum & Principem noſcas; parcáſque crimini, quod hunc exitum peperit. *Mommorantij mors.*

Et Polonia Regem Sigiſmundum luxit, magnis virtutibus Chriſtianis regiiſque percelebrem; cunctatione ſibi admodùm noxium, qua regnis duobus excidit. Electus filius Uladislaus, ortu Polonus, jam Imperio per expeditionē Turcicam delibato. Qui proximo anno Moſchos ab expugnatione Smolenſci expulit, mirâ conſtantiâ atque per aſperrimam hyemem patientiâ, veterum Imperatorum inſtauratâ laude. Hinc profectus ad obſidendam Moſcuam; pacem flagitantibus *Sigiſmundi mors.*

dedit:

Digitized by Google

dedit: ac Smolenſco retentâ, ſpem demiſit regníque titulum. Nam eſt prudentiæ, ſibi modum ſtatuere, & ambitioni limites figere.

Lotharingia occupata.

Anno 33. Diſcordiâ Ludovicum Regem Franciæ & Carolum Lotharingiæ Ducem dirimente; cùm hic Regem vario fœdere eluſiſſet, Auſtriacis addictior, quàm Franci cuperent; ſtatim Lotharingiâ & Nancæio ipſo ejicitur; munitiſſima urbe momento propemodùm in poteſtatem Regis traducta, nempe vetere odio prorumpente, & vi primas injurias vindicante.

Iſabellæ mors

Iſabella Belgij Domina diem clauſit; digna quam Heroinis accenſeas; ita virtutes omnes pietate miſcebat; quam virum crederes animi fortitudine; eandémque mulierem benignitate, & amoris caſti illiciis. Belgium in Hiſpaniam devolutum eſt; cui regendo Ferdinandus Cardinalis Regis Frater jam in via erat; magni animi, laudíſque regiæ cupidus juvenis.

Valſteini mors.

Anno 34. Valſteinus ille Dux, tam formidandus ſuis quàm hoſtibus, dum res novas molitur aut cogitat, Ferdinandi Imperatoris aſſenſu cæſus eſt. Telis & machinis tam ſæpe objectus, tot inclytus palmis, & laceſſito impunè Guſtavo; mente ampliſſimâ, quam vel Imperium non impleret; tamâ ſuperbiâ, ut nec Domino ſuo ſe ſubderet, inter vaſtiſſima conſilia deprehenſus; necatur à Ducibus ſuis. Quæ fragilitas mortalium eſt; per ea cadentium, quæ in columnas & fundamenta poſuerant.

Eodem

Eodem anno magna clade Sueci ad Norlingam vincuntur. Hac victoria Ferdinandus Tertius auſpicatur Imperiũ; cujus particeps Ferdinandus alter Hiſpanus, viam militarem hac lauro inſternens: ſummâ utriúſque gloriâ, quibus per ſuas ærumnas parta victoria, & juventus prima tanta laude inclaruit. Afflictæ hoc prælio Suecorum partes, non proſtratæ; ſurrexítque poſtmodùm, afflante Franco tepidos cineres, novus Phœnix. *Norlingana pugna.*

Anno 35. Tandem poſt multa molimina oppreſſum diutius, magno Europæ malo, erupit bellum Franco-Hiſpanicum. Cujus gentis culpâ, novit Deus; alterâ odium in alteram repellente. Proxima cauſa quæ Francum impulit, Trevirenſis Elector à Cardinale Hiſpano in cuſtodiam raptus; præter Batavos incumbentes; & ſeceſſionem, ſi ceſſaret bellum, comminantes. Illicò Franci in Belgium miſſi (quis enim commodior Marti campus quàm Belgium?) & pugnâ Aveniacâ victores, luculentam plagam inferebant; niſi Batavus premente jam tum invidiâ; florentiſſimas copias fame & miſeriis perdidiſſet. Tillemontium Francis Belgæ opponunt; ſanè Francorum palmas corrumpit libertas, & invictos ferro licentia vincit. *Bellum Franco-Hiſpanicum.*

Annus 36. Spes Francorum fallit, evertítque meſſem in ſegete. Spes evanuere in Italia Burgundiâque conceptæ. Parmenſis Dux exceptus Pariſiis, & imbibita penitus Francia, cum Victore Sabaudiæ Duce & Crequio, ſoluta obſidione Valentiæ, poſt Hiſpanis obno- *Parmenſis Dux.*

obnoxius, abjecto bello ad pacem confugit. Et in expeditione Italica, occumbit
Torasius. Torasius; & dolorem quod augeat, ad castellum viliſſimum, ſcopulum Rheæ & Casalis; ignaviſſimo milite Buquingamum & Spinolam vindicante. Quin & Pariſios
Hiſpani in Picardiam. turbabit irruptio; vaſtata Picardia, tranati amnes, capta oppida, & Corbeia in meditullio regni expugnata; Thoma Principe, Picolominio, & Verthio, jam de Lutetia deliberantibus; Richelianæ conſtantiæ magno argumento. At illicò excitata veterno Francia, recipit Corbeiam, hoſtem pellit, emergítque periculo. Nec Burgundia felicior Francis;
Dola. ſervatâ ab expugnantibus Dolâ; fortitudine & in Principem fide clariſſimâ; & ab ea in Burgundiam Gallicam effuſus Gallaſſius, totam inundabat, niſi oppidulo, Araríſque vadis coërcitus, columnas Herculeas, Deus bone, quas nactus, vertiſſet veſtigia. Ita Francia expedivit ſe caſſibus, levémque jacturam compendio duxit.

Lerinenſes Inſulæ Anno 37. Francorum animus in claustra prorupit, perfregítque oppoſita: Provinciæ & Ocitaniæ limites, gloriæ campus. Primus Harcurtius. Lerinenſes Inſulas ab Hiſpanis invaſas, & munimentis quantùm ſinit induſtria tectas, lembis vectus, ſub grandinem mortis aggreſſus, tandem expugnavit. Alter
Leucata. Scombergius Leucatam Arcem, Barrio propugnante, & obſidente Hiſpano, periclitantem liberat; at qua ſtrage, potentiſſimi vallatíque exercitus; nocte concubia; munimen-

tis

tis prius captis quàm visis, pòst stupentibus Francis cladem quam fecerant.

Nec jacebant ignaviâ Batavi, Arce Stenkia jam receptâ, & ad Bredam admoti, quam distractis aliò Hispanis viribus, expugnarunt; expunxerúntque trophæum Spinolæ; vicibus belli perpetuis, & deserēte Marte quem coluit. *Bredæ capta.*

Hoc anno Ferdinandus Secundus Imperator vitam clausit, eminentissima pietate, regiisque virtutibus ornatissimus; tot inter bella clementiæ cultor; ad parcendum etiam post victoriam pronus, quem labores erigerent, & calamitates ad Deum ferrent; utriúsque fortunæ materia & laus. *Ferdinandi mors.*

Anno 38. In bello variè lusit eventuum Deus. In Alsatia Veymarus tam fortis quàm felix; Joanne Verthio pugnâ ad Rheinfeldam capto; Brissacum aggressus munitissimam urbem, invitissimis hostibus tandem extorsit: Rhenúsque à fonte Francicus fluxit. Una pugnæ prioris jactura, Rohanij mors, celeberrimi hoc sæculo ducis, qui vel patriæ malo inclaruit. *Brissacum capium.*

Pedemontium Victoris Ducis mors, & Crequij ad Bremam cædes; susdéque miscuit. Illum jam Francum animo messuit morbus; verè prudentiâ & fortitudine Principem: hunc dignum Ledigerio generum, glans peremit; & quî tecta starent, ruentibus fulcris? Exultavit ipsa Hispania, suámque Fontarabiam excussit faucibus rapientis; quin & Atrebates servatâ Andomaro, insultarunt. Marte quadam lance, dona & odia parciente. *Victor Amedæus.*

At

Ludovicus XIV. At natus Ludovico Regi Delphinus, marito jam viceſimum annum, nec dum patri, à piiſſima conjuge Anna, adverſitatē omnem expunxit. Quæ Franciæ triumphantis lætitia! quæ Europæ, & vel hoſtilis Hiſpaniæ gratulatio! qui gaudiorum ſenſus, qui indices! cùm ingentia ſileant, reticendum eſt, nec tanta res cogi in anguſtum poſſit. Ne tamen credas ſine laurea natum; naſcituro præluſerat navalis victoria. Prænoſcebat Delphinum pelagus, & futurum hoſtem amovebat.

Coſaccorum rebellio. Eodem anno, Coſaccos ſupplicium unius totos efferavit. Inſtaurata rebellio, inflatúmque claſſicum, toto furore, qui in plures annos etiamnum ſævit. Lues rebellionis, ut olim peſtis ab oriente, deinceps in Europam totam propagata; ut hanc morbum publicum dixeris, vulgatúmque contagio; adeò labes ſerpit in proxima; atque inſtar incendij folles ipſos occupat.

Salſulæ. Anno 39. Poſtquam Salſulis luſum ut aleâ; fortunato jactu Hiſpanum, quem afflixerat prius, & Normannos rebelles disjecit Gaſſio. Marcellus, hoc eſt telum & ſcutum Equitum,

Milleræus. Picolominus & Milleræus, ſuas quiſque partes promoverunt, ille fugato ad Theonuillam exercitu; hic Heſdino captâ; ídque tirocinium Poliorcetis celeberrimi poſtea; cui expugnatio urbium, ars an luſus fuit; Interim Bannerius Germaniam inferiorem per-

Bannerias Harcuriae. currit; noménque Suedicum terrorem aut jugo per urbes circunfert.

Annus 40. à Francorum partibus ſtetit. Et pudet

pudet per epitomen ſcribere, liberatam Caſalim, receptúmque Taurinum, Æterna Harcurtium celebrabit memoria ; nec facinus eſt, quod opponant ſæculaCaſali. Sed quanta laus celeritas Caſalis , tanta ad Taurinum conſtantia ; ut hinc Harcurtius exſcripſerit Francum inde Hiſpanum ; ut & pugnam ſileam, ad utrúmque facinus præviam. His addendum Atrebatum, tot appendix palmarum ; cura ingens Richelij, & Rupellæ ſoror. *Atrebatum.*

Eodem anno Amurates Turca , magna inter conſilia, contracta ex temulentia febri, é vivis raptus eſt. Inter paucos gentis ſuæ dignus imperio Babylonem eripuerat Perſis, juſtitiæ tenax ad crudelitatem , ſed vini cupidior , quo tandem periit , Alexandri fato. Succeſſit Ibrahimus frater , regno ineptiſſimus imperitiâ & ſtupiditate; adeò vel in imperiis mortalitas ludit. *Amurates.*

Annus 41. fatalis Hiſpaniæ fuit , ſeceſſione membrorum à capite. Primi omnium Catalauni ; qui cùm ab Olivario impotentiùs regerentur, jugo excuſſo , ad Francum deficiunt ; adhæréntque conſtantiùs, bello Barcinonem , & in provinciam ſuam traducto : adeò quid eſt terribilius bello , & periculo mortis funeſtius. Hic inde martis campus, Houdancurtio maximè , qui ab Carolo Magno primus limites Franciæ ad Iberum protendit. *Catalauni.*

Luſitani Catalaunos excipiunt ; Bragantino Duce evecto in ſolium ; auſpicatiùs quàm Catalauni , quod nulla cæde , nullo *Luſitani.*

Oceanus, & domanda natura priusquam Rupella. Utrúmque tamen Richelius præstitit, & erecta mole portum clausit, & classe instructa Anglos excluſit, & pertinaciam civium constantiâ fregit, & Rupellam tandem anno seculi 28. Regi aperuit. Ij victoriarum carceres atque repagula; quibus revulsis; liber Regi cursus, & Europa tota stadium fuit.

Mantuanum bellum 2.

Anno 29. Illicò hyems, Alpes, claustra, victa. A Rupella Ludovicum excivit Mantua; quæ jure Nivernensium Duci debita, & à Ferdinando Austriacis nimis obnoxio in litem deducta, commisit Europam. Quantæ hinc clades, sensit Italia Colaltum passa; imò

Casalis.

Germania mox Suecis patens. Una Casalis, quanta vicissitudinum scena, bellicæque virtutis! dum hinc Spinola expugnator Arcium, hinc defensor Torasius; & ille Ostendam, hit Rheam opponunt; ille tædio moritur, hic triumphat gaudio: dum Ludovico subsidunt Alpes, evertuntur claustra, subduntur Insubres, expandirque ulnas Italia; dum objectæ acies Masarini arte pacem admittunt; & dum Francis pugna, Arx Hispanis eripitur, servatur consilio, quod peribat Marte. At infelicior Mantua, quæ Germanis præda, calamitatem omnem exhausit.

Ludovicus XIII.

Ludovicus post Casalim liberatam, in Hæreticos versus, quos avulsum caput nondum pacaverat; primùm justitiâ, deinde clementiâ conficit pacem. Urbes rebellium spoliatæ

ſpoliatæ muris, & invitis dum denudantur parta ſecuritas. Et induciæ Polonis Suecíſque contractæ, Franci operâ; ſed quis oleæ credat lauros inſitas; & ab hac pace enatam eſſe bellorum ſegetem?

Anno 30. In flamma Mantuani belli, captâ Pinerolio, admiſsíſque Francis in Pedemontij viſcera, Carolus Emanuel morte eſt raptus; in turbis uti vixerat, mortuus; Celſi Princeps animi, cui ſemper amplæ ſpes, & ſupra modum; capax non Italiæ modò, ſed Europæ. Statim pax Ratisbonæ coaluit; reddita Mantua Nivernenſi, Francis permiſſa Caſalis, & Pinerolium venditum. Dubia ſanè pax; niſi hanc peregrinum bellum ſanciviſſet. *Carolus Emanuel.*

Quippe ad Germaniæ fines dètonabat Guſtavus Sueciæ Rex; illato Marte, quà jure, quà injuriâ Proteſtantium fautor, Germanicis Inſulis occupatis, jam terrori erat Ferdinando. Mirum quot urbes momento invaſerit, quot arces, quot oppida; vel recenſere ſit tædio: & quæ fulmine loca clades jungit, fruſtra numerus dividit. *Guſtavus in Germaniam.*

Anno 31. Magdeburgum opulentiſſima urbs, à Tillio funeſtiſſimâ ſtrage propè delecta eſt: ferro, igni & militi, nihil non licuit, ne dicam libuit; direptæ ædes, cæſi cives, vim paſſæ virgines, abſorptáque ignibus tecta; miſerante ipſo victore, & calamitate hoſtium ingemiſcente: adeò humanitas non dèdiſcitur; & in ipſa licentia crudelitatem æmulam vincit. *Magdeburgi excidium.*

Sarcit

Lipſiaca pugna.

Sarcit hanc jacturam pugnâ Lipſiacâ Guſtavus victor; qua veterani illi Tillij milites, tot palmis clari, quot prælijs, Germaniæ terror & flagellum, victi & proſtrati, magno orbis ſtupore. Sueco aperta Germaniæ viſcera, & alæ properanti adjunctæ, quibus in Auſtriacam perniciem, niſi Deus vetet, advolabit.

Veſuntij incendiũ.

Annus deſiit, magno Neapolis luctu, & terrore Italiæ, Veſuvius mons in diriſſimos partus erupuit: primò tetra ſpectata incendia, dein horribilis tonitruum fragor, devoluti poſtea torrentes ignei; vaſtata circum omnia, projecta ſaxa ingentia; ac poſtremò quaſi ad tumulum eructatus cinis; quibus civitas ampliſſima tantùm non periit. Præclara mortalibus monita, ſi reſipiſcere aliquando vellent.

Valſtein⁹ Dux.

Anno 32. Valſteino redditum á Ferdinando Imperium, ſanè Imperium, cui & Imperaror ipſe ſubditus foret. Vir militia victoriiſque celebris, Bohemiam recepit illicò, ac famâ nominis ſuſtentavit vacillantem Rempublicam. Dum Rheno tranſito urgebat Tillium Guſtavus; & ille quidem in pugna ab Lycum ſaucius, vel vulnere moritur, vel dolore; ſummus laude militiæ, quam nec exitu corrupit. Guſtavus in Bavariam penetrans, corripiedat quæque victoriis, donec verſa in Valſteinum fronte, prælio ad Lutzam conſerto, non victus ſed cæſus eſt, & magno fortunæ ſuæ prodigio, è ſanguine, cœno & pulvere hoſtem vicit. Dixeris mortem pœnitentem

Tillius.

Guſtavi mors.

tem

tem emendasse ictum victoriâ, & cadaveri indulsisse laurum, quam vivo invidit.

Batavi interea propagabant fines, captis Venlona ac Ruremunda, & castris positis ad Trajectum, quod & expugnarunt; frustra adventante Papenhemio, & castrenses fossas invadente: nec enim omnia Ducibus quanquam fortibus patent, illisque objicitur non plus ultra Herculeum. *Trajecti Captum.*

Francia pereclitatur Mommorantij secessu, qui bello in Occitania moto imminebat Richelio. Sed rebellem fortitudo prostravit, qua in confertissimam aciem vectus, vulnerum plenus captus est; & in cassum clementiâ Regis appellatâ, Tolosæ cæsus capite, mœrore omnium summo (nam nec vetat dolere Justitia) militari fortitudine ad audaciam propior, navali in subitium pugnâ, & equestri ad Vallaviam clarus. Mortem obiit piè & fortiter, quâ Christianum & Principem noscas; parcásque crimini, quod hunc exitum peperit. *Mommorantij mors.*

Et Polonia Regem Sigismundum luxit, magnis virtutibus Christianis regiisque percelebrem; cunctatione sibi admodùm noxium, qua regnis duobus excidit. Electus filius Uladislaus, ortu Polonus, jam Imperio per expeditionē Turcicam delibato. Qui proximo anno Moschos ab expugnatione Smolenści expulit, mirâ constantiâ atque per asperrimam hyemem patientiâ, veterum Imperatorum instauratâ laude. Hinc profectus ad obsidendam Moscuam; pacem flagitantibus dedit: *Sigismundi mors.*

dedit: ac Smolenſco retentâ, ſpem demiſit regníque titulum. Nam eſt prudentiæ, ſibi modum ſtatuere, & ambitioni limites figere.

Lotharingia occupata.

Anno 33. Diſcordiâ Ludovicum Regem Franciæ & Carolum Lotharingiæ Ducem dirimente; cùm hic Regem vario fœdere eluſiſſet, Auſtriacis addictior, quàm Franci cuperent; ſtatim Lotharingiâ & Nancæio ipſo ejicitur; munitiſſima urbe momento propemodùm in poteſtatem Regis traducta, nempe vetere odio prorumpente, & vi primas injurias vindicante.

Iſabellæ mors

Iſabella Belgij Domina diem clauſit; digna quam Heroinis accenſeas; ita virtutes omnes pietate miſcebat; quam virum crederes animi fortitudine; eandémque mulierem benignitate, & amoris caſti illiciis. Belgium in Hiſpaniam devolutum eſt; cui regendo Ferdinandus Cardinalis Regis Frater jam in via erat; magni animi, laudíſque regiæ cupidus juvenis.

Valſteini mors.

Anno 34. Valſteinus ille Dux, tam formidandus ſuis quàm hoſtibus, dum res novas molitur aut cogitat, Ferdinandi Imperatoris aſſenſu cæſus eſt. Telis & machinis tam ſæpe objectus, tot inclytus palmis, & laceſſito impunè Guſtavo; mente ampliſſimâ, quam vel Imperium non impleret; tantâ ſuperbiâ, ut nec Domino ſuo ſe ſubderet, inter vaſtiſſima conſilia deprehenſus; necatur à Ducibus ſuis. Quæ fragilitas mortalium eſt; per ea cadentium, quæ in columnas & fundamenta poſuerant.

Eodem

Eodem anno magna clade Sueci ad Norlingam vincuntur. Hac victoria Ferdinandus Tertius auſpicatur Imperiū; cujus particeps Ferdinandus alter Hiſpanus, viam militarem hac lauro inſternens: ſummâ utriúſque gloriâ, quibus per ſuãs ærumnas parta victoria, & juventus prima tanta laude inclaruit. Afflictæ hoc prælio Suecorum partes, non proſtratæ; ſurrexítque poſtmodùm, afflante Franco tepidos cineres, novus Phœnix. *Norlingana pugna.*

Anno 35. Tandem poſt multa molimina oppreſſum diutius, magno Europæ malo, erupit bellum Franco-Hiſpanicum. Cujus gentis culpâ, novit Deus; alterâ odium in alteram repellente. Proxima cauſa quæ Francum impulit, Trevirenſis Elector à Cardinale Hiſpano in cuſtodiam raptus; præter Batavos incumbentes; & ſeceſſionem, ſi ceſſaret bellum, comminantes. Illicò Franci in Belgium miſſi (quis enim commodior Marti campus quàm Belgium?) & pugnâ Aveniacâ victores, luculentam plagam inferebant; niſi Batavus premente jam tum invidiâ; florentiſſimas copias fame & miſeriis perdidiſſet. Tillemontium Francis Belgæ opponunt; ſanè Francorum palmas corrumpit libertas, & invictos ferro licentia vincit. *Bellum Franco-Hiſpanicum.*

Annus 36. Spes Francorum fallit, evertítque meſſem in ſegete. Spes evanuere in Italia Burgundiâque conceptæ. Parmenſis Dux exceptus Pariſiis, & imbibita penitus Francia, cum Victore Sabaudiæ Duce & Crequio, ſoluta obſidione Valentiæ, poſt Hiſpanis obno- *Parmenſis Dux.*

Digitized by Google

obnoxius, abjecto bello ad pacem confugit. Et in expeditione Italica, occumbit
Torasius. Torasius; & dolorem quod augeat, ad castellum viliſſimum, ſcopulum Rheæ & Casalis; ignaviſſimo milite Buquingamum & Spinolam vindicante. Quin & Parisios
Hispani in Picardiam. turbabit irruptio; vastata Picardia, tranati amnes, capta oppida, & Corbeia in meditullio regni expugnata; Thoma Principe, Picolominio, & Verthio, jam de Lutetia deliberantibus; Richelianæ constantiæ magno argumento. At illicò excitata veterno Francia, recipit Corbeiam, hostem pellit, emergítque periculo. Nec Burgundia felicior Francis;
Dola. servatâ ab expugnantibus Dolâ; fortitudine & in Principem fide clariſſimâ; & ab ea in Burgundiam Gallicam effusus Gallasſius, totam inundabat, niſi oppidulo, Araríſque vadis coërcitus, columnas Herculeas, Deus bone, quas nactus, vertiſſet vestigia. Ita Francia expedivit ſe cassibus, levémque jacturam compendio duxit.

Lerinenſes Insulæ Anno 37. Francorum animus in claustra prorupit, perfregítque oppoſita: Provinciæ & Ocitaniæ limites, gloriæ campus. Primus Harcurtius. Lerinenſes Insulas ab Hiſpanis invaſas, & munimentis quantùm ſinit induſtria tectas, lembis vectus, sub grandinem mortis aggreſſus, tandem expugnavit. Alter
Leucata. Scombergius Leucatam Arcem, Barrio propugnante, & obſidente Hiſpano, periclitantem liberat; at qua strage, potentiſſimi vallatíque exercitus; nocte concubia; munimen-

tis

tis prius captis quàm visis, pòst stupentibus Francis cladem quam fecerant.

Nec jacebant ignaviâ Batavi, Arce Stenkia jam receptâ, & ad Bredam admoti, quam distractis aliò Hispanis viribus, expugnarunt; expunxerúntque trophæum Spinolæ; vicibus belli perpetuis, & deserēte Marte quem coluit. *Breda capta.*

Hoc anno Ferdinandus Secundus Imperator vitam clausit, eminentissima pietate, regiisque virtutibus ornatissimus; tot inter bella clementiæ cultor; ad parcendum etiam post victoriam pronus, quem labores erigerent, & calamitates ad Deum ferrent; utriúsque fortunæ materia & laus. *Ferdinandi mors.*

Anno 38. In bello variè lusit eventuum Deus. In Alsatia Veymarus tam fortis quàm felix; Joanne Verthio pugnâ ad Rheinfeldam capto; Brissacum aggressus munitissimam urbem, invitissimis hostibus tandem extorsit: Rhenúsque à fonte Francicus fluxit. Una pugnæ prioris jactura, Rohanij mors, celeberrimi hoc sæculo ducis, qui vel patriæ malo inclaruit. *Brissacum captum.*

Pedemontium Victoris Ducis mors, & Crequij ad Bremam cædes; susdéque miscuit. Illum jam Francum animo messuit morbus; verè prudentiâ & fortitudine Principem: hunc dignum Ledigerio generum, glans peremit; & quî tecta starent, ruentibus fulcris? Exultavit ipsa Hispania, suámque Fontarabiam excussit faucibus rapientis; quin & Atrebates servatâ Andomaro, insultarunt. Marte quadam lance, dona & odia pariente. *Victor Amedæus.*

At

pudet per epitomen ſcribere, liberatam Caſalim, receptúmque Taurinum, Æterna Harcurtium celebrabit memoria ; nec facinus eſt, quod opponant ſæculaCaſali. Sed quanta laus celeritas Caſalis , tanta ad Taurinum conſtantia ; ut hinc Harcurtius exſcripſerit Francum inde Hiſpanum ; ut & pugnam ſileam, ad utrúmque facinus præviam. His addendum Atrebatum, tot appendix palmarum ; cura ingens Richelij, & Rupellæ ſoror. *Atrebatum.*

Eodem anno Amurates Turca , magna inter conſilia, contracta ex temulentia febri, é vivis raptus eſt. Inter paucos gentis ſuæ dignus imperio Babylonem eripuerat Perſis, juſtitiæ tenax ad crudelitatem , ſed vini cupidior , quo tandem periit , Alexandri fato. Succeſſit Ibrahimus frater , regno ineptiſſimus imperitiâ & ſtupiditate; adeò vel in imperiis mortalitas ludit. *Amurates.*

Annus 41. fatalis Hiſpaniæ fuit , ſeceſſione membrorum à capite. Primi omnium Catalauni ; qui cùm ab Olivario impotentiùs regerentur , jugo excuſſo , ad Francum deficiunt ; adhæréntque conſtantiùs , bello Barcinonem , & in provinciam ſuam traducto : adeò quid eſt terribilius bello , & periculo mortis funeſtius. Hic inde martis campus, Houdancurtio maximè , qui ab Carolo Magno primus limites Franciæ ad Iberum protendit. *Catalauni.*

Luſitani Catalaunos excipiunt ; Bragantino Duce evecto in ſolium ; auſpicatiùs quàm Catalauni , quod nulla cæde , nullo *Luſitani.*

Digitized by Google

memorabili ſanguine litarint novo imperio; quaſi daretur regnum, non vi pararetur; idémque eſſet Joannes Quartus qui tertius. Deinceps India atque Braſilia adſcriptæ Principi, novo an veteri; odiáque priſtina revocata acerbiùs; quod novam injuriam vindicarent alij, alij veterem.

Monoëci Princeps. Et Monoëci Princeps, quæ Arx ad Liguſticum mare tutiſſima; diu pertæſus, Hiſpaniæ præſidium expulit, Francíſque evocatis ſe tradidit; momento invigilans, quo magna evertuntur, & magna conduntur.

Aria. Rapta & in Belgio Hiſpanis Aria, Milleræi induſtriâ atque conſtantiâ, erectíſque munimentis; per quæ mox ipſa urbs recepta à Belgis, tantum vulnus perſanare curantibus. At

Cardinalis Infans hæc expeditio Cardinali Hiſpano vitâ ſtetit, morbo ex ærumnis contracto, an veneno, ut volunt. Sanè juvenis indolis celſæ & planè regiæ, dignus abavo Carolo, diúque ruentem fortunam ſuſtinuit, magnis dotibus ad regnum præditus.

Sueſſionenſis. Franciæ felicitati nævum aſpergebat Comes Sueſſionenſis, privatus hoſtis Richelij, imò jam publicus, lecto exercitu, collectíſque armis; quibus ipſe victor, ſub ipſa lauri gloria, minima glande perimitur. Facti auctor latuit; nemine auſo magni Principis ſanguinem jactare, vel Richelio.

Germania excuſſo Bannerio reſpiravit. Is dum Ratisbonæ habentur comitia, circùm omnia loca populatus; Picolominij arte tantum non oppreſſus militari modo in Miſniam

niam ſe recepit; an fugit! ſanè fuga ejuſmodi vel æquanda victoriis, erítque in monumentis hiſtorjæ; támque laudabitur Bannerius fugiens, quám triumphans. Poſtquam evaſit, morbo aſſumptus eſt; obiítque hoc ſolatio, quod ſalvo exercitu, ſuo jam fato, non hoſtium ferro, animam traderet.

Annus 42. Cupreſſos lauris palmíſque immiſcuit. Ludovico in Catalauniam propera- *Perpi-*
ranti, Perpinianum objicit clauſtra; mox *nianum*
quidem captum & per luſum propè; fame *captum.*
militem depaſcente, & propugnaculorum robur eruente. Verum in hoc luſu fortuna Richelij fracta propemodùm; præpollente *Riche-*
Cimmartij gratiâ, ac potentiam veterem *lius.*
deturbante. At repente prodit Richelij favor, æmulúmque perdit; truncato Cimmartij capite: Regíſque ſui potens, per totam Franciam duxit triumphum in feretro. Sic enim ejus lecticam appelles, qua æger vectus, Pariſiis poſtmodúm animam poſuit. Vir cui Francia parem non habuit; ſtupor ſui ſeculi; futurorum amor, ubi invidia deferbuerit tempore, & quædam vitia ſummæ virtutes oblitteraverint: nec enim unquam Heroum animis infirmitas humana nocuit.

Sanè fuit Richelius utriúſque Palladis amor & præmium, in quo ſupra ipſam penè mortalitatem omnia ſumma; ingenium diſciplinarum ſingularum capax, ſcriptis etiam in rerum mole, ſeu in otio libris; & Academiam condidit, quæ litteras ſtudiúmque

gentis promoveret. Animus in prosperis & adversis quibus tam depressus est quàm erectus, sui semper tenax; Indoles qualis Heroum fuit ambitiosior, sed à recto non devia: de quo laborabit in posterum fides extitisse talem quem audient.

Mariæ Reginæ mors. Richelium Maria Medicæa paulò ante præcesserat, quæ tot Regum mater, obiit in alieno: ingens nostræ fragilitatis exemplum, exul & extorris vitam clausit Coloniæ; Regis filij laude an probro, æstiment qui Regem seponunt à filio, & patrem-patriæ à Mariæ partu sejungunt.

Guebrianus. Perpiniano præluserat Guebriani victoria, qua Lamboij copiæ cæsæ & fugatæ. Isque est Guebrianus, qui Atlas Veymari, Franciæ Rhenum asservit, obiítque postea laude & gloria cumulatissimus, Veymaro clarior, quod temperabat pietate militiam, tam sui rector quàm aliorum.

Torstensonius. Et hunc Suecus consignavit annum victoriis. Dux Torstensonius; qui primâ Lavemburgicum pugnâ, Leopoldum alterâ ad Lipsiam, magnósque exercitus fudit. Quò loci dixeris Gustavi genium decertasse; sanè Lipsia capta, & excitata memoria Gustavi; cujus è schola tot prodibant Duces quot milites, tot laureati quot Duces.

Ludovici XIII. mors. Annus 43. luctuosissimus Franciæ fuit, priorúmque dona morte corrupit. Ea raptus Ludovicus Rex, natus cum sæculo; Princeps ornatissimus privatis dotibus, nam religio, pietas, temperantia, castimonia, tam propriæ

priæ ſunt Ludovico, ut iis unis inſtructus vicerit mortem; (hæc una nempe vincenda ſupererat) ſi qui exarmat mortem, profligat, metúmque ipſius vertit in votum. Obiit itaque morbo; in apice vitæ, victoriarum & gloriæ, & quod maximum eſt, pietatis in Chriſtiana demiſſione quàm maximus; bonorum omnium compos, præter pacem cùm in terris nequiret aſſequi, fugitivam cœlo ſequutus eſt. Et regis inſignis virtutibus, quæ, ſplendidiùs claruiſſent, ſi à puero ductu ſuo potius quàm alieno regere doctus eſſet. At ſic palmis natus, ut in iis deceſſerit.

Nam ipſo urgente animam, cùm occaſioni imminens hoſtis expugnaret Rocroium, pugna conſeritur, qua victi Hiſpani, Enguiennio Duci prærogativam palmam obtulerunt; victoriâ proſequente Regis pheretrum. Et Enguiennij tirocinium ultra protenſum eſt; pérque ingens ſpatium Thionvilla quæſita quæ caperetur; ita deleta ignominia prior, & erectum Franciæ munimentum firmiſſimum. *Rocroium* *Thionvilla.*

Eodem anno Bavaria, cladem paſſa, mox intulit. Vincebat Guebrianus, Rotueilam admiſſus, ſed ſaucius, móxque expiravit; nec vir militaris niſi vulnere deſiit; & in hoſtico quidem ſed ſubacto. Ducis jactura militem perdidit, cùm Franci ſecuriùs agerent, à Bavaris Hasfeldio duce invaſi, nulla ferè clade, ſocordia ſua rapiuntur ut retibus; veteri Francorum malo, quos ſecuritas perdit. *Guebriani mors.*

Digitized by Google

Urbani mors. Anno 44. Urbanus felix ille; & plurimum annorum Pontifex, pace per Italiam partâ, & ſedato Franciæ curâ cum Parmenſi bello, emiſit animam. Summus omninò, quaquà inſpexeris; Apis verè atque Hymettia, ſuavitate morum, & ſtudiorum amœnitate: quem vel repugnantem jam afflictum ſenio belli lues afflavit; adeò ſæculum ferro compactum eſt, & aculeum vel ab apibus exerit. Urbinum Eccleſiæ Ducum ſtirpe deficiente adjunxit; redeuntibus fluviis, unde prodierant. Suffectus in Urbani locum Pamphilius *Innocentius X.* Innocentius X. abſtruſioris doctrinæ, multíſque exercitatus muneribus, vegeta & viridi ſenectute.

Gravelinga. Franci in Belgium verſi Gravelingam expugnant. Objectum Aurelianenſi Duci Belgium totum, præter ſitum urbis, & Picolominium longè excitum; urbs tamen impugnantibus patuit, Caleſio tecto, & apertâ ad Dunkerkam viâ.

Friburgum. Et ad Friburgum magnis animis & clade dimicatum; dum in Bavaros, caſtris, munimentis & montibus tectos, Franci irrumpunt; & quidem tertiùm, ducente Enguiennio pugnaciſſimo juvene, & flagrantiſſimo gloriæ. Bavaros depulit non impetus quidem, ſed penuria victus; permiſſus Francis alveus Rheni; plures urbes captæ; quarum appendix Philippo-burgum; niſi appendix pro provincia ſit.

Danicum bellum. Eodem anno bellum novum naſcitur, quaſi Bellona in Europa ceſſaret, Suecos inter

inter & Danos; illi ulturi injurias, quà terra quà mari invadunt Daniam improviſi, & patentem diripiunt. Sed repentinus impetus citò deferbuit, contractâ pace, opera fœderatorum, quorum intererat tam fortes ſocios reddi Germaniæ.

Parlamentarij.

Acriùs depugnatum in Anglia, Rege ſuſo & victo: Eboracum urbſque ipſa Parlamentariis, quæ Rebellium factio dedita, Rex in fugam actus, calamitatem aliò detulit. Móxque Londini Cantuarienſis Archiepiſcopus capite cæſus eſt, jam altera victima rebellionis, odiíque in Regias partes lugendum facinus; heu, non extremum.

Eliſabeta Hiſpana.

Hiſpania Reginam ſuam luxit Eliſabetam, morte ereptam; quæ regno regíque tota impenſa, ſupra fœminam incumbebat publicis rebus, non irritâ curâ. Cumulatus mœror anno pòſt ſecundo, cum Baltaſar filius, fulcrum Imperij; in tot regna natus, prima adoleſcentiâ, flagrantiſſima ſpe, & amor omnium, raptus è vivis; orbum Patrem fecit, imò Hiſpaniam. Nec tot inter jacturas ulla genti gravior; ſceptro in colum devolvendo, & tot Imperiis Rege defuturo.

Baltaſar princeps.

Venetum bellum.

Annus 45. Terribilem hoſtem Venetis, imò Chriſtiano orbi excivit. Ibrahimus claſſem ingentem expugnandæ Melitæ inſtruxerat; ſed paratiſſimis Melitenſibus, & Arpaione magni animi viro propugnante; ne furorem perderet, vertit in Venetos, & incautam raptus in Cretam, uno injuriæ jure in aliena bona invadit. Nec ullum hoc

Digitized by Google

ſæculo honorificentiùs geſtum eſt bellum, nec fortaſſe generoſiùs; cum togati Patres horribilem illam terris potentiam, & minantem ſpreverunt, & ruentem tulerunt, & pugnantem fregerunt; ut hoc uno bello prius à ſe geſtis faciant fidem, & ſementem poſteris æternæ gloriæ.

Torſtenſonius. Idem annus Torſtenſonio felix; qui Suecos à Danis averſos in Germaniam ducens, Hasfeldium clade magna in Bohemia vicit; captus Hasfeldius, omniáque belli inſtrumenta. Sed victoriæ leve pretium fuit, hærente victore ad Brinnam oppidum, & ampliſſimos fructus corrumpente, quæ vincendi pertinacia. Tanti eſt uti victoria, & ab Annibale ſapere.

Enguienniius in Bavaria. Nec in una pugnatum Bohemia, bis conſerto in Bavaria prælio. Primò quidem profligatus Turennius, ſparsúſque miles clade contractus: ac ſecundo, Enguiennius Turennio Comite, Mercium cædit, & quanquam ſaucius, & imminutus altero cornu, palmam hoſti rapit. Dicas victoriam ætatis flore captam, adamare Juvenem, & in coronas lauros congerere.

Roſa. Favebat eadem in Catalaunia; Pleſſæo Roſam expugnante, munitiſſimam arcem; &

Harcurtius. Harcurtio tranante Sicorim & Hiſpanam aciem perrumpente; cæſi haud pauci, capti quàm plurimi, in quibus Mortara, móxque Balaguerio deditâ, educta tria Hiſpanorum millia, per Pyrenæos Fontarabiam miſſa, circum duxerunt victoriis triumphũ. Et Lotharingia

ringia Motam, inexpugnabilem propemodùm arcem Villeræo dedit; viro cui Regem ſuum Francia magnam partem debet; quando inſtitutor pro parente eſt, & in Alumno ſplendet gubernator. *Villeræus.*

Annus 46. Fauſtis infauſta tam Hiſpanis quàm Francis miſcuit. Glorioſa Francis, Cortracum, Mardicum, Dunkerka, Belgis ereptæ, pugnantibus Ducibus Aurelianenſi & Enguiennio, & impuberem Regem tutantibus. Et Dunkerka Enguiennij opus, quæ munimentis & portu valida, ſub Autumni finem, cùm Hybernis locus eſt, præter ſpem omnium victori acceſſit; cui jam inexpugnabile nihil foret. Sed & Hiſpanis allaboravit hic annus. Nam Ilerda & Orbitellum ſolutæ, illa Leganeſij induſtriâ, & Francorum confidentiâ; hæc Breſæi morte, & annonæ penuriâ; in extremis laborante Francia, febri mox ipſa viſcera correpturâ. Quanquam in Italia ignominiam eluit, captis Plombino & Portolungone, Ducibus Milleræo & Pleſſæo, & jacturam unam lucro gemino ſarcientibus. *Dunkerka.* *Orbitellum.*

Sanè Breſæi mors vulnus inflixit & grave Franciæ. Quippe maritimis rebus præfectus Juvenis, ſic earum peritiam hauſerat, ſic reliquas cumulaverat dotes, ut quo amore vivus, eo dolore mortuus fuerit. Periit glande tormenti; nec vulgari plaga tam fortis animus prodire debuit. *Breſeus.*

Et Henrici Condæi mors illacrymabilis fuit ipſimet Franciæ. Is enim poſtquam *Condæi mors.*

deferbuerat juventutis æstus, religione in Deum; & in Regem fide, intemeratus extiterat. Expeditionibus perfunctus plurimis, sed consilio longè melior, res Francicas ab Ludovici morte multùm promoverat; auctoritatem regij, sanguinis probitate & prudentia fulciens.

Neapolitana seditio.

Anno 47. Neapolis, imò regnum totum, seditione succutitur, quæ in bellum flexit. Quis tam multa percurrat compendio; seu mali exemplum, quod à Panormo Siciliæ dimanavit; seu causam, ab immoderatis tributis, & impotentia plebis; seu auctorem, Thomam Aniellum, qui ex vilissimo piscatore, potentissimæ urbis repente dominus, intra novem dies Tragœdiam lusit, incredibilem posteris; seu luem ab urbe in universum regnum propagatam: seu recenseat Duces; vel Arcosium seditionis impetu pulsum; vel Guisium, tam in carcere fortem quàm in armis; vel Richelium, navali prælio decertantem? vel Joannem Austriacum, felicitate summa bellum comprimentem; vel Ognatensem mali reliquias & in sanis membris exscindentem; ne qui hæc percurrerit, is Myrmecidem vicerit, cæterósque ejusmodi famæ nominísque artifices.

Orangij mors.

Henricus Orangius, Mauritij frater, Guillelmi filius, parque tantis nominibus, Batavica administratione cessit & vita; prudentia militari & fortitudine clarus, Guillelmum filium legavit Batavis, affinitate regia fultum; sed & Guillelmus paulò post raptus est,

eſt, ſuperſtite in cunis infante futuro in ſeceſſionis originem genti ſuæ; his abdicantibus, illis optantibus.

Anno 48. Tandem confecit pacem Germania; mirùm! tot bellorum calamitatibus ſuperſtes. Coniſmarchius cæſo apud Auguſtam Melandro occupaverat Pragam, & imminebat Viennæ; cùm repente Monaſterij pax convenit, Imperatorem inter & Suecos: Germaniæ Procerum habita ratio; Palatinus ditioni ſuæ reſtitutus, Alſacia Francis cum Briſaco relicta; & momento inſtrumenta Martis in plauſum & gratulationem converſa. Ita pax amatur, cùm belli pertæſum eſt. *Germaniæ pax.*

Idem fœdus Hiſpanis Batavos reconciliavit, multùm renitentibus Francis, ne auctores belli à bello ſine fœderatis diſcederent; ſed fruſtra obſiſtunt jam præpollente invidiâ, & metu à Dunkerka. Quin Hiſpanos inter & Francos de conditionibus diſceptatum diu, parúmque abfuit quin convenirent; ſi tamen Portugalia & Catalaunia parvi habendæ ſint. Gens utráque culpam in alteram confert; ſanè ab hiſtoria conſtat, plura Hiſpanos inſtrumentis pacis comparaſſe quàm belli; & hactenus Francos gladio pugnaſſe, non calamo. At pòſt annis aliquot retroacta Franciæ felicitas, progreſſa Hiſpaniæ, inſtauravit bellum acerbiùs: nempe Deo mortalium noxis non placato, ſuáſque injurias ipſis vindicibus permittente. *Hollandiæ pax.*

Hiſpaniæ

In Philippum conjuratio.

Hiſpaniæ Rex defungitur periculo gravi, detecta Procerum conjuratione, qua Ixaro Duci Aragoniæ regnum parabatur, Rei pœnis dati; eluxítque Philippi clementia, permiſsâ Ixaro vitâ, & piâ in alios liberalitate. Et jam ante Olivarius Comes Aula dimiſſus, Ludovico Haroo gubernaculo ceſſerat; vir Hiſpanicæ gloriæ ſtudioſiſſimus; ſed conſiliorum præpoſterus; quæ plerúmque damnabat exitus; & tunc pravus regni amor, cùm benè concepta malè pariuntur. Parem erat nactus Cardinalem Richelium, cujus à Genio ſemper eſt victus: ambigas uterve felicior, quod alter in ſplendòre rerum & gratiæ dejectus; alter & in cœnobio ſui compos obierit.

Olivarius

Ladislai mors.

Eodem anno Polonia Regem ſuum luxit. Is Ladislaus fortitudine & religione percelebris; feſtinata mors tædio belli in Turcas negati, adeò pium Principem religionis amor altè inſederat. Is regno fatalis obitus, Coſaccis Kmienilico duce rebellantibus, & Poloniam impunè vaſtantibus. Sed inter has clades regno conſultum, Joanne Caſimiro Ladislai fratre in Regem electo; & quidem cædes hac mercede placent; Rege fortiſſimo ad vindicandum ſuffecto, qui tirocinium Principis per adverſa poſuerat.

Ibrahimus cæſus.

Et apud Turcas nutabat Imperium, truncato capite, Ibrahimo Sultano; fato Oſmanis fratris, deturbato è ſolio mox è vivis. Præter regnandi inſcitiam, crudelitas barbara ardórque ſanguinis ab eo Proceres ipſámque matrem

matrem averterant; quibus inſtigantibus, Janiſſarij cogitatum facinus conſummarũt, evaneſcente in Sultanos veneratione: mox facilè ruituro Imperio, quod jam in fundamentis concutitur. Mahometus ſeptennis in Ibrahimi patris thronum evectus eſt. Et hic unus tot Imperatorum ſuperſtes ſurculus; huc deſiit totius orbis terror & furor; ut Chriſtianos pudeat, ſe demetere ferro, quo unus luis publicæ termes exſcindendus foret.

Caroli Angli cædes.

Annus 49. Parricidium protulit, gentibus omnibus, omnibúſque ſæculis execrandum. Horret calamus rem vel deſignare. Poſtquam Carolus Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ Rex, nullo in tot regnis ad perfugium loco, à Scotis ad quos confugerat, Anglis eſt traditus; ab iiſdem Anglis damnatus, exhorreſcente orbe terrarum, Londini palam, ſubditorum ſententiâ, truncatus eſt capite. Summum nefas, eò furioſius, quò conſideratius, Juſtitiâ in injuſtitiam tantam adactâ. Farfaxius & Cromvellus auctores ſceleris, qui & Regno præterea infenſi, id ſuſtulerunt inductâ Reipublicæ ſpecie, re ipſa tyrannide. Nam abrogata domus ſuperior Parlamenti; Farfaxio dati exercitus cum poteſtate; Cromvellos in Hyberniam profectus, Regias & Catholicas partes oppreſſurus. Ita nefarii præmium criminis partiuntur; Deo aliquoties connivente ſceleribus; at eo graviùs exurgente in pœnas, quò ſeriùs.

Franciæ civile bellum in

Et idem annus graviſſimas Franciæ turbas concepit, quæ ſequentibus annis prodeuntes

in lucem, matrem propemodùm viperini fœtus enecarunt. Sed hæc ſilentio præſtat involvere; cui enim gratum ſit retegere turpitudinem ſuam; maximè cùm vulnera jam cicatrix obduxerit, & membra divulſa coaluerint corpori. At per noſtra mala conſultum eſt hoſtibus; & erepta Gravelinga, Dunkerka, Caſalis, Barcino, Deus bone, quæ nomina! imò cætera in lucro habita; tam propè regnum ruinæ admotum eſt. Credo, Deus juvenem Principem indurabat adverſis, & qui cœli mos, parabat ad proſpera.

Sinæ. Nec Europæ finibus rebellionis furor conſcriptus eſt, penetravit in Aſiam, & extremos orbis Sinas pervaſit, Regi regnóque à latrone viliſſimo vis illata; Rex impar viribus ſe ipſe ſuſpendit; prædoni regnum ceſſit in ſpolium; nec Sinarum ſanguini parcitum, quorum ſexcenta millia uno die necata, innumera pluſculis; ut jam hoſtis Tartarus in voto eſſet. Et is quidem perfoſſo muro irrumpens, exiſtimatus eſt vindex, non pœna; tranſmiſsíque magnam partem Sinæ in Regnum æternum, beneficium bello debuerunt. Immanis prædo ſe ipſe confodit, nobiliſſimo crudelitatis opere pretio.

Caſimirus in Tartaros. Quanquam, quæ Dei bonitas, proſperis ſuis annis non caruit. Nam Caſimirus, Mariâ Nivernenſi uxore fratris ductâ in conjugem, ab thalamo quem haberet pro altero regno, progreſſus in bellum, modico ſed forti exercitu pugnavit in Tartaros & Coſaccos; hoc eſt trecenta hoſtium millia ita armis repulit

pulit contudítque, ut ſtupendam ſin minus victoriam, ſaltem pacem retulerit, cui victoriæ ſerviunt: novum Principem inaugurantibus enſe & galea, & Sarmatico robore Chriſtianam religionem armantibus. Kmienilicio data ut reſipiſceret venia; ſi induratis in ſcelere ad pœnitentiam flexus eſt.

Sua etiam Venetis palma innata eſt; Turcis navali prælio ad Foxiam victis; cæſa ſex millia, naves multæ incenſæ, captivi plurimi, Jacobo Rivæ plenam victoriam pepererunt; jacturâ ſuorum leviſſimâ. Et Veneti tum terrâ tum mari ſæpius ſpolia de communi hoſte reportarunt; éſtque una urbs adhuc terribilis poteſtatis meta & ſcopulus. Quam melius Chriſtianus ſanguis, tot Bellis effuſus, impenderetur Byſantio! *Veneti Victores.*

Anno 52. In Anglos Batavi ſubito bello exardeſcunt; cauſæ, æmulatio, maris imperium, & piſcandi quæſtus. Ter navali prælio depugnatum, totóque niſu quæſita victoria, latè Oceano flagrante ignibus. At illâ anceps ſtetit, neutrò converſa, donec Martis tædium pacem tulit. Tunc Cromvellus rerum potiebatur in Anglia, ultrò cedente Farfaxio, & Syllæ inſtar ſeceſſum petente: íſque titulo Protectoris, & prætexto Reipublicæ nomine, Parlamento evocato ad nutum & abrogato, verè dominus eſt, totíque Europæ timendus incumbit. Dicas Julium Cæſarem calcatâ patriâ dictatorem; ut ab eo mortem extimeſcat, quam ejuſmodi homines vix ſiccam incurrunt. *Batavi in Anglos.* *Cromvellus.*

Anno

Ludovicus inunctus.

Anno 54. Tandem Francia, poſt civilia bella, ſanatáſque plagas, orbi illuxit. Et Ludovicus Rhemis inunctus cœleſti chriſmate, ſeu robore hauſto divinitùs, Stenæum expugnat & Claromontium, in Campaniæ finibus; per Contium Principem in Catalaunia vincit, ſpémque inſtaurat, ac demùm Atrebatum præter ſpem liberat. In obſeſſa Atrebato cogita tres principes, Belgium totum; inexpugnabilia munimenta; ut in liberata (poſt faventem Deum) Turenium, Seneterrium, Hoquincurtium, Mondeioſum, Crequium, pluréſque alios, celeberrimos vindices, poſteritati tradas & gloriæ.

Chriſtina.

Anno eodem Chriſtina Sueciæ regno ſe abdicat. Mirum & inauditum populis facinus! ultrò mulierem ſceptro ceſſiſſe. Virgo, ætate florens, proſperrima re, ſuorum amor, coronam deponit, votúmque omnium à ſe ablegat. Næ ea Guſtavi patris victorias ſuperavit hoc facto; ſanè pluris eſt ſpernere regnum quàm parare. Quo pretio abdicaverit regnum, tandem liquet. Nimirum ut veram religionem, quæ Romana eſt, amplecteretur & profiteretur. Verè digna cœleſti regno, quod ſuo & paterno redimeret. In Carolum Guſtavum Palatinum affinem tranſtulit ſceptrum, & vivens vidénſque tantam hæreditatem adiri voluit.

Smolenſcus capta.

At Polonia nouo bello implicita, tota concutitur. Evocatus à Coſaccis Moſcoviæ Dux, veteribúſque in Poloniam odiis, numeroſiſſimo exercitu Smolenſcum cingit,

quæ

quæ urbs olim Moſchis à Ladislao detracta, & Lithuaniam vaſtat & diripit; dúmque imminet Livoniæ, Suecum Regem armis laceſſit. Novi & difficillimi belli futurus exitus, ſi ex præteritis æſtimetur, Moſchum affliget; quid enim Polonis, aut Suecis invictum?

Innocentij mors.

Anno 55. Innocentius Pontifex, gravem ſenectutem longo morbo cum vita poſuit; vir ſententiæ tenax, & ſeveritas vel in ſuos notæ: ſanè Eccleſiæ intendens, Janſeniano dogmate perculſo, quod cum bello civili graſſabatur in Francia. Suffectus eſt in locum mortui Fabius Chiſius, Alexander nomine ſeptimus, incredibili populorum omnium plauſu.

Alexander VII.

Polonia vexata.

Anno 56. Graviſſima bella vexabant Poloniam, hoſte quatergemino irruente, Sueco, Moſcho, Coſacco & Tartaro; ſæviente in regni viſcera. Admirabilis conſtantia Caſimiri Regis atque fortitudo, qui in tempeſtate tam fœda, nec clavum abjecit, nec animum; & in partem laudis admittenda conjux Maria Nivernenſis, tam periculorum conſors quàm thalami. Quis in humanis non ſperet! poſtquam tot hoſtes pulſi, & illibato regno parata pax.

Venetorũ victoria.

Eodem anno Veneti navali prælio Turcas ad Tenedum vincunt, magna hoſtium ſtrage, ſuáque gloria. Nec imperator victoriæ ſupervixit, honeſtè peremptus, dum eam patraret. Ipſi anguſtiſſimæ Venetorum Reipublicæ, ſit perennis in poſteris & inconcuſſa

cuſſa laus; cùm ſuo ductu, viribus ſuis, fortitudine ſua, Chriſtianum hoſtem tulit, repulit, vicit; Italiæ clypeus, & enſis Europæ. Eáque anno 57. Societatem JESU ſibi reſtituit, extorrem jam annis pluribus; ídque rogante Alexandro Pontifice; qui tandem nodum illum Gordium ſolvit. Nec recipi honeſtiùs potuit, quàm laureas inter palmáſque Turcicas.

Ferdinãdi III. mors.

Anno 57. Viennæ obiit Ferdinandus III. Imperator, pietate ac re militari inſignis; ad pacem Monaſterienſem, quam minus probabat, calamitate temporum actus. Vacuam reliquit ſedem Imperij, quam proximo anno implevit filius Leopoldus Ignatius; ad ſpes ſummas indole & educatione evectus: in quo amor religionis, litterarum, átque armorum, expectationem ingentem concitant.

Bellum in Danos.

Anno 58. Rex Sueciæ Septentrionem bello miſcebat. nam poſt impetitos Moſchos & Polonos, repente in Daniæ Regem invehitur, obſidétque clauſum urbe primariâ. Vocati in ſocietatem belli, Imperator & Batavi, Dano fœderati; ac longam mali ſeriem offenſi animi minabantur; niſi ex Pyrenæis illuxiſſet pax; & ipsâ Rex Carolus Guſtavus morte eſſet raptus. Sed jam ad pacem optatiſſimam orbi ſtylus devolvitur.

Pax in Europa.

Sexageſimo anno ea patrata. Adminiſtri tam inopinæ felicitatis, Cardinalis *Julius* Mazarinus, & Ludovicus de Haro, qui in Inſula vidoſi amnis, ad confinia regnorum con-

Digitized by Google

convenientes, fecerunt tranquillitatem Europæ. Ad quam ſarciendam & ſtabiliendam, non æreis quidem vinculis, ſed arctiſſimis & acceptiſſimis, MARIA THERESIA Philippi Catholici Regis filia, data eſt in conjugem Ludovico Chriſtianiſſimo Regi, diuturni belli tum Hiſpanici, tum civilis, incomparabile præmium. Hæc beneficia Annæ Reginæ pietati accepta Franci referimus. Et laudanda Cardinalis Mazarini felix átque aſſidua vigilantia, qui rem difficillimam, & Labyrinthæis intricatam ambagibus, tam prudentiâ, tam patientiâ perfecit mirificè, dignus omninò qui in poſteros laudatiſſimus erat.

Appendix publicæ felicitatis, & pacatæ Europæ, luculentiſſimâ, fuit magna Britannia. In eam reſtitutus feliciter, Carolus II. Rex ſuus; qui Monquij Scoti ductu atque conſilio; nullo bello, nullo prælio, imò nullo ſanguine, evocatus & omnium votis in Angliam, coronatus Londini, expunctâ Cromvelli nefarij parricidæ memoriâ; vocatíſque in pœnam conſciis. Lubet in eventibus proſperis ſtilum deponere, precari Deum, ut hæc bona quæ fecit perennia ſint, pace frui & tranquillitate, & comparare me ad cœleſtem illam æternámque pacem. *Carolus Rex Anglia exceptus.*

Laus Deo Beatæque Virgini Mariæ.

CHRO-

CHRONOLOGIA PRINCIPUM,

SIVE

SERIES & SUCCESSIO

AUGUSTISS. IMPERATORUM,

------- REGUM,

S. R. I. ELECT. MOGUNTINORUM

——— Trevirenſium.

——— Colonienſium.

——— Palatinorum.

——— Saxoniæ.

——— Brandeburgicorum.

——— Bohemiæ Regum.

REGUM Galliæ.
—— Hiſpaniæ.
—— Britanniæ.
—— Scotiæ.
—— Daniæ.
—— Poloniæ.
—— Sueciæ.
—— Hungariæ.
Ottho. Turc. Imp.
Princ. *Holland. & Zeland.*

DUCUM Reip. Venetę.
—— Saoniæ.
—— Ferrariæ.
—— Mantuæ.
—— Mediolani
—— Urbini.
—— Florentiæ.
—— Parmæ.
—— Modenæ.
—— M. Mag. Melitæ, &c.

Annectuntur his de ſummis Pontificibus S. Malachiæ Prophetia, S. S. Eccleſiæ Concilia, Schiſmata, Imperat. Symbola Aphoriſmis Politicis & Epitaphiis illuſtrata, ſingulorum tempus vitæ, Regiminis & mortis.

TYPO-

Digitized by Google

TYPOGRAPHI *ad Lectorem.*

HANC Pontificum & Regum seriem, cùm in multis scriptoribus invenerimus, publici juris factam esse censuimus. Quam eo loci apponimus, nequid Lectori curioso desit. Eam Flosculorum Auctor, suo Marte scriptam, uberiorem & ornatiorem aliquando dabit: nos intereà, ipso non vetante, quod promptum erat, afferimus. Tu fruere, & æqui boni desiderium placendi consule.

ROMANI

ROMANI PONTIFICES.

S. *Petrus* Judæus Apoſt. S. An. 24. Menſes 5. Dies 12. paſſus anno 69.

S. Linus Hetruſcus S. A. 11. M. 2. D. 23. fit Martyr 80.

S. Cletus Rom. S. A. 12. M. 7. D. 2. fit Mart. 93.

S. Clemens Rom. S. A. 9. M. 6. D. 6. fit Martyr 102.

S. Anacletus Græcus Athenienſ. S. A. 9. M. 3. D. 10. fit Martyr 112.

S. Evariſtus Syr. Bethlehemita S. A. 9. M. 3. fit Martyr 121.

S. Alexander Romanus S. A. 10. M. 5. D. 20. Martyr coronatur 132.

S. Sixtus. Rom. S. A. 9. M. 10. D. 8. fit Mart. 142.

S. Teleſphorus Anachoreta Græcus S. A. 11. M. 8. D. 27. fit Martyr 154.

S. Hygintus Athenienſis S. A. 4. minus 2. D. fit Martyr 158.

S. Pius Aquilegienſis S. A. 9. M. 6. minus 3. D. fit Martyr 167.

S. Anicetus Syrus S. A. 8. M. 9. D. 21. paſſus 175.

S. Soter Campanus S. A. 4. minus 12. D. fit M. 179.

S. Eleutherius Græcus S. A. 15. D. 23. patitur 194.

S. Victor Afer S. A. 9. M. 2. fit Martyr 203.

S. Zephyrinus Roman. 8. A. 18. D. 18. fit M. 222.

Caliſtus

Digitized by Google

S. Caliſtus Romanus S. A. 5. M.1.D. 12. Martyrio coronatur 226.
S.Urbanus Roman.S.A.6.M.4.D.4.fit Mart.233.
S. Pontianus Romanus,S. A. 4. M. 4. D. 24. fit Martyr 237.
S. Antherus Græcus,S.M.1.fit Mart.238.
S.Fabianus Ro.S.A.15.D.4.Mar.coronatur 253.
S.Cornelius Rom.S.A.1.& aliquot M.paſſus 255.
S.Lucius Rom. Exul, S.A.2.fit Martyr 257.
S.Stephanus Rom.S.A.3.M.3.D.22. patitur 260.
S.Sixtus 2. Græcus Ath. S.M.11.D.13. fit M.261.
S.Dionyſius Græcus,S.A.11.M.3.D.14.fit M.271.
S.Felix Rom.S.A.2.M.5.minùs 1.D.paſſus 275.
S. Eutychianus Thuſcus Mart. S.A.8.M.6.D.10.
S.Caius Dalmata Diocletiani *Imp. ex fratre nepos* S.A.12.M.4.D.5.paſſus 269.
S. Marcellinus Rom.S.A.8.minus 7.D.Mar.304.
S. Marcellus Rom.S.A.5.M.6.D.21.Mart. 309.
S.Euſebius Græcus,S.A.1.M.7.D. 27. paſſus 311.
S. Miltiades, vel *Melchiades* Afer, S. A. 3. M. 2. Mart.313.
S.Sylveſter Rom.S.An.21.D 4.obiit 335.
S.Marcus Romanus,S.M.8.D.22. obiit 336.
S. Julius Rom. S.A.16.M.5.D.16.obiit 352.
S.Liberius Rom.S.A.13.M.4.D.16.obiit 367.
S. Damaſus Hiſpanus S. A. 18. M. 2. D.13. obiit 384.
S. Syricius Romanus,S.A.13.M.1.D.25.moritur Anno 398.
S.Anaſtaſius Rom.S.A.3.D.21.obiit 402.
S.Innocentius Albanus,S.A.15.M.2.D.21.ob.417.
S. Sozymus Cappadox ex Aſia, S.A.3.M.4.D.7. obiit 418.

S. Bonifacius Rom.S.A.3.M.9.D.28.deceſſit 423.
S. Cœleſtinus Rom.S.A.8.M.5.D.3.obiit 431.
S. Sixtus 3. Rom.S.An.7.M.11.obiit 440.
S. Leo Magnus Rom.S.A.20.M.11.obiit 461.
S.Hilarius Sardus,S.A.6.M.3.D.10.deceſſit 467
S. Sulpitius, vel *Simplicius* Tiburtinus, S. A. 15. M.6.D.23.obiit 483.
S. Felix 2. Romanus,S.A.8.M.9.D.17.ob.492.
S. Gelaſius Afer, Sed. An. 4.Menſ. 8. D. 19. deceſſit 491.
S. Anaſtaſius 2.Rom.S.A.1.M.11.D.24.ob.498.
S. Symmachus Sardus,S. A.15.M.7.D.28.ob. 514.
S. Hormiſda Campanus,Se.An.9.D.18.obiit 523.
S. Joannes Hetruſcus,S.A.2.M.9.D.16.obiit 526
S. Felix 3. Samnis,S.A.4.M.2.D. 18.obiit 530.
S. Bonifacius Rom.S. A.1.D.2.obiit 531.
Joannes 2. Rom. S. A.2.M.4.D.6.deceſſit 535.
S.Agapetus Romanus,S.A.2.moritur Conſtantinopol. 537.
S. Sylverius Campanus,S.A.4.& amplius. obiit 554.
Vigilius Romanus, S.A.16.deceſſit 555.
S. Pelagius Rom. S.A.4.M.10.D.18.obiit 559.
S. Joannes 3.Rom.S.A.13.minùs D.14.obiit 572.
S. Benedictus alio nomine *Bonoſus* Rom. S. A. 4.M.2.D.15. obiit 577.
S. Pelagius 2. Rom. S.A.12.M.2.D.27.obiit 590.
S. Gregorius Magnus Rom. S. An.13. M.4. D.9. obiit 604.
Sabinianus Thuſcus,Sed.M.5.D.21.deceſſit 605.
S.Bonifacius 3.Rom.S. M.3.D.23.moritur 606.
S. Bonifacius 4. Valerienſis Italus, S. A. 6. M. 8. D. 13. obiit 614.

S.Deoda

Digitized by Google

S.Deodatus, vel *Deus dedit* Rom.S.A.3.minùs D. 5. obiit 617.
S. Bonifacius 5. Neapolitanus, S.A.7. M.10. D.1. obiit 625.
S.Honorius Campanus,S.A.12.M.5. minus 3. D. obiit 638.
Severinus Rom. S. A.1.obiit 639.
Joannes 4.Dalmata,S.A.1.M.9. D.6. obiit 641.
Theodorus Hieroſolym.S.A.7.M.5.D.20.ob.649.
S. Martinus Tudertinus Italus,S. A. 5. M. 4. D. 12.obiit 654.
Eugenius 1. R.S.M.12.D.23.654.
S.Vitalianus Ital.S.A.13.M.5. minusD.4.ob.669.
Adeodatus Rom.S.A.7.M.7.D.17. obiit 676.
Domnus vel *Domnio* Rom. S.A.1.M.5.D.10.677.
Agatho Siculus,S.A.3.M.8.obiit 682.
S. Leo 2. Siculus, S. M.10.D.8.obiit 684.
S.Benedictus 2. Romanus,S.M.8.D.17.obiit 685.
Joannes 5. Syrus,S.A.1.D.11.obiit 686.
Conon, ſeu *Cuno* Thrax, S.M.11.D.23.687.
S.rgius Antiochenus,S.A.13.M.8.D.14.obiit701
Joannes 6. Græcus,S.A.3.M.2.D.12. obiit 705.
Joannes 7. Græcus, S.A.2.M.7.D.17.obiit 707.
Siſinius, aliàs *Zoſimus* Antiochenus Syrus, S.D. 20. obiit 708.
Conſtantinus Syrus,S.A.6.M.1.D.1.obiit 714.
Gregorius 2. Rom.S.A.16.M.8.D.20.obiit 731.
Gregorius 3. Syrus,S.A.10.M.9.D.12.obiit 741.
Zacharias Græcus,S.A.10.M.3.D.10.obiit 752.
Stephanus 2. Romanus,S.D.4.mortuus 752.
Stephanus 3.Romanus,S.A.5.D.28.obiit 757.
Paulus Romanus,S.A.10.M.1.obiit 767.
Stephanus 4.Siculus,S.A.3.M.5.D.28. obiit 772.

Digitized by Google

Adrianus Rom. S.A.3.M.10.D.17.moritur 795.
Leo 3.Rom.S.A.20.M.5.D.17.obiit 816.
Stephanus 5. Rom.S.M.7.D.3.obiit 817.
Paſchalis Rom.S.A.7.M.3.D.17.obiit 824.
Eugenius 2.Rom.S.A.3.M.2.D.23.obiit 827.
Valentinus Rom.S.M.1.D.10.obiit 827.
Gregorius 4.Rom.S.A.16.obiit 844.
Sergius 2.Rom. S.A.3.M.1.obiit 847.
S.Leo 4. Rom.S.A.8.M.3.D.5.obiit 856.
Benedictus 3. Rom.S.A.2.M.6.D.10.obiit 858.
Nicolaus Magnus Romanus, S.A.9.M.6.D.20. obiit 867.
Adrianus 2. Rom.S.A.4.M.10.D.17. obiit 872.
Joannes 8. Roman. S.A.10.D.1.882.
Marinus, qui & *Martinus* 2. Hetruſcus, S.A.1. D.20.obiit 884.
Adrianus 3. Rom.S.A.1.M.3.D.19.885.
Stephanus 6.Rom.S.A.6.obiit 891.
Formoſus Portuens. S.A.4.M.6.D.18,896.
Boniſacius 6. Rom.S.D.15.mortuus exul.
Stephanus 7. Romanus, S. A. 4. M.2.D.19.occiditur 900.
Romanus Etruſcus,S.M.4.D.20.obiit 901.
Theodorus 2. Rom.S.D.20.obiit 901.
Joannes 9.Tiburtinus, S.A.3.D.15.obiit 905.
Benedictus 4.Rom.S.A.1.M.6.D.15.moritur 906
Leo 5.Ardeatinus,S.D.40.obiit 907.
Chriſtophorus Rom.S.M.7.obiit 907.
Sergius 3.Rom.S.A.2.obiit 910.
Anaſtaſius 3.Rom.S.A.2.M.2.obiit 912.
Lando Sabinus, S.M.6.D.22.
Joannes 10.Ravenna.S.A.15.M.2.D.16.ob.929.
Leo 7. Rom.S.M.6.D.15.obiit 929.

Stephanus 8. Rom. S. A. 2. M. 1. D. 15. obiit 931.
Joannes 11. Rom. S. A. 5. &c. obiit 936.
Leo 7. Rom. S. A. 3. M. 6. obiit 939.
Stephanus 9. Germanus, S. A. 3. M. 4. D. 5. ob. 943.
Martinus 2. aliis 3. R. S. A. 3. M. 6. D. 13. obiit 946.
Angapetus 2. Rom. S. A. 10. M. & D. 10. obiit 955.
Joannes 12. Rom. S. A. 8. M. 4. D. 6. dejicitur 963.
Leo 8. Ro. S. A. 1. M. 3. D. 7. intruſus moritur 969.
Hunc vocat Baronius Pſeudopapam, ejúſq; loco *Benedictum* 5. computat.
Joannes 13. Rom. S. A. 6. M. 11. D. 5.
Domnus, vel *Domnio* 2. Rom. S. M. 3.
Benedictus 6. Rom. S. A. 1. M. 3. occiſus 974.
Bonifacius 7. Rom. S. A. 1. M. 1. pellitur 975.
Benedictus 7. Rom. S. A. 9. M. 1. D. 10. obiit 984.
Joannes 14. Papienſis, S. M. 8. poſt quem Bonifacius Pſeudopapa, Sedem vi occupavit, eámque tenuit M. 4. D. 6.
Joannes 15. Rom. S. A. 9. M. 6. D. 12. obiit 996.
Joannes 16. Calaber, S. M. 4. ſed cenſura Baronij Pſeudo-pontifex.
Gregorius 5. Saxo, S. A. 2. M. 8. D. 4. moritur 999.
Sylveſter 2. Aquitanus, S. A. 4. M. 6. D. 12. obiit 1003.
Joannes 17. Rom. S. M. 4. D. 25. obiit 1004.
Joannes 18. Rom. S. A. 5. M. 7. D. 29.
Sergius 4. Rom. S. A. 2. M. 8. D. 13. obiit 1013.
Benedictus 8. Rom. S. A. 12. obiit 1024.
Joannes 19. Rom. S. A. 9. M. 8. D. 9.
Benedictus 9. Rom. S. A. 11. obiit 1045.
Gregorius 6. Ro. S. A. 1. M. 7. D. 20. reſignat 1046.
Clemens 2. Saxo, Bambergenſis antè Epiſc. S. M. 8. D. 7. obiit 1047.

Damaſus 2. Bavarus, S. D. 23. obiit 1048.
S. Leo 9. German. Alſaticus Comes, Tullenſis antè Epiſc. S. A. 5. M. 2. D.8. obiit 1054.
Victor 2. Germanus, Epiſc. Eiſtetenſis prius, S. A. 2. M. 3. D. 16. obiit 1057.
Stephanus 10. Lotharingus, S. Menſ. 8. D. 15. obiit 1058.
Nicolaus 2. Allobrox, S. An. 2. Menſ. 6. D. 1. obiit 1061.
Alexander 2. Mediolanenſis, S. A. 11. M. 6. D. 22. obiit 1073.
Gregorius 7. Etruſcus, S. An. 12. Men. 1. D. 3. obiit 1085.
Victor 3. Beneventanus, S. A. 1. M. 3. D. 14. ob. 1087
Urbanus 2. Gall. S. A. 11. M. 4. D. 18. 1099.
Paſchalis 2. Tuſcus, S. A. 17. M. 5. D. 4. obiit 1118.
Gelaſius 2. Cajetanus, S. A. 1. D. 5. obiit 1119.
Caliſtus 2. Burgundus, S. An. 5. Menſ. 10. D. 13. obiit 1124.
Honorius 2. Bonon. S. A. 5. M. 1. D. 17. obiit 1130.
Innocentius 2. Rom. S. A. 13 M. 7. ob. 1143.
Cœleſtinus 2. Tuſcus, Sed. Menſ. 5. D. 13. obiit 1144.
Lucius 2. Bononienſis, S. Menſ. 11. D. 14. obiit 1145.
Eugenius 3. Piſanus, S. A. 8. M. 4. D. 13. ob. 1153.
Anaſtaſius 4. Romanus, S. A. 1. M. 4. D. 4. obiit 1154.
Adrianus 4. Angelus, S. An. 4. M. 8. D. 4. obiit 1159.
Alexander 3. Senenſis, S. A. 22. min. 7. diebus obiit 1181.
Lucius 3. Lucanus, S. A. 4. M. 2. D. 28. obiit 1185.

Urba-

Digitized by Google

Urbanus 3. Mediolanenſis, S. A. 1. M. 10. D. 25. obiit 1187.

Gregorius 8. Beneventanus, S. M. 1. D. 27. obiit 1187.

Clemens 3. Roman. S. A. 3. M. 2. D. 20. obiit 1191.

Cœleſtinus 3. Rom. S. A. 6. M. 9. D. 11. obiit 1198.

Innocentius 3. Anagninus, S. A. 18. M. 6. D. 3. obiit 1226.

Honorius 3. Rom. S. A. 1. M. 8. 1227.

Gregorius 9. Anagninus, S. A. 14. M. 5. D. 2. obiit 1241.

Cœleſtinus 4. Mediolanenſis, S. D. 17. poſt quem vacat ſedes Apoſtolica, M. 20. obiit 1241.

Innocentius 4. Genuenſis, S. A. 1. M. 5. D. 15. obiit 1245.

Alexander 4. Anagninus, S. A. 6. M. 3. D. 4. obiit 1260.

Urbanus 4. Trecenſis Gallus, S. An. 3. M. 1. D. 4. 1264.

Clemens 4. Narbonenſis Gallus, S. A. 3. M. 9. D. 14. obiit 1268.

Gregorius 10. Placentinus, S. A. 4. M. 4. D. 10. obiit 1276.

Innocentius 5. Tarentaſius Allobrox, S. M. 5. D. 1. obiit 1276.

Adrianus 5. Genuenſis, Sed. Menſ. 1. D. 6. obiit 1276.

Joannes 20. Luſitanus, Sed. Menſ. 8. D. 8. obiit 1277.

Nicolaus 3. Rom. S. A. 2. M. 8. D. 29. ob. 1280.

Martinus 4. Turonenſis Gallus, S. A. 4. M. 1. D. 7. 1285.

Honorius 4. Rom. Sed, A. 2. D. 2. obiit 1287.

Digitized by Google

Nicolaus 4. Aſculanus ex Apulia, S.A.4.Menſ.1. D.14.1292.

Cœleſtinus 5. Sulmon. Italus, S.M.5.D.7.1294.

Bonifacius 8. Anagninus, S.A.8.M.9.D.18. 1303.

Benedictus 9. Tarviſinus, S.M.8.D.6. vacat Sedes M.11.1304.

Clemens 5. Burdegalenſis Gallus, S. A. 8. M. 10. D.16. obiit 1314.

Joannes 21. Cadurcenſis Gallus, S.A.18.Menſ.3. D.28.obiit 1334.

Benedictus 10. Tholoſanus, S.A.7. Menſ.4.D.6. obiit 1342.

Clemens 6. Lemovicenſis Gallus, S. A. 10. M.7. obiit 1352.

Innocentius 6. Lemovicenſis, S.A.9.M.8.D.26. obiit 1362.

Urbanus 5. Mimatenſis Gallus, S.A.8.M.2.D.23. obiit 1370.

Gregorius 11. Lemovicenſis, S. A.7. M.2. D.29. obiit 1378.

Urbanus 6. Neapolitanus, S. A. 11. Menſ.6.D.7. obiit 1389.

Bonifacius 9. Neapolit. S.A.14.M.11.obiit 1404.

Innocentius 7. Sulmonenſis, S.A.2.D.21.ob.1406

Gregorius 12. Venetus, S.A.2.M.7.D.5.obiit 1410

Alexander 5. Cretenſis, S. M.10.D.8. obiit 1415.

Joannes 22. Neapolitanus, S. A.5. D.15. deponitur 1425.

Martinus 5. aliis III. Romanus, S. A. 13. M.3. D. 10. obiit 1431.

Eugenius 4. Venetus, S.A.15.M.11.D.21.ob.1446.

Nicolaus 5. Lucanus, S.A.8.D.15.obiit 1455.

Caliſtus 3. Valentinus, S. A. 3. M. 4. obiit 1458.

Pius

Pius 2. Senenſis, S.A.5. M. 11. D.27. obiit 1464.
Paulus 2. Venetus, S.A.6. M.10. D.26. obiit 1471.
Sixtus 4. Savonenſis, S. A.13. D.4. obiit 1484.
Innocentius 8. Genuenſis, S. An.7. M.10. D.27. obiit 1492.
Alexander 6. Valentinus Hiſpanus, S.A.11.D.8. obiit 1503.
Pius 3. Senenſis, Sed. Dies 14.
Julius 2. Savonenſis Ligur. S. A. 9. M. 3. D. 21. obiit 1513.
Leo 10. Florentinus, S.A.8.M.8.D.20.obii.1517.
Adrianus 6. Ultrajectinus Belga, S. A.1. M.8. D.6. obiit 1523.
Clemens 7. Florentinus, S.A.10.M.10.D.7.obiit 1534.
Paulus 3. Rom. S.A.15.D.28.obiit 1549.
Julius 3. Aretinus, S.A.5. M.1.D.16.obiit 1551.
Marcellus 2. Politianus Italus, S.D.21.
Paulus 4. Neapolitanus, S. A.4.M.2.D.17.moritur 1559.
Pius 4. Mediolanenſis; S. A. 5. Menſ. 11. D.15. obiit 1565.
Pius 5. Alexandrinus Italus, S. A.6. M.3. D.16. obiit 1572.
Gregorius 13. Bononienſis, S. A. 13. minus uno Menſe obiit 1585.
Sixtus 5. ex Marchia Anconitana, S. A. 5. M.4. D.20.obiit 1589.
Urbanus 7. Romanus, Sed.D.12.obiit 1590.
Innocentius 9. Bononienſis, S.M.2.obiit 1592.
Clemens 8. Florentinus, S.A.13. M.1. obiit 1605.
Leo 11. Florentinus, S. Dies 28.
Paulus 5. Burgheſius, obiit 1621.

Gregor. 15. obiit 1623.
Urbanus 8. Barberinus, ob. 1644.
Innocentius 10. Phamphilius electus 15. Sept. 1644
Fabius Chisius, *Alexander* 7.

SCHISMATA.

I

Schisma in Ecclesia, Novatiani Antipapæ contra Cornelium, A. C. 253.

II.

Schisma Felicis cum Liberio, sed utérque aliquo tempore legitimus fuit. A. C. 352

III.

Schisma Ursicini contra Damasum A. C. 367.

IV.

Schisma Eulalij contra Bonifacium. A. C. 419.

V.

Schisma Laurentij contra Symmachum. 499.

VI.

Schisma Dioscori contra Bonifacium II. 534.

VII.

Schisma per Vigilium contra Sylverium. 537.

VIII.

Schisma per Theophilactum Antipapam. 767.

IX.

Schisma per Zinzinum Antipapam 824.

X

Schisma per Anastasium Antipapam. 855.

XI.

Schisma Sergij cõtrà Antipapæ Formosum. 895.

XII.

Schisma inter Leonem & Benedictum & Joannem 12. 964.

Schisma

XIII.

Schiſma per Antipapam Joannem contra Greg. V. 995.

XIV.

Schiſma Sylveſtri & Joannis Antipaparum.

XV.

Schiſma per Benedictum Antipapam.

XVI.

Schiſma per Honorium Antipapam contra Alexandrum. 1061.

XVII.

Schiſma per Guibertum qui Clemens dici voluit. 1080.

VXIII

Schiſma Alberti & Theodorici contra Paſchalem.

XIX.

Schiſma Leonis contra Innocentium II.

XX.

Schiſma Victoris, Calliſti & Paſchalis contra Alexandrum. 1159.

XXI.

Schiſma Lud. Imperatoris per Nicol. Antipapam contra Joannem. 1327.

XXII.

Schiſma omnium graviſſimum, Clementis Antipapæ contra Urbanum VI. nam Clementi ſucceſſit in Schiſmate Benedictus 13. cui Schiſmati volens concilium Piſanum remedium adhibere, illud auxit creato Alexand. V. inde enim tres Pontifices ſimul ſedebant: Gregorius 12. Benedictus 13. & Alexander 5. & paulò pòſt Joan. 23. 1378.

Schiſma

XXIII.

Schiſma Clementis Antipapæ contra Martinum V. mortuo Benedicto XIII. 1424.

XXIV.

Schiſma Felicis Antipapæ contra Eugenium IV. an. C. 1439.

SACRO-SANCTA CONCILIA.

CONcilium I. Hieroſolymitanum, ſub S. Petro Anno Chriſti 51.

------generale primum Niceæ habitum 318. Epiſcoporum, in quo Arius Damnatus fuit. Anno C. 325.

II.

Synodus generalis, prima Conſtantinopolitana, contra Macedonium & alios negantes Divinitatem Spiritus Sancti.

III.

Synodus generalis habetur Epheſi. Anno 431. contra Neſtorium.

IV.

Synodus generalis habetur Chalcedone an. 451 contra Eutichetem & Dioſcorum.

V.

Synodus generalis Conſtantinopolitana II.

VI.

Synodus generalis Conſtantinopolitana III. contra Monothelitas. An. 690. celebratur Synodus quini ſexta, unde ſunt canones Trullani: quam Beda meritò erraticã vocat.

VII

VII.

Synodus generalis, Nicena ſecunda. NB. Inter Leonem IV. & Bened. III. fingitur JOANNES FOEMINA.

VIII.

Synodus generalis conſtantinopolitana IV. contra Photium pro S. Ignatio Patriarcha.

Synodus Conſtantinopolitana pro reſtitutione Photij.

Concilium generale Lateranenſe primum anno 1119. ſub Gelaſio II. Pontifice.

Concilium generale Lateranenſe II. ſub Innocentio II. anno 1136.

Concilium generale Lateranenſe III. ſub Alexandro VI. anno 1180.

Concilium generale Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. anno 1215.

Concilium generale Lugdunenſe primum, ſub Innocentio IV. in quo deponitur Fridericus Imperator, & decernitur expeditio pro terra ſancta recuperanda.

Conciliũ generale Lugdunenſe II. ſub Greg. X. pro unione Græcorum cum Latinis.

Conciliũ generale Viennenſe ſub Clemente V. in quo deletus fuit ordo Templariorum.

Conciliũ generale Cõſtantienſe, pro Schiſmate tollendo, in quo Greg. XII. abdicavit ſponte.

Concilium generale Florentinũ, ſub Eugenio IV. pro unione Græcorum cum Latinis.

Conciliũ generale Lateranenſe V. inchoatur ſub Julio an. 1511. abſolvitur ſub Leone 1518.

Concilium Tridentinum generale inchoatur 1545. concluditur ſub Pio VI. 1563.

PRO

PROPHETIA
S. MALACHIÆ

Archiepiſcopi Dunenſis in Hibernia Ord. Ciſterſienſis coætanei S. Bernardi qui vixit Anno Chriſti 1140.

DE SUMMIS PONTIFICIBUS
à vitæ ſuæ tempore futuris temporibus ſecuturis.

Additis per columnas nominibus annis Chriſti & explicationibus Prophetiarum à R. P. Alphonſo Ciacono Ordinis Prædicatorum editis.

Prophetia per illam designata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Chriſti ex Onuph.*	*Explicatio Prophetiarum.*
Ex Caſtro Cœ-Tiberis.	Cœleſt. 2.	1143.	Typhernas ex Onuphrio dictus antè Guido de Caſtello.
Inimicus ex-pulſus.	Lucius 2.	1144.	De familia Caccianemica.
Ex Magnitu-dine Montis.	Eugen. 3.	1145.	Patria Hetruſcus oppido Montis Magni. Abbas

Abbas Sub-urranus.	Anaſtaſ. 4.	1153. De familia Sub-urra.
De Rure Albo.	Adrian. 4.	1154. Vili natus in oppido S. Albani.
De Tetro Carcere.	*Victor* 4.	1159. *Fuit Cardinalis S. Nicol. in Carcere Tulliano.*
Via Trans-tyberina.	*Caliſtus* 3.	Guido Cremenſis antè dictus Cardinalis S. Mariæ trãs Tyberim.

Prophetia per illam deſignata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Chriſti ex Onuph.*	*Explicatio prophetiarum.*
De Pannonia Tuſciæ.	*Paſchalis* 4.	1164.	*Antipapa Hungarus natione, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.*
Ex Anſere Cuſtode.	Alexand. 3.	1159.	De Familia Paparocca vel Paparona: Alexander enim in inſignib⁹ habet Rocca, id eſt turrim vel cuſtodiam, Papero autem & Occa anſerem notat Italis.
Lux in oſtio.	Lucius 3.	1181.	Lucenſis Cardinalis Oſtienſis.
Sus in Cribro.	Urban. 3		Mediolanenſis familia Cribella, qui Suem pro armis gerit & Cribrum.

Enſis

Enſis Laurentij.	Gregorius.8.	1181. Cardinal. S.Laurētij in Lucina cujus inſignia enſesfalcati.
De Schola exiet.	Clem. 3.	1188. Romanus ex domo ſeu familia Scholarium.
De rure Bovēſi.	Cœl.3	1191. Familia Bovenſi.
Comes Signatus.	Innoc. 3.	1198. Familia Comitum Signiæ.
Canonicus de Latere.	Honorius 3.	1220. Familia Sabella Canonicus S. Joannis Lateranenſis.
Avis Oſtienſis.	Greg.9.	1227. E familia Comitum Signiæ Epiſcop. Cardinalis Oſtienſis.

Prophetia per illam deſignata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Chriſti ex Onuph.*	*Explicatio Prophetiarum.*
Leo Sabinus.	Cœleſt.4.	1241.	Mediolanenſis, cujus inſignia Leo, Epiſcopus Cardinal. Sabinus.
Comes Lautentius.	Innocen.4.	1243.	Domo Fliſca Comes Lavaniæ, Cardinalis S.Laurentij in Lucina.
Signum Oſtienſe.	Alexander 4.	1254.	De Comitibus Signiæ Epiſc. Cardinalis Oſtienſis.
Ieruſalem Campaniæ.	Urban.4.	1261.	Domo Gallº, humillimo in Tricaſſibus loco natus, olim Patriar

			Patriarcha Hieroſolamitanus.
Draco depreſſus.	Clem. 4.	1265.	Ejus inſignia Aquila unguibus Draconem tenens.
Anguineus Vir.	Greg. 10.	1269.	Mediolanenſis è Familia vice-Comitum quibus Anguis ſymbolum eſt.
Concionator Gallus.	Inno. 5.	1271.	Domo Gallus, Monachus Ordinis Prædicatorum.
Bonus Comes.	Hadr. 5.	1276.	Anteà dictus Orto Bonus, è familia Fliſca de Comitibus Lavaniæ.
Piſcator Tuſcus.	Joan. 21.	1276.	Antea Joannes Petrus Epiſc. Cardinalis Tuſculanus.

Prophetia per illam deſignata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Chriſti ex Onuph.*	*Explicatio Prophetiarum.*
Roſa Compoſita.	Nicol. 3.	1277.	E familia Viſina quæ Roſam in Inſigni gerit, dictus Compoſitus.
Ex Telonio Liliacei Martini.	Mart. 4.	1281.	Ejus inſigne Lilia, Canonicus & Theſaurarius S. Martini Turonenſis.

Ex

Ex Roſa Leonnia.	Honor.4.	1285.	E familia Sabella, inſignia habuit Roſam à Leonibus geſtatam.
Picus inter Eſcas.	Nicol.4.	1288.	Picenus, Patria Eſculanus.
Ex Eremo, Celſus.	Cœleſtin.5.	1294.	Antea Petrus de Morone vocatus, olim Eremita, morum autem Italis Celſus ſonat.
Ex Undarum benedictione.	Bonif.8.	1294.	Ante Benedictus Cajetanus, ejus Inſignia Undæ.
Concionator Pataræus.	Benedictus 11.	1303,	Ante frater Nicolaus Ord. Prædicatorum, ad S. Nicol. nomen, qui Patria Pataræus alludens.
De Feſſis Aquitanis.	Clem. 5.	1305.	Nar Aquitanus, ejus inſignia Feſſæ.
De Sutore Oſſio.	Joan.22.	1316.	Natione Gallus è Familia Oſſana, cujus Pater Sutrinam faciebat.

Prophetia per illam deſignata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Chriſti ex Onuph.*	*Explicatio Prophetiarum.*
Corvus ſchiſmaticus.	*Nicol. 5.*	1327.	*Qui antea vocabatur Frater Petrus de Corbario, contra Joannem XXII. Antipapam; Minorita.*

Frigidus Benedict. 12. Abbas.		1334. Abbas Monaſterii Montis Frigidi Ord. Ciſtercienſis.
De Roſa Atre-batenſi.	Clem.6	1342. Epiſcopus Atrebatenſis, cuj⁹ Symbolum Roſæ.
De montibus Pammachii.	Innoc.6.	1352. Cardinalis S. S. Joannis, Pauli & Pammachii, ejus inſignia ſex montes.
Gallus Vice-Comes.	Urban V.	1362. Natione Gallus, Nũcius Apoſtolicus ad Vice-Comites Mediolanenſes.
Novus de Virgine Forti.	Greg.11	1370. Qui vocabatur Petrus vel Fortis olim Cardinalis S. Mariæ Novæ.
De Cruce Apoſtolica.	Clem. 7	1378. *Qui fuit Presbyter Cardinalis S.S.12. Apoſtolorum, ejus inſignia Crux.*
Luna Coſmedina.	Benedict. 13	1394. *De Luna Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedina.*
Shiſma Barchinoninum.	Clem.8.	1424. *Antipapa olim Canonicus Barchinonenſis.*

Prophetia per illam deſignata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Chriſti ex Onuph.*	*Explicatio Prophetiarum.*

De

De Inferno Prægnanti.	Urbanus 5.	1378. Neapolitanus Prægnanus natus in loco, qui dicitur Infernus. Idem fuit Archiepiſcopus Acherontinus.
Cubus de Mixtione.	Bonifac. 10.	1389. E familia Tomacella à Genua Liguriæ, cujus inſignia Cubi.
De meliore ſidere.	Innoc. 7.	1404. Vocatus Coſmatus de Melioratis, Sulmonenſis, ejus inſignia Sidus.
Nauta de Ponte Nigro.	Greg. 12.	1406. Venetus Commendatarius Eccleſiæ Nigri Pontis.
Flagellum Solis.	Alexander 5.	1409. Domo Græcus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, ejus Inſignia Sol exoriens: Flagellum Mediolanenſis Eccleſiæ eſt, cui Sanctus Ambroſius cum Flagello adpictus.
Cervus Sorena.	Joannes 23.	1410. Diaconus Cardinalis S. Euſtachii, qui cum Cervo depingitur, Bononiæ Legatus Neapolitanus.

Cor

Prophetia per illam deſignata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Chriſti ex Onuph.*	*Explicatio Prophetiarum.*
Cornua Veli aurei.	Martinus 5.	1417.	E familia Colõna Diaconus Cardinalis S. Gregor. ad Velum aureum.
Lupa Cœleſtina.	Eugenius 4.	1431.	Ante Canonicus Regularis cœleſtinus, Epiſcopus Senenſis, cujus Civitatis inſignia Lupa.
Amator Crucis.	Fœlix 5.	1439.	Ante Amadæus Dux Sabaudiæ, ejus inſignia Crux.
De modicitate Lunæ.	Nicol. 5.	1447.	Lunenſis de Sarzana humili loco natus & modicus.
Bos paſcens.	Caliſt. 3.	1455.	Hiſpanus natione, ejus inſignia Bos paſcens.
De Gapta & Albergo.	Pius 2.	1458.	Venetus Commendatarius Eccleſiæ Cervicenſis Card. titulo S. Marci, olim Secretarius Cardin. Captæ & Albergati.
Piſcator Minorita.	Sixt. 4.	1471.	Filius Piſc. Ord. Minor. S. Franciſci.
Præcurſor Siciliæ.	Innoc. 8.	1484.	Anteà Joã. Bapt. cum viveret in Aula Alphõſi Sicil. Regis.

Digitized by Google

Prophetia per illam designata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Christi ex Onuph.*	*Explicatio Prophetiarum.*
Bos Albanus in Porta.	Alex. 4.	1492.	Episcopus anteà Cardinalis Albanus & Portuensis, ejus insignia Bos.
De parvo homine.	Pius 3.	1503.	Senensis è familia Picolomin. qui parvi tēporis spatio sedit.
Fructus Jovis juvabit.	Julius 2.	1503.	Ligur. & Pacem doct⁹, & arma senex, ejus insignia quercus quæ Jovi sacra arbor.
De Craticula Politiana.	Leo 10.	1515.	Filius Laurentii Medicæi, & Angeli Politiani olim discipulus, craticula autē S. Laurentiū notat.
Leo Florentius.	Adrian 6.	1522.	Belga Patre nat⁹, cujus nomen Florētius, ut & ipsi: insignia habuit Leonē.
Flos Pilæ nigræ.	Clemens 7.	1523.	Florentinus è familia Medicæa, ejus insignia Pila & Lilia.
Hyacinthus Medico.	Paulus 3.	1534.	Farnesius qui Lilia symbolū habuit, & Cardinalis fuit SS. Cosmæ & Damiani, qui Medici.

De

Prophetiæ per illam deſignata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Chriſti ex Onuph.*	*Explicatio Prophetiarum.*
De Corona Montana.	Julius 3.	1550.	Anteà dictus Joã. nes Maria de Monte, cujꝰ inſignia sũt Mõtes & Coronæ ex Lauro.
Frumentum Flocci-dum.	Marcel-lus 2.	1555.	Inſignia ejus Cervus & frumentum, ideo floccidum, quia pauxillo tempore in Pontificatu vixit.
De Fide Petri.	Paulus 4.	1555.	Dictus Joannes Petrus de Carafe, id eſt Chara fide.
Æſculapii Pharmacum.	Pius 4	1560.	Dictus Joannes Angelus Medicus.
Angel. Nemoroſus.	Pius 5.	1560.	Anteà dictus Michaël Boſchi.
Medium corpꝰ Gr. 13. pilarum.		1572.	Inſignia medius Draco Cardinalis factus à Pio IV. qui pilas in armis geſtabat.
Axis in medieta-te ſigni.	Sixtus 5.	1585.	Qui pro inſigni Axem in medio Leonis geſtabat.
De Rore cœli. Urb. 7.		1590.	Fuit Archiepiſcopus Roſſonenſis in Calabria ubi Manna colligitur.
Ex antiq. urbis. Gr. 14.		1590.	Mediolanenſis 9.
Pia Civitas Innoc. 9. in bello.		1590.	Bononienſis.

Flo-

Prophetia per illam deſignata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Chriſti ex Onuph.*	*Explicatio Prophetiarum.*
Crux Romulea.	Clemens 8.	1592.	Florētinus dictus Card. Alexandr. inſignia ejus triplex obliqua Crux Papalis.
Undoſus Vir.	Leo 11.	1605.	Flor. XI. ejᵍ nominis, cujus vita inſtar undæ paucis diebus diffluxit, nempè poſt 24. dies.
Gens perverſa	Paul. 5.	1605.	Romanus cujus tēpore gens perverſa Bohemorū, hęretica labe infecta, contra Religionē Catholicam & Eccleſiæ Columnam domū Auſtriacam inſurgens totam Rempublicā Chriſtianā turbavit.
In Tribulatione pacis.	Gre. 15.	1921.	Bononienſis, anteà Card. Ludoici dictus, à Paulo V. prædeceſſore factus, in antepenultima creatione Card. ab eóque ſtatim pòſt Legatus ad Sabaudiæ Ducem: pacē inivit inter prædictū Ducem & Hiſpaniarum Regem.

Lilium

Prophetia per illam designata.	*Nomina Pontificum.*	*Annus Christi ex Onuph.*	*Explicatio Prophetiarum.*
Lilium & Rosa.	Urban. 8.	1623.	Domo Florentinus, quæ Civitas à Flore Roseo nomen habet; & pro insigni liliũ gerit, ante verò quàm Pōtifex esset renunciatus, apes florilegas symbolum habuit, vel quia ipsius tēpore in Gallia, quæ per Liliũ significatur, & in Anglia, quæ per rosam innuitur maxima bella fuerunt, ipse etiã ante Pontificatum Henrici IV. prolem ex Baptismo levavit.
Jucunditas Crucis.	Inn. 10.	1644.	Et hic est, qui post tot cruces & afflictiones Bellorum jucunditatem pacis nobis allaturus est.

1. Montium Custos.
2. Sidus olorum.
3. De Flumine Magno.
4. Bellua insatiabilis.
5. Pœnitentia Glorioſa.
6. Rastrum in Porta.
7. Flores Circundati.
8. bona Religione.
9. Miles in Bello.
10. Columna excelsa.

Alexander 7. Modernus Papa.

Prophetia S. Malachiæ.

11. Animal rurale.
12. Roſa umbriæ.
13. Viſus velox.
14. Peregrinus Apoſtolicus.
15. Aquila Rapax.
16. Canis & Coluber.
17. Vir Religioſus.
18. De Balneis Hetruriæ.
19. Crux de Cruce.
20. Lumen in Cœlo.
21. Ignis ardens.
22. Religio depopulata.
23. Fides intrepida.
24. Paſtor Angelicus.
25. Paſtor & Nauta.
26. Flos Florum.
27. De medietate Lunæ.
28. De Labore Solis.
29. Gloria Olivæ.

In perſecutione extremâ ſacræ Romanæ Eccleſiæ ſedebit Petrus Romanus, qui paſcet oves in multis tribulationibus, quibus tranſactis Civitas ſepticollis diruetur, & judex tremendus judicabit populum.

Huc uſque meritiſſimus de S. R. E. Archiepiſcopis & Primas Hiberniæ S. Malachias Monachorum gloria, melliflui Doctoris Bernardi amiciſſimus.

Series

SERIES REGUM
Romanorum ſecundùm Livium & Halicarnaſſeum.

ROMULUS reg. an. 37.

Inter regnum fuit ann. 1.

NUMA POMPILIUS reg. an 43.

TULLUS HOSTILIUS reg. an. 32.

ANCUS MARTIUS reg. an. 24.

L. TARQUINIUS PRISCUS reg. an. 38.

SERVIUS TULLIUS reg. an 44.

TARQUINIUS SUPERBUS reg. an. 25.

Hic poſtquam regno ob tyrannidem pulſus, continuatum eſt per Conſules Imperium, per Tribunos, Livius *lib.* 2. per Magiſtratus Decem virorum, Livius *lib.* 3. per Dictatores, Livius *lib.* 2. per Tribunos militares, Livius *lib.* 5.

Digitized by Google

Series Imperatorum usque ad

FERDINANDUM III.

AUSTRIACUM;

Bello clara & æquè doctrinâ insignis.

C. *Julius Cæsar.* à Bruto & Cassio conjuratis 23. vulneribus confossus periit. An. V. C. 709. ætatis 56. die illa *parricidii*, deinceps nomine notata. Is amico cuipiam insidias undique imminentes sibi denuntianti, *Atqui satis est*, inquit, *insidias subire* SEMEL, QUAM CAVERE SEMPER. cæterum M. T. Cicero in officiis scribit C. JUL. CAE. Imperii consuetudine captum, semper in ore habuisse Euripidis *versus in Phœnissis*, *Quod si violandum est jus, regnandi causa violandum est: aliis rebus pietatem colas.*

Octaviânus Cæsar Augustus, obiit Nolæ A. C. decimo sexto, hic nihil minus in perfecto Duce convenire dixit, quàm festinationem & temeritatem: hinc ipsius symb. *Festina lentè*, & aliud. *Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo.* an. 45. natus à Deo precatus est *Scipionis fortitudinem*, *benevolentiam Pompei*, *fortunam Cæsaris.*

Claudius Tiberius Nero, ob ebrietatem aliàs *Caldus Biberius Mero* dictus obiit A. C. 39. ætat. 78. symb. *melius tondere quàm deglubere*, alludens ad

ad illud Alexandri M. *odi olitorem radicitus olera exſcindentem*, durus enim eſt is Princeps, qui pennas ſubditis incidat, at nolit eaſdem renaſci,

Caius Caligula, triginta vulneribus confoſſus A. C. 43. ætatis 29. ſymb. ejus: *oderint dum metuant*, non conſiderans illud Taciti, *metum & terrorem infirma eſſe charitatis vincula: quæ ubi removeris, qui timere deſierint odiſſe incipere: & repertis auctoribus animos tollere*: altera ipſius vox magis carnifice, quàm Imperatore dignior, *optare ſe unam duntaxat cervicem habere populum Romanum*, cui populus inſultans reſpondit: *At tu*, inquit, *unam cervicem habes, nos verò manus multas.*

Tiberius Claudius Druſus, Princeps, ut ambiguum ſit crudelitate, an ſtultitia magis fuerit decoratus, veneno periit A.C.56. ætat. 64. ſymb. ejus. *Generis virtus nobilitas.*

Domitius Nero, ſeipſum conficit. An. Chr. 70. ætat. 32. hic ab Aſtrologis admonitus, fore aliquando, ut Imperio exueretur, vocem hanc ſibi uſurpaſſe fertur, *artem quævis terra alit*, artem nimirum intelligens *cithariſticam*, in qua tantopere excelluit, ut cum hoſtibus ſe perſequentibus de ſalute ſua deſperans, vim ſibi adferre cogitaret, in hæc verba erumperet, *quantus artifex pereo.*

Sergius Sulpitius Galba, occiſus An. Chr. 71. ætatis 73. ſymb. *Miles legendus, non emendus.*

Salvius Otho, in pugionem erectum incumbendo ſe ipſum perimit, An. Chr, 71. ætat. 38. ſymb. ejus, *unus pro multis.*

Aulus Vitellius, injecto cervicibus laqueo seminudus in forum tractus, tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, inde unco tractus in Tyberim, An.Chr.71. ætat. 57. symb. *bonus odor hostis, melior civis occisi.*

Flavius Vespasianus, moritur, dicens Imperat.stantem mori oportere, ventris profluvio An.Christi 81. ætat. 69. symb. h. *lucri bonus odor ex re qualibet.* Princeps cæteroquin prudens & justus, si non vectigal ex lotio commentus esset, nam Curtius *l.* 1. inquit *Princeps se Regem esse non mercatorem meminerit.*

Titus Vespasianus, sub quo administrante bellum filio Tito Hierosolymâ devastatâ A. C. 83. ætat. 41. à fratre *Domitiano*, veneno sublatus esse suspicatur. sym. *Princeps, orbis amor bonus.* Aliud; *non oportet quemquam à conspectu principis tristem discedere.*

Flavius Domitianus edictis suis præscribi mandabat, *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Unde Martialis Lib. 8. ipsi blanditur.

Edictum Domini, Deique nostri.

Et Statius lib. 4. *en hic est Deus, hunc jube beatis pro se Jupiter imperare terris.* A. C. 98. ætat. suæ 45. per inguina confossus: symb. *Fallax bonum regnum.*

Nerva Cocceius, in senectute Imperator electus, debilitate stomachi moritur, Anno Christi 100. ætat. 66. symb. ejus. *Mens bona regnum possider.*

Ulpius Trojanus Hispanus, repentina morte obiit, An. Chr. 119. ætat. 61. Princeps gratissimus: ejus symb. *Qualis Rex, talis grex.*

Ælius

Digitized by Google

Ælius Adrianus, obiit An. Chr. 140. ætat. 63. animam moriturus ſic alloquitur.

Animula vagula, blandula, hoſpes coméſque Corporis, quæ nunc abibis in loca, pallidula, Rigidula, nudoſa, nec ut ſoles dabis jocos.

ſymb. ejus. *Non mihi ſed populo.*

Antoninus Pius, ob virtutes quibus inclaruit, *Pius & pater patriæ* denominatus, obiit febri ætat. 75. ſymb. ejus; *melius ſervare unum, quàm occidere mille.*

M. Aurelius Antoninus, cognomento Philoſophus, à medicis inſtigante filio ſuo tollitur, A. ætatis 59. ſymb. *regni clementia cuſtos*: aliud, *conſulendum & parendum Conſilio*, alludens ad illud Taciti, *lib.* 20. *nullum majus boni imperij inſtrumentum eſſe quàm bonum Amicum.* Hic regni Collegam aſſumpſit L. VERUM, qui comeſſationibus fatigatus apoplexia moritur: ſymb. ejus, *nil obiter* cogitans illud Sophoclis, *quiſquis ſapit celeriter, non tutò ſapit*, hoc tempore primùm duo ſimul regnare viſi ſunt Imperatores, qui etiam in jure Juſtinianeo paſſim divi fratres appellantur.

Aurel. Commodus, Antonini degener filius, in rebus turpibus ac facinoroſis ſcurra magis aut gladiator commodus, quàm Princeps & Imperator ſtrangulatur, A.C. 194. ætat. 31. ſymb. *Pedetentim & paulatim.*

Ælius Pertinax, hinc dictus quod imperium invitus acceperit, patre coquo natus, primùm Profeſſor Grammat. fuit: ac item per ſingulos militiæ gradus aſcendit, à Prætorianis militib⁹ occiſus, An. Chr. 195. ætat. 67. ſym. ejus: *militemus.*

Didius Julianus uti emerat imperium, ſic illud etiam iterum repentè amittebat, *malè enim, imò peſſimè ſe res habet, cum id quod virtute effici debet, tentatur pecunia*, occiditur poſtquam regnaſſet dies 66. ſymb. ejus, *in precio precium.*

Septimius Severus, de quo Senatus judicabat, illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori, quod & nimis crudelis, & nimis utilis Reipublicæ videretur, moritur Eboraci, A.C. 213. ætatis 65. ultimum in ore habuit. *Cuncta fui, ſed nihil mihi prodeſt*, ſymb. *laboremus.*

Antoninus Caracalla, regni moderandi ſocium nactus *Getan*, quem perimens, tandem opera Macrini à Satellite pugione trucidatur. A. C. 219. ætat. 29. ſymb. ejus: *Omnis in ferro ſalus*; malè judicans, non diu poſſe, quæ multorum malo exerceretur, ſtare potentiam, quoniam præſidium charitate & benevolentia civium ſeptum oportet eſſe, non armis. *Geta* ſymb. erat. *nulla fides regni*, nam ut Seneca, *nec regna ſocium ferre, nec tæda ſciunt.*

Opilius Macrinus unà cum filio Diadumeno, novem annorum puero ſibi in Collegam allecto, à militibus rebellantibus occiſus A. C. 220. ætat. 54. ſymb. *ferendum ac ſperandum.*

Avitus qui & *Heliogabalus*, ingentibus vitiis Imperium decoravit, in latrina cum matre occiſus, in Tiberim mergitur, A. C. 224. ætatis 18. ſymb. *ſuus ſibi quiſque hæres optimus.*

Aurel. Severus Alexander, miro omnium conſenſu, acclamatus eſt Imperator, Princeps ſtrenuus & pius, in Germanica expeditione unà cum

Digitized by Google

cum matre interficitur à ſuis. A. C. 237. ætat. 29. ſymb. *Quod tibi hoc alteri.*.

Julius Maximinus Thrax, qui olim Paſtor fuerat, ſit Imperator & Auguſt. ſalutatur, à ſuis *in tabernaculo ſuo* occiditur, regn. annos 2. ſymb. *quo major hoc laborioſior*, imitans Alexandrum M. *quo nihil magis ſervile quàm luxuriam, nihil magis regium quàm laborem duxit.*

M. Antonius Gordianus Princeps virtuoſus in tentorio ſuo obtruncatur An. C. 246. ætatis 22. ſymb. *Ultorem ulciſcitur ultor:* & aliud: *omnis vita ſupplicium.*

Gordianus 2.	ſymb. *Pro patria mori pulchrum.*
Clodius pupienus.	ſymb. *Qui timetur timet.*
Cælius Balbinus.	ſymb. *Bonis nocet qui malis parcit.*
Gordianus 3.	ſymb. *Princeps miſer quem latet veritas.*
Julius Philippus.	ſymb. *malitia regno idonea.*

Philippus Arabs, patre latronum duce ortus. Veronæ occiditur, cùm regnaſſet an. 7. ſymb. hujus: *multa nec apta.*

Decius Trojanus, perſecutor maximus Chriſtianorum unà cum filio, in prælio commiſſo ex inſidiis circumventus, interficitur, regn. an. 1. ſymb. hujus: *apex Magiſtratus auctoritas.*

C. Ubius Tribonianus Gallus, cum filio ſuo Voluſiano ſimul perit. A. C. 254. reg. an. 4. ſymb. hujus: *Nemo Amicus idem & adulator*, quod videtur congruere dicto Biantis, qui rogatus,

ecquâ bestia omnium maximè noxia foret: *inter feras*, inquit, *tyrannus: inter cicures adulator*

Æmilianus ad tumultum præcavendum à Senatu eligitur & à suis occiditur cum regn. 3. mensibus: symb. *non gens, sed mens.*

Valerianus septuagenarius, à *Sapore* Persarum Rege captus, cui loco scabelli in ascendendo equo fuit, & tandem excoriatus, salèque conspersus miserrimè vitam finiit. symb. ejus; *non acerba sed blanda*, uti quoque Tacitus indicare videtur, *malitiosa blanditia pessima, veri affectus venenum.*

Gallienus successit Patri suo Valeriano, qui imperio neglecto se totum voluptatibus mancipavit, Ducum dolo ad Mediolanum interficitur. symb. *prope ad summum, prope ad exitum,*

Flavius Claudius Dalmata imperium laceratum resarciens, lue tactus occumbit, regn. an. 1. symbolum; *Rex viva lex.*

Valerius Aurelianus, obscuris parentibus Syrmij natus, imperium obtinuit militum favore, Reginam Orientis Zenobiam ante currum suum in triumphum duxit, reg. an 6. symb. *quo major eò placabilior.*

M. Claudius Tacitus sexto regiminis mense cadit: symb. *sibi bonus, aliis malus.*

Annius Florianus hæreditario quasi jure regnum invadit, Iharsi à suis trucidatur, regn. 2. mens. symb. *Injuria unius, minæ multorum.*

Aurel. Probus occiditur à suis regn. an. 6. mens. 4. symb. ejus: *pro stipe labor.* Epitaphium habet. Hic Probus Imperator & verè Probus situs est, victor

victor omnium gentium barbararum, victor etiam Tyrannorum.

Aurel. Carus ad fluvium Tygridem moritur. reg. a. 1. ſymb. *bonus dux, bonus comes.*

Carinus & *Numerianus*, hic paulò pòſt interfectus, ille bello occubuit: ſymb. *eſto quod audis, cedendum multitudini.*

Aulus Valer. Diocletianus, ſibi ipſi mortem accivit, anno 316. ætat. 78. ſymb. *nihil difficilius quàm benè imperare.*

Conſtantius Imperator. ſymb. *virtus dum patitur, vincit.*

Valer. Maximianus: ſymb. *tutum ſilentij præmium.*

Valer. Maximinus: ſymb. *marcet ſine adverſario virtus.*

Valerius Severus: ſymb. *ſemen Eccleſiæ ſanguis piorum.*

Aurel. Maxentius: ſymb. *Phryx plagis emendatur.*

Valer. Licinus: ſymb. *peſtis Reipublicæ litteræ.* In Imperatorem hunc patre Ruſtico natum melius quadraſſet: *hæc vox bovis eſt non hominis*, & ut aiunt *artem non habere inimicum niſi ignorantem.*

Sequitur claſſis Imperatorum, Cæſarúmque Rom. Græcorum, ante avulſum Occidentem.

FLavius *Conſtantinus magnus*, primus Chriſtianorum portus & refugiũ, Imperij Orientalis conditor, bicipitis aquilæ auctor ſumpto Pharmaco valetudinis curandæ cauſa, vitã finiit

non

non absque veneni suspicione, Anno Christi, 337. ætat. 65. imperii 31. symb. habuit : *immedicabile vulnus ense recidendum* : ad hoc symbolum quadrare videtur, quod olim Consulibus Romanis mos fuerit præferri fasces, hoc est virgas alligatas securibus : quo significabatur, malitiam & improbitatem hominum aut corrigendam esse, si ea sanari possit, aut planè potius recidendam, si emendari nequeat, nam & virgæ corrigunt & secures recidunt.

Flavius Julius Crispus, ex Minerva natus : Faustæ artibus opprimitur : symb. *homo non homo natus*. Salustius inquit, *iram atque cupiditatem pessimos esse consultores.*

Constantinus, cujus symbol. *difficilia quæ pulchra.* CONSTANTIUS. cujus symb. *patiens sit Principis auris.* CONSTANS cujus symb. *crescente superbia, decrescit fortuna*, hos inter à Patre Constantino divisum fuit Imperii corpus.

Magnentius, symbol. *pudor juveni decus, seni dedecus.*

Decentius : symb. *celare dolorem difficile.*

Julianus Apostata in bello Persico hasta per ilia ictus, sanguine manum implevit, eóque in aerem projecto, Christum contumeliosè Galilæum appellans, *vicisti*, inquit, *Galilæe vicisti*, Anno Christi 363. ætatis 38. imperavit ann. 1. mens. 8. Symbolum ; *pennis suis ferire grave.*

Jovinianus regn. 7. m. 22. dies : symbol. *Scopus vitæ Christus.*

Valentinianus obiit anno ætat. 50. regn. ann. 12. symbol. *Princeps servator justus.*

Valens

Digitized by Google

Valens fratri diſſimilis, Arianam hæreſim amplectitur : flamma periit, reg. an. 14. ſymb. *alienus ab ira, alienus à juſtitia.*

Fl. Gratianus Princeps Chriſtianiſſimus, in Gallliis à ſuo Duce Maximo interfectus, ætat. 27. ſymb. *non quàm diu ſed quàm bene.*

Valentinianus Junior occiſus A. C. 392. ætat. 27. ſymb. *Amicus veterrimus optimus.*

Theodoſius Magnus moritur A. C. 395. ætat. 50. ſymb. *Eripere telum non dare irato decet.*

Fl. Arcadius cujus ſymb. *ſumma cadunt ſubitò.*

Fl. Honorius poſt fratrem ſolus obiit An. C. 423. ætat. 39. ſymb. *malè partum, malè diſperit.*

Theodoſius 2. perit in venatione Anno Chriſti 450. ætat. 45. ſymbolum ; *tempori parendum.*

Valentinianus 3. confoditur A. C. 455. ſymb. *omnia mea mecum porto.*

Martianus ſincerè orthodoxus & pacis amantiſſimus hinc ſemper in ore habebat. *Quandiu pacatè vivere licet, non eſt Principi decorum, ut arma ſumat* regn. ann. 6. m. 6. ſymb. *pax bello potior.*

Leo I. Imperator optabat ut ſtipendia militum in ſalaria Doctorum converterentur. reg. an. 17. m. 6. *Regis clementia cuſtos.*

Zeno Iſauricus truculentus & effœminatus, dejicitur An. C. 476. ſymb. *malo nodo, malus cuneus,* quod tunc maxime intelligi debet, cum vis vi, dolus dolo, fraus fraude repellenda.

Baſiliſcus in exilio fame & frigore periit, A. C. 477. ſymb. *non nocet invidia.*

Zeno 2. lacertis propriis comeſtis, adhuc vivus tumulatur. reg. an. 17. m. 5.

Anaſtaſius primò Orthodoxus, dein hæreſin Eutichetis profitens, fulmine cadit, cum reg. ann. 27. m. 3. ſymb. *mellitum venenum blanda oratio.*

Juſtinus Thrax, Orthodoxus, reg. an. 9. dies 23. ſymb. *quod pudet, hoc pigeat.*

Juſtinianus 1. ſub hoc floruit Beliſarius Romanorum ſpes & gloria, qui tamen iterum depreſſus, ut mendicare coactus, *date obolum Beliſario, quem virtus extulit, invidia depreſſit.* Hic Imperator opera Triboniani leges condidit, & inſtauravit, ut à nativitate Chriſti anni inchoarentur; reg. ann. 38. m. 6.
ſymb. *ſummum jus, ſumma injuria.*

Juſtinus 2. regn. ann. 12. ſymbolum; *libertas res inæſtimabilis.*

Tiberius Conſtantinus, reprehenſus à Sophia Auguſta quod redacturus eſſet ad pauperiem Rempublicam, reſpondit, nequaquam, non deerunt nummi fiſco noſtro; quòd inde pauperibus largiemur. ſymb. *ſtirps pauperum thesaurus divitum.*

Mauritius ob avaritiam militibus exoſus cum conjuge ac liberis ante oculos ejus trucidatis, jugulatur, regn. ann. 16.
ſymb. *quod timidum, idem & crudele*, quorum ſepulchro hoc fuit inciſum Epitaphium, quod è Græco in Latinam Linguam translatum eſt.

Hic ſita ſum Regum dolor heu miſeranda dvorum
Mauritij conjunx, filia Tiberij.
Qua partu monſtrante meo fœcunda probavi,
multorum eſſe etiam, poſſe bonum imperium.
Militis hinc furor & populi levis ira maritum,
Me ſobolémque meam ſanguinotem a tulit.

Hei

Hei mihi ! quid gemitis Niobem ego mortua ſpiro,
Aſpera continuis ſaxa rigo lachrimis.
Cladibus haud Hecube certent Jocaſtáque noſtris,
Nam levior dolor eſt cæſus utérque parens.
Sæve quid infantes perimis vitiique dolique
Ignaros ætas quid dedit illa mali?
Non tibi Roma meis jam præbeo frondibus umbras,
Turbine Threjicio ſtirpitus interiy.

Phocas Tyrannus adempta virilitate truncatur, reg. ann. 8. ſymbol. *Fortunam citius reperias, quàm retineas.*

Heraclius, hydrope confectus, reg. ann. 30. m. 10. ſymb. *à Deo victoria.*

Heraclius Conſtantinus veneno tollitur; reg. ann. 27. ſymb. *inſania læta voluptas.*

Heracleon naſo mutilatus cum matre perit, reg. 6. m. 6. ſymb. *mali principis malus exitus.*

Conſtans 2. in balneo periit, reg. ann. 17. ſymb. *parendum neceſſitati.*

Conſtantinus 4. pogonatus reg. ann. 27. ſymb. *quod citò fit, cito perit*

Juſtinianus 2. naſo mutilatus reg. ann. 26. ſymb. *multi nimium, nemo ſatis.*

Fl. Leontius: ſym. *pulchra eſt concordia cordis & oris.*

Tiberius Abſimarus. ſym. *nimium boni, cui nihil mali.*

Redux Juſtinianus 2.

Philippicus Burdanes, privatus oculis in carcerem conjicitur: ſymb. *fortuna citò repoſcit quæ dedit.*

Anaſtaſius Arthemius Imp. 2. annos: ſymb. *Si non dat accipit ultro.*

Theodoſius 3. ſymb. *patientia remedium malorum.*

Leo 3. Iſauricus, reg. a. 25. m. 2. ſymb. *Occulti inimici peſſimi.*

Con-

Conſtantinus Copronymus, ſic dictus, quod Baptiſmum ſtercore inquinarit: ſymb. *quid ſine pectore Corpus.*

Leo 4. *quò fortuna ſi non uteris.*

Conſtantinus 7. porphyrogenitus, ſymb. *mulieri imperare res deſperata.*

Irene Conſtantino male regnanti oculos effodi curavit: reg. an. 23.

Sequuntur Cæſares Romano-Germanici.

Carolus Magnus reg. annos 13. Ingelheymii natus Patre *Pipino*, Matre Berta: Coronatus à Leone 3. Papa: Aquiſgrani ſepultus, cum hoc Epitaphio, *Sub hoc conditorio, ſitum eſt corpus Caroli Magni atque Orthodoxi Imperatoris qui Regnum Francorum nobiliter ampliavit & per annos* XLVI. *feliciter tenuit, deceſſit ſeptuagenarius, Anno Domini* DCCCXIV. *Indict.* VII. V. *Kalend. Februarii*, ætatis 72. ſymb. *Chriſtus regnat, Chriſtus vincit, Chriſtus triumphat.*

Ludovicus Pius Caroli M. filius, obiit Moguntiæ, ætatis 46. regn. an. 26. ſymbolum: *Omnium rerum viciſſitudo.*

Lotharius 1. regn. annos 19. menſ. 2. *par ſit fortuna labori.*

Carolus 2. calvus, veneno necatur à Judæo Medico ſuo: regn. ann. 2. menſ. 2. ſymbol. *Juſtiniani injuſtitia perit.*

Ludovicus 3. Balbus veneno interfectus: regn. anno 1. menſ. 6.

Caro-

Carolus 3. Craſſus, Imp. annos 8. menſ. 7. à Proceribus imperii depoſitus, ſepultus in Monaſterio Augea, habétque hoc Epitaphium: Carolus Rex Germanorum, Patritius Francorum Romanorúmque Imperator, ſymb. *Os garrulum intricat omnia.*

Arnolphus Spurius, imperavit annos 12. paralyſi vitam finit; *facilis deſcenſus averni.*

Ludovicus 4. in oppido Fercheino Imperator creatus, regn. ann. 12. in hujus obitu, ſtirps Caroli M. defecit, cum jam ann. 112. regnaſſet. ſymb. *multorum manus paucorum conſilium.*

Conradus I. Imp. annos 7. in hoc deſinit Francorum linea in Catalogo Imperatorum; ſymb. *fortuna cùm blanditur fallit.*

Henricus auceps, regn. ann. 17. moritur paralyſi ætatis 60. ſepultus eſt Quedinburgi; ſymb. *piger ad pœnas, ad præmia velox.*

Otho Magnus reg. an. 36. mortuus Viennæ, ſepultus Magdeburgi; ſymb. *aut mors, aut vita decora.*

Otho 2. regn. annos. 10. menſ. 7. ſepultus Romæ in tẽplo D. Petri Eccleſiæ Padorbornenſi auream crucem dono dedit cum hac inſcriptione.

Auri ſexcentas, crux hæc habet aurea libras.

ſymb. *Pacem cum hominibus, cum vitiis bellum.*

Otho 3. dictus mirabilia mundi, regn. an. 17. hic ſeptemviratum, conſentiẽte Pontifice, ad Germanos tranſtulit, ætat. 28. chirotecis veneno infectis extinguitur; ſymb. *unita virtus valet.*

Henricus 2. ſive ſanctus & Claudus regn. annos 23. menſ. 5. obiit 1024. ſepultus Bambergæ; ſymbolum; *ne quid nimis.*

Filius hic, Pater hic, avus hic, proavus jacet iſtic.

Conra-

Conradus 2. ſive *Salicus*, reg. annos 14. ſymbolum; *omnium mores, tuos imprimis obſerva*, ſub hoc iterum imperium venit ad Francos, à quibus ad Bavaros, à Bavaris ad Rudolph. Habſpurgicum, à quo Auſtriaci, ſepultus Spiræ, cum Epitaphio.

Henricus 3. niger, regn. ann. 17. menſ. 7. ætat. 39. ſymbolum; *qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.*

Henricus 4. reg. annos 49. m. 10. Leodij mortuus: ſymbolum, *Multi multa ſciunt, ſe autem nemo.*

Henricus 5. reg. an. 19. mortuus Trajecti, ſepultus Spiræ: ſymbolum: *mortem optare malum, timere pejus.*

Lotharius Saxo, regn. ann. 13. ſepultus Cæſareæ Lothariæ, cum hac tumuli inſcriptione.

Exuitur membris heu trinâ luce Decembris.
Eccleſia gemitus illius eſt obitus.

ſymb. *Audi & alteram partem.*

Conradus 3. Suevus, reg. an. 14. mortuus Bambergæ, ſepultus Laureaci, ſymb. *pauca cum aliis, te cum multa.*

Fridericus 1. Barbaroſſa, reg. an. 38. menſ. 2. ſepultus Tyri. *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare.*

Henricus 6. reg. an. 7. mortuus eſt Meſſariæ, *qui neſcit tacere, neſcit loqui.*

Philippus 3. regn. annos 9. menſ. 3. ab Othone de Vvitelſpach pugione interficitur, ſepultus Spiræ Symb. *ſatius eſt currere, quàm maſè currere.*

Otho 4. reg. an. 19. menſ. 2. inglorius Brunſuvigæ moritur: ſymb. *anſer ſtrepit inter olores.*

Fridericus 2. Suevus, fundator Academiæ Viennenſis regn. menſ. 38. ſepultus Panormi cum

hoc

hoc epitaphio.

Si probitas, ſenſus, virtutum gratia, cenſus,
Nobilitas orti, poſſent obſidere morti,
Non foret extinctus Fridericus qui jacet intus.

Conradus 4. reg. an. 3. menſ. 5.

Vvilhelmus Hollandiæ Comes, haſtis confoſſus, reg. an. 9.

Richardus Anglus contemptus cedit.

Alphonſus Caſtellæ Rex abdicat.

Rudolphus Comes Habſpurgicus, adire Italiam nolebat, prætendens, quod Cæſarum in Italia veſtigia, læta, magnifica, plenáque bonæ ſpei viderct, ex Italia verò referentia, & foras verſa, triſtia, miſera, luctuoſa, reg. annos 17. menſ. 9. vixit annos 73. menſ. 5. obiit prope Spiram in oppido Germershaim, ſepultus Spiræ, habétque hanc inſcriptionem.

ANNO DOMINI MCCLXXXXI. PRIDIE CALENDAS OCTOBRIS OBIIT RUDOLPHUS REX.

ſymb. *melius bene imperare, quàm imperium ampliare.*

Adolphus Comes Naſſovius, regn. annos 6. Moguntiæ Imperio exutus, in prælio occiditur manu Alberti Auſtriaci confoſſus, ſepultus Spiræ hoc habet elogium.

Anno milleno, trecenteno minus uno
In Julio menſe Adolphus ruit in enſe,
Per manus Auſtrali proceſſi marchinam.

Symbolum: *Animus eſt qui divites facit.*
Præſtat vir ſine pecunia, quàm pecunia ſine viro.

Albertus Auſtriacus regn. annos 9. menſ. 9. à Joanne

ne fratris ſui filio & conjuratoribus occiſus, ſepultus Spiræ : ſymbolum ; *Quod optimum idem jucundiſſimum.*

Henricus 7. Comes *Lucemburgicus* occiditur , regn. annos 4. menſ. 9. ſepultus Piſis, ſymbolum ; *Calix vitæ , calix mortis.*

Ludovicus 5. Bavarus regn. annos 32. ſymb. *ſola bona quæ honeſta.*

Carolus 4. regn. annos 32. menſ. 7. auream bullam condidit, mortuus Pragæ 1378. ſymbolum *optimum aliena inſania frui.*

Uvenceslaus Caroli 4. filius regn. ann. 22. imperio à Proceribus ob ignaviam exutus Bopardiæ, obiit Pragæ apoplexia. 1419. ſub hoc bombardæ inventæ : ſymb. *Moroſophi morbones peſſimi.*

Rupertus Palatinus. reg. an. 9. m. 10. obiit in urbe Oppenheim , Spiræ ſepultus. ſymb. *miſera res digna eſt miſericordia.*

Sigiſmundus Palatinus , reg. an. 26. m. 8. obiit 1437. ætat. 70. ſymb. *ſic cedunt munera fatis.*

Albertus 2. reg. an. 2. immodico peponum eſu mortuus in Alba Regali ad latus Sigiſmundi ſepultus , ſymb. *Amicus optima vitæ poſſeſſio.*

Fridericus 3. Habſpurgicus , immoderato melonum eſu obiit 1493. regn. an. 53. ætat. 78. ſymb. *rerum irrecuperabilium felix oblivio.*

Maximilianus 1. Habſpurgicus regn. an. 25. m. 5. febricula moritur , 1519. ætat. 63. ab hoc Imperatore ſupremum Judicium Cameræ Imperialis inſtitutum , quod ambulatorium primò , tandem fixam ſedem obtinuit Spiræ : ſymbol. *tene menſuram & reſpice finem.*

Caro-

Carolus 5. natus Gandavi cum regn. a. 37. reſignat fratri ſuo Ferdinando Regi. In Eſcuriali Hieronymi vitam devotè finit, 1558. Scot. 21. ætat. 59. ſymb. *plus ultra.*

Ferdinandus 2. reg. an. 7. obiit 1564. ſymbol. *fiat juſtitia, ne pereat mundus.* ſymb. *accidit in punctо quod non ſperatur in hora.*

Maximilianus 2. reg. annos 12. in ipſis Comitiis Ratisbonenſibus, 1576. obiit: ſymb. *Dominus providebit.*

Rudolphus 2. reg. a. 34. moritur die 10. Jan. ſymb. *omnia ex voluntate Dei.*

Matthias 1612. coronatur Imperator Francofurti, obiit 1619. 20. Martii; regn. a. 7. ſymb. *Concordi lumine major.*

Ferdinandus 2. reg. a. 15. m. 6. Francofurti, an. 1619. electus & coronatus, obiit 1637. 15. Febr. ſymb. *legitimè certantibus.*

Ferdinandus 3. modernus glorioſiſſimus Imperator: ſymb. *Pietate & Juſtitia.*

ORIEN-

Digitized by Google

ORIENTIS IMPERATORES *poſt conſtitutum Occidentis Imperium.*

NICEPHORUS *Logotheta* ab Irene in Imperium evectus, A. C. 802. occiſus eſt anno 811.

Stauratius, à Nicephoro Imperator dictus, poſt quartum menſem truditur in Cœnobium à Michaële, ſororis conjuge.

Michaël Curopalates, poſt pugnam infelicem cum Bulgaris, ſponte ſeceſſit in Monaſterium A. C. 813.

Leo Armenus, in Michaëlem deficiens, Iconaclaſta, occiditur à Michaële Balbo, cui vitam donaverat. A. C. 820.

Michaël Balbus Leone haud melior, morbo moritur. A. C. 829.

Theophylus Michaëlis filius, obiit ſua morte. A. C. 842.

Michaël III. Theophyli filius, puer cum Theodora matre imperat feliciter; qua detruſa in Monaſterium, ipſe in flagitia ruens perimitur. A. C. 867.

Baſilius Macedo, cædis auctor vel particeps, Princeps non malus, perit ex venatione, appetitus à Cervo. A. C. 886.

Leo Philoſophus Baſilio patri ſucceſſit, & *ipſe* morbo mortuus. A. C. 911.

Alexander Leonis frater, invadit Imperium, quod

Digitized by Google

quod peſſimè gerit, obiens ex pilæ luſu; A. C. 912.

Conſtantinus, Leonis filius, primùm cum Zoe matre, dein ſolus regnat, fortunâ variâ, à Romano filio veneno perimitur. A. C. 960.

Romanus, infamis parricidio, vitiis exhauſtus, moritur, A.C. 963.

Nicephorus Phocas, cogitur Imperium invadere, abdicatis Romani liberis; ipſe mox à Zimiſie perimitur. A. C. 969.

Joannes Zimiſies, poſt multas victorias, veneno tollitur. A.C. 975.

Baſilius & Conſtantinus, Romani filij, ſolio reſtituuntur; & quidem Baſilius bello egregius, fratri præmoritur; ille turpis flagitiis, obiit: deſignato in ſucceſſorem genero. A.C. 1029.

Romanus Argyrus, Conſtantini gener, præclarus pietate, à conjuge ſtrangulatur. A.C. 1034.

Michaël Paphlago, morbo inutilis, obiit, A. C. 1041.

Michaël Calaphates, adoptivus Paphlagonis filius, à Zoe Romani conjuge & peremptrice, excæcatus, moritur, A. C. 1042.

Conſtantinus Monomachus, à Zoe maritus & Imperator eligitur, qua defuncta & ipſe moritur. A.C. 1054.

Theodora, Zoes ſoror, imperat ſola, & quidem fortiter moritur. A.C. 1056.

Michaël VI. Stratioticus, à Theodora dictus Imperator, poſtea ſe Imperio abdicat. A. C. 1057.

Iſacius Commenus, lectus à Senatoribus, malè gerit Imperium obiens. A. C. 1060.

Conſtantinus Ducas, ab Iſacio deſignatus, bona indole adminiſtrat imperium, quod relinquit filiis, ſub Eudoxiæ vxoris tutela; A. C. 1067.

Romanus Diogenes, eum Eudoxia evexit ad thronum & thalamum; poſtea à Michaële privigno orbatus eſt oculis. A. C. 1071.

Michaël Ducas, Conſtantini filius, dictus Parapinaceus, poſt ſex menſes ob ignaviam in Monaſterium truditur.

Nicephorus Botoniates, dictus ab exercitus Imperator, juxta ac Michaël tranſit in Monachum, cogente Alexio Comneno. A. C. 1080.

Alexius Comnenus, bene Imperium gerit, morbo perit derelictus à ſuis A. C. 1118.

Calo Joannes Alexij filius, non incommodè imperat; moritur ex venatione. A. C. 1140.

Manuël Comnenus, Prælatus à patre fratribus, quanquam natu minimus, quod mitiore eſſet ingenio. obiit A. 1180.

Alexius Comnenus, Manuëlis filius, adhuc puer, interfectus ab tutore Andronico Comneno. A. C. 1183.

Andronicus Comnenus, Manuëlis conſanguineus, deturbatur Imperio ab Iſacio Angelo, diſcerptus à mulieribus. A. C. 1185.

Iſacius Angelus, ex Comnenorum familia, benè adminiſtrato Imperio, deturbatur ab Alexio fratre, oculis erutis. A. C. 1195.

Alexius Angelus, Tyrannus Imperium tenet, ſed à Francis Venetiiſque dejicitur, capta Conſtantinopoli. A. 1203.

Alexius Angelus, Iſacij filius, conſtitutus Imperator, ab Alexio Duca perimitur. A. 1204.

Ale-

Digitized by Google

Alexius Ducas Murzuphlus, eodem anno quo invadit Imperium, deturbatur, rurſum captâ Conſtantinopoli.

Balduinus Flander, creatur Imperator, ac poſtmodùm à Bulgaris captus extinguitur, A. C. 1205.

Henricus ſuccedit, Balduini frater, obit ſua morte, A. C. 1216.

Petrus Antiſiodorenſis, Henrici ex Iolanda filia nepos, adit Imperium, à Theodoro Laſcari perfidè trucidatus, A. C. 1219.

Robertus, Petri filius, tenet Imperium, moritúrque, A. C. 1229.

Balduinus II. Roberti filius, potitur Imperio, dejectus à Michaële Palæologo, A. C. 1259.

Michaël Palæologus, uſurpat Imperium, quod Græcis reſtituitur, moritur, A. C. 1283.

Andronicus Palæologus, Michaëlis filius, obiit, A. C. 1325.

Andronicus Junior, Palæologi frater, moritur, A. C. 1338.

Joannes Cantacuzenus, filiorum Andronici tutor ſuo nomine gerit Imperium, ac coactus Monachum induit, A. C. 1355.

Joannes Palæologus, *Calo-Joannes*, Andronici Junioris filius, ab Andronico filio Imperio deturbatur, A. C. 1376.

Andronicus Palæologus, in Patrem impius, rurſum à patre imperio dejicitur, A. C. 1387.

Manuël Palæologus, Andronici frater, à Joanne patre moriente præficitur imperio, moritur, A. C. 1421. relictis ſeptem filiis.

Joannes Manuëlis filius obiit, A. C. 1445.

Digitized by Google

Conſtantinus Joannis frater, ultimus Imperator, capta Conſtantinopoli à Mahumete, in propugnanda urbe occiditur, A. C. 1453.

SACRI ROMANI IMPERII ELECTORES SEPTEM-VIRI.

Archipræſules Moguntini.

1 VIlligiſus patre Carpentario, à quo primum Rotæ inſignia, quibus ipſe adjunxit.
Vvilligis recolas, quis es? & unde venis?
Fuit hic primus Electior S. R. I. obiítque A.C. 1001.
2 Erckenboldus ex Abbate Fuldēſi ob.1020
3 Aribo ex Palat. Rheni, deceſſit an. 1031.
4 B. Bardo de Oppershofen, ex Abbate Fuldenſi, alter Chryſoſtomus, obiit A.C. 1050.
5 Luitpoldus, ob. 1059.
6 Sigefridus I. Baro ab Eppēſtein ex Abbate Fuldenſi. ob.1084.
7 Vvezilo, obiit 1088.
8 Ruthardus ex Abbate Erfurdenſi ob. 1109.
9 Albertus 1. Dux Lotharingiæ obiit A.C. 1137.
10 Adelbertus 2. Comes de Sarbrugg.ob. 1141.
11 Marcolphus, obiit 1142.
12 Henricus felix obiit 1153.
13 Arnoldus de Selenhofen, trucidatus à civibus, anno 1160.
14 Conradus Comes de Vvittelſpach à Cæſare Schiſmatico deje-

dejectus anno 1164
15 Fridericus Friber. Imp.Cancellarius ab ipso intrusus, obiit an.1180.
16 Conradus iterum, moritur an.1205.
17 Sigefrid. 2. Baro ab Eppenstein, ob. 1225
18 Sigefridus 3. Baro ab Eppenstein, prioris nepos,obiit anno 1248.
19 Christianus, obiit 1251.
20 Gerardus Ord. Min. obiit 1260.
21 Vvernerus Comes de Falchenstein,obiit 1282.
22 Gerardus de Eppenstein, moritur anno 1304.
23 Petrus de Achzpalt, obiit 1320.
24 Matthias Comes de Buochegg. ex Abbate Murbacensi, obiit 1328.
25 Henric. 3. de Virnberg. obiit A.Christi 1353.
26 Gerlacus, Comes de Nassov. obiit 1371.
27 Joannes Comes de Luxemburg, obiit A. Christi 1373.
28 Adolphus Comes Nassovius, moritur 1388.
29 Conradus 2. Comes Vveinsperg, obiit 1395.
30 Joãnes Comes Nassovius, obiit 1419.
31 Conradus 3. Comes Rheni, obiit 1434.
32 Theodoricus Baro ab Erpach.obiit 1454.
33 Dietherus Comes ab Isemburg, dejectus 1461.
34 Alphonsus Comes Nassovius, ob. 1475. revocatur Dietherus, qui obiit 1482.
35 Albertus I. Dux Saxoniæ moritur 1484.
36 Bertholdus, Comes de Henneberg. ob. 1505.
37 Jacobus à Liebenstein, obiit an. 1508.
38 Vriel à Gemmingẽ, moritur an. 1508.
39 Albertus Marchio Bran-

Brandeburgicus, ob. 1545.
40 Sebaſtian. ab Heuſſenſtein, obiit 1555.
41 Daniel Brendel ab Homperg. ob. 1582.
42 Vvolfgangus Cammerer de Dalburg. obiit anno 1601.
43 Joannes Adamus de Bickē, moritur 1604.
44 Joan. Suicardus de Cronberg. ob. 1626. 17. Septemb.
45 Georg. Frid. Greiffen claud. obiit 1629. 6. Julii.
46 Anſelm. Caſimirus Vvambolt ab Umſtatt, obiit 1647.
47 Joannes Philipp. à Schonborn. Epiſcop. Herbipol.

Archi-Epiſcopi Trevirenſes.

1 ELector fuit Ludolphus è Ducibus Saxonum, 998.
2 Adalbero Germanus S. Kunegundis Imp.
3 Minguardus, ſive Megingot, claruit 1008.
4 S. Poppo filius Leopoldi Auſtriæ March. obiit 1037.
5 Eberhardus Com. Palatinus obiit A. C. 1065.
6 Chuno, ſive Conradus cæſus ab impiis 1066.
7 Udo Comes Nellenburgius, moritur A. Chriſti 1077.
8 Ado, quem nonnulli eundem cum ſuperiore volunt, obiit A. C. 1079.
9 Engelbertus, obiit 1101.
10 Bruno, obiit an. 1123.
11 Godefridus, obiit an. 1130.
12 Meginherus.
13 Adelbert, Electus, 1132.
14 Hilinus ſeu Hilius, 1154.
15 Arnoldus, obiit an. 1188.
16 Joannes, obiit, 1213.
17 Theodoric. Comes de

Digitized by Google

de Vviedt, ob. 1242.
18 Arnoldus 2. ob. 1259.
19 Henricus 2. de Vinſtingen, obiit A. C. 1286.
20 Boëmundus à Voſperg, obiit 1299.
21 Dietharus Comes de Naſſau Ord. Præd. obiit 1307.
22 Balduinus Com. Lucemburgius, Henrici VIII. frater, obiit 1354.
23 Boëmundus, Comes de Sarbruch, obiit A. Chr. 1368.
24 Conradus Comes de Falckenſtein, obiit A.C. 1388.
25 Vvernherus Comes de Konigſtein, obiit 1418.
26 Otho Comes de Ziegenhaim, obiit 1430.
27 Rhaban. ab Helmſtatt.
28 Jacob Baro à Sirck, 1436.
29 Joannes Marchio Badenſis, obiit 1505. decrepitus.
30 Jacobus 2. Marchio Badenſis, obiit 1511.
31 Richardus à Greifſenclau.
32 Joan. à Meznhauſen, obiit 1540.
33 Joannes Ludovicus ab Hagn. obiit 1547.
34 Joannes Comes ab Iſenburg. obiit anno 1556.
35 Joannes de Stain, obiit 1567.
36 Jacob ab Elz. obiit 1599.
37 Lotharius à Meternich, obiit A. Chriſti 1623.
38 Philippus Chriſtophorus à Sotern, ob. 1652.

GAROLUS CASPARUS.

S. R. I. Electores Colonienſes.

1 S. Heribertus, obiit 1021.
2 Peregrinus, obiit 1036.

3 Hermannus, Otthonis 2. ex ſorore nepos.
4 S. Anno.
5 Hidulphus, obiit 1084.
6 Sigevinus.
7 Hermannus Electus 1089.
8 Fridericus elect. A. C. 1112.
9 Bruno Comes Altenæ, electus 1132.
10 Arnoldus clar. 1152.
11 Hugo clar. 1158.
12 Arnoldus Com. Geldriæ.
13 Fridericus Com. Altenæ claruit. 1161.
14 Reinoldus Com. à Daſſel, tranſtulit Mediolano 3. SS. Regum corpora.
15 Philippus ab Heinſberg 1187.
16 Bruno Comes Altena fit mon. 1199.
17 Adolphus Comes Altenæ & frater Brunonis.
18 Bruno de Segelbach.
19 Theodoricus Comes de Monte, A. C. 1210.
20 Engelbertus Comes de Monte, 1225.
21 Henricus, 1232.
22 Conradus obiit A.C. 1261.
23 Engelbertus à Falckenburg.
24 Sigefridus de Vveſterburg, 1280.
25 Vichboldus Baro Vveſtphalus, 1299.
26 Henricus de Varenbuorg.
27 Vvalramus Comes Juliaci, obiit 1349.
28 Vvilhelm. Genap. 1350.
29 Joannes à Varenbuorg.
30 Adolphus Comes de Marca, obiit 1367.
31 Engelbertus Comes de Marca, ob. 1368.
32 Chuno de Falckenſtein.
33 Frider. Com. Somverdenſis, obiit 1414.
34 Theodoricus Comes de Moers, obiit 1462.
35 Rupertus Dux Bavar.

var. obiit 1479.
36 Hermannus Landgra. Haſſiæ, ob. 1508.
37 Philippus Comes de Dhuin.
38 Hermannus Comes de Vvieda exauctoratus, 1552.
39 Adolphus Comes Scaumburgius, obiit 1556.
40 Antonius Comes Scaumburgius, Adolphi frater, obiit anno 1559.
41 Joan. Gebhard.
42 Fridericus Comes de Vviedt. clar. 1562.
43 Salentinus, Comes ab Iſenburg. reſignat. 1576.
44 Gerhardus Dapifer de Vvaldpurgh exauctoratur.
45 Erneſtus Dux Bavar. electus 1583. obiit 1612.
46 Ferdinand. Dux Bavariæ, Maximiliani Electoris frater, obiit 1650.
47 MAXIMILIANUS HENRICUS.

S. R. I. Electores Palatini.

1 CIgefridus è Duce Lotharingiæ Moſellanicæ 1101.
2 Henricus cogn. Hezelo donatus etiam Bavar. Ducatu.
3 Henric. Hezelonis filius.
4 Conrad. Francõ. Dux.
5 Cõrad. Friderici Imp. frater Dux Sueviæ.
6 Henricus Guelpho, obiit A. C. 1228.
7 Ottho Vvittæ ſpachius, obiit 1253.
8 Ludovicus Severus, obiit 1294.
9 Rudolphus filius Ludovici, obiit 1319.
10 Adolphus, Rudolphi filius.
11 Rudolphus, Adolphi frater, obiit 1327.
12 Rupertus 1. ob. 1385.
13 Rupertus 2. Adolph. fil. obiit A. C. 1398.
14 Rupertus 3. filius 2. poſteà Imperator.

15 Ludovic. 2. Ruperti Imp. fil. obiit 1409.
16 Ludovicus 3. fil. 2. obiit 1451.
17 Philippus Ingenuus, filius Ludovici 3. ob. 1508.
18 Ludovic. Pacificus, Philippi fil. ob. 1544.
19 Fridericus Pius, obiit A.C. 1556.
20 Ottho Henricus ob. anno 1559.
21 Fridericus Simerenſis, obiit 1576.
22 Ludovicus Friderici filius, obiit 1583.
23 Fridericus 4. filius Ludov. obiit 1611.
24 Fridericus Rex Bohem. exauctoratur.
25 Maximilian. Bavar. elect. 1623. ob. 1651.

Electores Saxoniæ.

1 BErnard. Hermani Bilingif. Dux Angriæ, Elector I. Anno 998. Cr.
2 Bernard. f. ob. 1063.
3 Ortolphus Bernard. 2. filius, obiit 1073.
4 Magnus, obiit 1106.
5 Lotharius, Comes Querfurtēſ. pòſt Imperat. obiit 1137.
6 Henricus Superbus, Guelpho, duct. unica Lotharii filia Elector obiit 1136.
7 Henricus Leo, Superbi filius, incomparabilis heros, obiit 1195.
8 Bernard. Alberti Urſi Elector. Brandenb. filius, obiit 1212.
9 Albertus 1. Bernardi filius, obiit 1260.
10 Albertus 2. Alberti filius, obiit 1311.
11 Rudolphus I. Alberti filius, obiit anno 1356.
12 Rudolphus II. obiit 1370.
13 Vvenceslaüs, Rudolphi frater, ob. 1388.
14 Rudolphus III. obiit 1410.
15 Albertus III. obiit 1422.
16 Frideric. Bellicoſus, primus ex Miſnenſi linea

linea, electus 1423. obiit 1428.
17 Fridericus Placidus, A.C.1464.
18 Fridericus Sapiens, obiit A.C. 1480.
19 Joannes frat. obiit 1532.
20 Joannes Fridericus à Carolo V. exauctoratur 1547.
21 Mauritius, obiit 1553.
22 Auguſtus, obiit 1586.
23 Chriſtian. I. ob. 1591.
24 Chriſtianus II. obiit A.C.1611.
25 Joannes Georgius fratri ſucceſſit.

Electores Brandeburgij.

1 HUgo, Com. Vvethinenſ. ob. 1001
2. Theodoricus, ex fratre nepos, pulſus ab Oboniris 1009.
3 Sigfridus, Marchio Stadenſis.
4 Ottho, Sigfridi f. obiit 1085.
5 Ottho Junior, prioris fil.
6 Rudolphus, frat. Otthonis.
7 Rudolphus II. filius I.
8 Albertus Urſus Com. Aſcaniæ, obiit 1169.
9 Ottho Albus filius, obiit 1198.
10 Ottho II. primi filius, ob. anno 1206.
11 Albertus Otthonis frater, obiit 1221.
12 Joannes I. obiit 1266.
13 Ottho III. frat. Joannis, obiit 1267.
14 Joan. II. primi frater obiit A.C. 1283.
15 Ottho IV. Joannis II. frater obiit 1298.
16 Conradus I. Joannis fil. obiit 1304.
17 Joannes III. Conradi filius.
18 Vvaldemarus I. Joannis frater.
18 Vvaldemarus II. primi nepos.
20 Joannes IV. obiit 1322.
21 Ludovic. Boius Ludov. IV. Imperat. fil. obiit 1361.
22 Ludovicus II. obiit 1369.

23 Ottho Lud. frater, obiit 1379.
24 Carol. IV. poſt Imperator.
25 Sigiſmundus Caroli filius, poſtea Imperator.
26 Iodocus Moraviæ Marchio.
27 Fridericus Burggravius Norimberg. ob. 1440.
28 Fridericus 2. filius 1. obiit 1470.
29 Albertus, dictus Achilles German. ob. 1486.
30 Joannes II. Alberti filius, obiit 1499.
31 Joachimus Joannis filius, obiit 1535.
32 Joachimus 2. obiit 1571.
33 Joann. Georg. obiit 1598.
34 Joachimus Fridericus, obiit 1608.
35 Joan. Sigiſmundus, obiit 1619.
36 Georg. Vvilhelm. obiit 1640.
37 Fridericus Vvihelmus.

Electores Bohemiæ Reges.

PRimus de quo certius conſtat Elector, Uladislaus Rex fuit, & obiit 1093.
2 Predislaüs 1. ob. 1126.
3 Uladislaüs, obiit 1178.
4 Premislaüs 2. obiit A. C. 1231.
5 Vvenceslaüs 1. obiit an. 1252.
6 Ottocatus occiditur 1280.
7 Vvenceslaüs 2. ob. an. 1305.
8 Vvenceslaüs 3. occid. 1306.
9 Henricus Comes Tyrol.
10 Joannes Lucemb. fit Rex Bohemiæ, 1312.
11 Carolus 4. poſt Imperator.
12 Vvenceslaüs Imperator.
13 Sigiſmundus Imperator.
14 Albertus 2. Imperator, obiit 1439.
15 La-

Digitized by Google

15 Ladislaüs, Alberti fil. obiit 1458.
16 Georgius Podiebradus electus, 1458. Exauct.
17 Matthias Huniades.
18 Ladislaüs Caſimiri Regis Poloniæ filius, obiit 1516.
19 Ludovicus Rex Ungariæ & Bohemiæ occumbit 1529.
20 Ferdinandus Auſtrius, Imperator, ob. 1564.
21 Maximilian. 2. Imperator, obiit 1562.
22 Rudolphus 2. Imperator, 1575.
23 Matthias Imperator, 1611.
24 Ferdinandus 2. Imperator, 1617.
25 Ferdinandus 3. Imperator, 1627.
26 Ferdinandus 4. A.C. 1646.

Decurſis quæ ad Imperium pertinent, tum Orientis, tum Occidentis, ad Europæ Reges & Principes promovendus eſt gradus. Et petendum initium à Regibus Franciæ, nempe ab Chriſtianiſſimis, & Eccleſiæ Primogenitis.

1 PHARAMUNDUS Mar. comiti filius creatur, 420. obiit A. C. 425.
2 Clodio, obiit 450.
3 Meroveus. 460.
4 Childericus. 484.
5 B. Clodoveus. 514.
6 Childebertus. 560.
7 Clotharius. 564.
8 Charibertus. 573.
9 Chilpericus. 587.
10 Clotharius 2. Magnus. 631.
11 Dagobertus 1. 645.
12 Clodoveus 2. 664.
13 Clotarius 3. 669.
14 Childericus 2. 678.
15 Theodoric. 1. 689.
16 Clodoveus 3. 693.
17 Chil-

17 Childebert. 2. 710.
18 Dagobert. 2. 715.
19 Chilpericus 2. 719.
20 Clotharius 4. 720.
21 Theodoric. 2. 741.
22 Childericus 3. exauctoratus, - 752.
23 Pipinus primus fuit qui mentis & in sedem Apostolicam pietate, nomen Christianissimi adeptus est, & in posteros derivavit. A. C. 768.
24 Carolus Magnus Imperator, 814.
25 Ludovic. Pius, 840.
26 Carolus Calvus, 878.
27 Ludovicus Balbus, 879.
28 Ludovicus 2. & Carolomannus.
29 Carolus Crassus obiit, 888.
30 Odo, 898.
31 Carolus simplex, 929.
32 Rudolphus, 936.
33 Ludovicus Ultramarinus, 954.
34 Lotharius, 986.
35 Ludovicus nihil fecit, 987.
36 Hugo Capetus, 998.
37 Robertus Pius, 1032.
38 Henricus 1. 1060.
39 Philippus 1. 1108.
40 Ludovicus 6. Crassus, 1137.
41 Ludovicus 7. 1180.
42 Philippus 2. Augustus, 1223.
43 Ludovic. 8. 1226.
44 S. Ludovic. 9. 1270.
45 Pbilippus 3. Audax, 1285.
46 Philipp. 4. Pulcher, 1314.
47 Ludovicus 10. 1316.
48 Philipp. 5. Longus, 1321.
49 Carolus 4. pulcher, 1327.
50 Philipp. 6. Valesius, 1350.
51 Joannes, 1364.
52 Carolus 5. Sapiens, 1380.
53 Carolus 6. Benè amatus, 1422.
54 Carol. 7. Vict. 1461.
55 Ludovicus 11. 1483.
56 Carolus 8. 1498.
57 Ludovicus 12. 1515.
58 Franciscus 1. 1547.
59 Henricus 2. 1559.
60 Fran-

60 Franciſcus 2. 1560.
61 Carolus 9. fr. Franc. 1574.
62 Henricus 3. 1589.
63 Henricus 4. 1610.
64 Ludovicus 13. 1643.
65 Ludovicus 14.

Viſigothi Narbonenſis Galliæ dein Hiſpaniæ Reges.

1 ATthanaric. clar. 400.
2 Alacrius Romam capit, 410.
3 Athaulphus Hiſpaniam invadit, 412.
4 Sigericus clar. 412.
5 Vallia obiit in prælio, 418.
6 Theodoricus contra Attilam, 451.
7 Thoriſmundus, 451.
8 Theodoricus Jun. occiſus Tholoſæ, 454.
9 Ervigius, 465.
10 Alaricus, 484.
11 Amalaricus, 508.
12 Theoda Theud. clar. 531.
13 Theudiſelus, 584.
14 Aila, 551.
15 Athanagildus, 555.
16 Luiba, 570.
17 Leuvigildus, 572.
18 Recaredus 1. Catholici Titulus meruit à Concilio Tolet. 585.
19 Luiba 2. 602.
20 Vvitericus, 604.
21 Gundemarus, 610.
22 Siſebutus, 613.
23 Recaredus 2. 623.
24 Suintela, 623.
25 Richimetus, 632.
26 Siſenaudus, 633.
27 Suintilla 2. 638.
28 Tulga, 641.
29 Cindaſuinthus, 643.
30 Regiſuindus, 648.
31 S. Bamba, 673.
32 Flatus Ervigus, 680.
33 Egica, 688.
34 Vvitiza, 698.
35 Roderic. ult. Gotth. 713.
36 S. Pelagius, 717.
37 Favilla vel Fafila, 732.
38 Alphonſus 1. 734.
39 Froila, 753.
40 Aurelius, 766.
41 Silus, ſeu Silo, 772.
42 Maurigatus, 783.
43 Vere

43 Veremundus. 786.
44 Alphonſus 2. 788.
45 Ramirus 829.
46 Ordognus. 836.
47 Alphonſus 3. Mag. 846.
48 Garſias. 886.
49 Ordognus 2. 889.
50 Froila 2. 898.
51 Alphonſus 4. 899.
52 Ramirus 2. 905.
53 Ordognus 3. creat. 924.
54 Ordognus 4. 929.
55 Sanctius 1. 930.
56 Ramirus 3. 940.
57 Veremundus 2. 965.
58 Alphonſus 5. 982.
59 Veremundus 3. 1015.
60 Ferdinandus 1. 1025.
61 Sanctius 2. 1073.
62 Alphonſus 6. 1079.
63 Alphonſus 7. 1106.
64 Alphonſus 8. 1126.
65 Sanctius 3. 1176.
66 Ferdinandus 2. 1176.
67 Alphõſus 9. Bonus. 1177.
63 Henricus 1. 1215.
69 Ferdinandus 3. 1217.
70 Alphonſus 10. Imperat. 1262.
71 Sanctius 4. 1287.
72 Ferdinand. 4. 1295.
73 Alphonſus 11. 1308.
74 Petrus 1. 1350.
75 Henricus 2. 1369.
76 Joannes 1. 1377.
77 Henricus 3. 1388.
78 Joannes 2. 1404.
79 Henricus 4. 1454.
80 Ferdinandus 5. 1477.
81 Philip. Auſtrius 1504.
82 Carolus 5. Imp. 1516.
83 Philippus 2. 1556.
84 Philippus 3. 1598.
85 Philippus 4. 1621.

Reges Magnæ Britanniæ.

Poſtquam in Regnum unum coaluit.

1 EGbertus, obiit 837.
2 Ethelvvolſus 857.
3 Ethelvvaldus 858.
4 Ethelbertus 863.
5 *S.* Ethelredus 872.
6 Alfredus 899.
7 Eduardus 1. 924.
8 Adelſtanus 940.
9 Edmundus 946.
10 Ethelredus 954.
11 Edvvinus 958.
12 Ediga-

12 Edgarus 974.
13 Eduardus 2. 977.
14 Edelredus 1015.
15 Edmundus 2. 1016.
16 Canutus Danus 1036.
17 Haraldus occid. 1040.
18 Canutus Durus 1041.
19 S. Eduardus 3. 1065.
20 Tosticus 1066.
21 Haraldus 1066.
22 Guilelmus 1. 1067.
23 Guilelmus 2. 1100.
24 Stephanus 1135.
25 Matthildis 1154.
26 Henricus 2. 1166.
27 Richardus 1. 1189.
28 Joannes 1200.
29 Henricus 3. 1272.
30 Eduardus 4. 1307.
31 Eduardus 5. Junior 1327.
32 Eduardus 6. 1377.
33 Richardus 2. 1399.
34 Henricus 4. 1414.
35 Henricus 5. 1422.
36 Henricus 6. 1471.
37 Eduardus 7. 1483.
38 Eduardus 8. 1483.
39 Richardus 3. 1485.
40 Henricus 7. 1509.
41 Henricus 8. fuit Primus qui à Papa Leone X. ob scriptum contra Lutherum libellum, accepit titulum, *fidei defensoris.* 1527.
42 Eduardus 9. 1553.
43 Maria 1568.
44 Elisabetha ob. 1603.
45 Jacobus ob. 1625.
46 Carolus decollat. 1649
47 Carolus 2. Cromvello mortuo, feliciter restitutus. A. C. 1660.

Reges Scotiæ.

1 FErgusius I. Scotorum Rex.
2 Fèritharis reg. 15. an.
3 Mainus reg. 29. an.
4 Dornadilla reg. 28. an.
5 Nothatus reg. 20. an.
6 B. Heuderus reg. 26. an.
7 Reuter. reg. deposuit.
8 Thereus reg. 12. an.
9 Josina. regn. 24. an.
10 Finnanus 3860.
11 Dru-

11 Ructus.
12 Evenus.
13 Gillus.
14 Evenus 2. 3908.
15 Ederus.
16 Evenus 3.
17 Metellanus Ann. C. 31.
18 Caratacus 51.
19 Corbredus 96.
20 Dardanus 73.
21 Corbredus 2. 108.
22 Luctacus.
23 Mogaldus 174.
24 Conatus.
25 Ethodius.
26 Sathraël.
27 Dunaldus 1. 219.
28 Etholdius 2.
29 Athirco.
30 Nathalocus.
31 Findocus.
32 Donaldus 2. 276.
33 Donaldus 3.
34 Crathilintus.
35 Fincormachus.
36 Romachus.
37 Anguſianus.
38 Fethelmachus.
39 Eugenius 1. 377.
40 Ferguſius 2. 424.
41 Eugenius 2. 452.
42 Dongardus 457.
43 Conſtantinus 1. An. Chr. 479.
44 Congallus 501.
45 Goranus.
46 Eugenius 3. 558.
47 Congallus 2. 568.
48 Kinnatellus 569.
49 Aidanus 604.
50 Kennetus.
51 Eugenius 4. 626.
52 Ferchardus 1. 635.
53 Donaldus 4. 649.
54 Ferchardus 2. 678.
55 Malduinus 688.
56 Eugenius 5. 697.
57 Eugenius 6.
58 Amberkllettus.
59 Eugenius 7. 721.
60 Mordacus.
61 Etfinus.
62 Eugenius 8. 764.
63 Ferguſius 3.
64 Solmathius.
65 Achaius.
66 Congallus.
67 Dongallus 830.
68 Alpinus.
69 Kennetus 2.
70 Donaldus 5. 858.
71 Conſtantinus 2.
72 Ethus Alipes 875.
73 Gregorius Magnus 892.

74 Do

74 Donaldus 6.
75 Conſtantinus 3.
76 Milcolumbus.
77 Indulphus.
78 Duffus 978.
79 Culenus.
80 Rhenetus.
81 Conſtantinus 4.
82 Grimus 1003.
83 Milcolumbus 2. 1034.
84 Donaldus 7.
85 Machetus.
86 Milcolumbus 3.
87 Donaldus 8.
88 Duncarus.
89 Edgarus 1107.
90 Alexander 1.
91 David.
92 Milcolumbus 4.
93 Guillelmus 1214.
94 Alexander 2.
95 Alexander 3.
96 Joannes Billiolus.
97 Robertus Bruſſius 1329.
98 Eduardus Billiolus.
99 David 2. Bruſſius 1370.
100 Robertus 2. Stuartus 1390.
101 Joa. 2. Stuart 1406.
102 Jac. 1. Stuart 1437.
103 Jac. 2. Stuart 1460.
104 Jac. 3. Stuart 1488.
105 Jac. 4. Stuart 1513.
106 Jac. 5. Stuart 1542.
107 Henricus 8. 1567.
108 Jacobus 6. Stuartus 1625
109. Carolus Jacobi filius decollatus 1649.

Reges Portugalliæ.

HEnricus, *Burdigundus* ab Alphonſo Sexto Caſtellæ Rege, Portugalliam habuit A.C. 1090.

Alphonſus Henrico patri ſuccedit', primus Rex, Luſitaniæ nuncupatus moritur, A.C. 1185.

Sancius filius regnat, & moritur, A. C. 1233.

Sancius II. primi filius, exul & ſine liberis moritur, A.C. 1247.

Alphon

Alphonſus II. Sancii frater, obiit A. C. 1279.

Dionyſius Alphonſi filius, vitam claudit, A. C. 1325.

Alphonſus III. Dionyſii filius, deſinit vivere, A. C. 1357.

Petrus filius, moritur A. C. 1367.

Ferdinandus Petri filius, diem obiit, A. C. 1383.

Joannes Petri filius, ex conjuge impare, moritur. A. C. 1433.

Eduardus Joannis filius, diem claudit, An. Chr. 1438.

Alphonſus IV. Eduardi filius, ceſſat vivere, A. C. 1481.

Joannes II. Alphonſi filius, abit è vivis, An. Chr. 1495.

Emanuël, Joannis ex ſorore nepos, moritur, A. C. 1521.

Joannes III. Emanuëlis filius, moritur A. C. 1557.

Sebaſtianus Joannis tertii nepos, occiſus à Mauris, A. C. 1578.

Philippus II. Hiſpaniæ Rex., Antonium pellit, & regnum occupat.

Philippus III. ſecundi filius & ſucceſſor.

Philippus IV.

Joannes IV. Dux Bragantinus, A. C. 1640. à Luſitanis in regnum evehitur; moritúrque, A. C. 1656.

Alphonſus V. Joannis filius, flagrante bello cum Philippo Rege.

Digitized by Google

Reges Daniæ.

1 DAn. I. Rex Daniæ
2 Humblus
3 Lotherus
4 Skiolus
5 Granus
6 Suthdagerus
7 Guthorinus
8 Haddingus 2960.
9 Froto 1.
10 Haldanus 1.
11 Roë
12 Helgo. 3130.
13 Rolpho
14 Rhotherus
15 Roricus
16 Vvicletus
17 Vvermundus
18 Uffo Gigas
19 Dan. 2.
20 Hucletus
21 Froto 2.
22 Dan. 3.
23 Fridlevus 1.
24 Froto 3. 1965.
25 Hiarnus Poëta
26 Fridlevus 2.
27 Froto 4. A. C. 77
28 Ingellus
29 Olavus 1.
30 Haraldus 1.
31 Froto 5.
32 Haraldus 2.
33 Haldanus 2.
34 Unguinus
35 Sivaldus 1.
36 Sigatus
37 Sivaldus 2.
38 Haldanus 3.
39 Haraldus 3.
40 Hetha, puella
41 Olo Vegetus
42 Ouvundus
43 Sivardus 1.
44 Berthlus
45 Jarmericus
46 Brodenus
47 Sivvaldus
48 Sinio
49 Biornus
50 Haraldus 4.
51 Gormo 1.
52 Gotricus 803.
53 Olavus 811.
54 Henningus 815.
55 Sivvardus 2. 818.
56 Ringo 818.
57 Regnerus Lochbrod 831.
58 Ubbo Spurius 832.
59 Sivvardus 3.
60 Ericus 1.
61 Ericus 2. 859.

62 Ca

62 Canutus 1.
63 Froto 6.
64 Gormo 2.
65 Haraldus 5. 901.
66 Gormo 3. 931.
67 Haraldus 6. 980.
68 Sueno 1014.
69 Canutus Magnus 1036.
70 Canutus 3. Durus 1041.
71 Magnus 1046.
72 Sueno I. Lex Angilis 1074.
73 Haraldus 7. 1076.
74 S. Canutus 4. 1088.
75 Olavus Famelicus 1095.
76 Ericus 4. 1102.
77 Nicolaüs. 1134.
78 Ericus 5. 1139.
79 Ericus 6. 1149.
80 Sueno 4. 1160.
81 Vvaldemarus 1184.
82 Canutus 6. 1202.
83 Vvaldemarus 2. an. 1242.
84 Ericus 7. 1250.
85 Abel 1252.
86 Chriſtophor. 1. 1259.
87 Ericus 8. 1286.
88 Ericus 9. 1321.
89 Chriſtophor. 2. 1333.
90 Vvaldemarus 3. A. C. 1340.
91 Vvaldemarus 4. An. Chr. 1375.
92 Margaretha 1415.
93 Ericus 10. ex Germanis 1439.
94 Chriſtoph. 3. 1448.
95 Chriſtianus 1. 1482.
96 Joannes 1513.
97 Chriſtianus 2. 1522.
98 Fridericus 1. 1533.
99 Chriſtian. 3. 1559.
100 Fridericus 2. 1588.
101 Chriſtian. 4. 1648.
102 Fridericus 3.

Reges Sueciæ.

1 SIchtrugus A. M.
2 Gram.
3 Suibdragerus.
4 Haſmundus 2960.
5 Uffo.
6 Hundingus.
7 Regnerus.
8 Hotbrodus 3132.
9 Atislus I.
10 Hotherus.
11 Athislus II. Inter regnum uſque ad Auguſtum Imper.

12 Al

12 Alricus.
13 Ericus I.
14 Haldanus.
15 Siuvardus.
16 Ericus II.
17 Haldanus II.
18 Uuguinus.
19 Siuvaldus.
20 Alvarus.
21 Ingo.
22 Ingellus.
23 Ringo.
24 Gotharus.
25 Iarmeric. inde Communes cum Danis.
26 Pro poſt 300. a.803.
27 Herotus.
28 Sorbius.
29 Biorn. primus Rex Chriſtian. converſus ad fidem Roman. opera S. Anſgarii.
30 Vvichſetus.
31 Ericus III.
32 Oſtenris.
33 Sturbiornus.
34 Ericus IV.
35 Olanus.
36 Emundus.
37 Stinckel.
38 Halſtnuus.
39 Amander.
40 Aquinus.
41 Magnus I. 1135.
42 Suerco I.
43 Carolus.
44 Suerco II.
45 Joannes I.
46 S. Ericus. 1150.
47 Canutus. 1168.
48 Ericus V. 1222.
49 Ericus VI. 1249.
50 Vvaldemarus.
51 Magnus 2.
52 Birgerus.
53 Magnus 3. 1326.
54 Magnus 4.
55 Magnus Schmech. 1374.
56 Albertus Mechelb. 1363.
57 Margaretha. 1412.
58 Ericus Pomeranus. 1439.
59 Chriſtophorus. 1448.
60 Carol. Suecus. 1470.
61 Chriſtianus I. 1482.
62 Joannes 2. 1513.
63 Chriſtianus 2. 1532.
64 Guſtavus Trolle. 1560.
65 Ericus deject. 1576.
66 Joannes 3. 1592.
67 Sigiſmundus Pol. hæres, 1602.
68 Carol. coronat. 1607.

69 Gu

69 Guſtavus Adolphus occ. 1632.
70 Chriſtina.

Reges Ungariæ.

Prætermiſſis vetuſtiſſimis Pannoniæ Regibus & Ducibus.

1 S. Stephanus à Deo electus A. C. 997.
2 Petrus German. 1038.
3 Aba Ungarus 1041.
4 Andreas 1. 1044.
5 Bela 1. 1047.
6 Salomon 1063.
7 Geiza 1074.
8 Ladislaüs 1. 1077.
9 Colomannus 1095.
10 Stephanus 2. 1116.
11 Bela 2. 1135.
12 Geiza 2. 1145.
13 Stephanus 3. 1165.
14 Bela 3. 1176.
15 Emericus 1198.
16 Ladislaüs 2. 1206.
17 Andreas 2. 1207.
18 Bela 4. 1238.
19 Stephanus 4. 1275.
20 Ladislaüs 3. 1277.
21 Andreas 3. 1290.
22 Vvenceslaüs 1301.
23 Ottho Bavarus 1304.
24 Carolus Neapolit. 1310.
25 Ludovicus 1. 1342.
26 Maria 1382.
27 Carolus 2. 1384.
28 Sigiſmund. Imper. 1387.
29 Albertus Imp. 1438.
30 Uladislaüs 1440.
31 Ladislaüs 4. 1445.
32 Mathias 1. 1458.
33 Uladislaüs 2. 1490.
34 Ludovicus 2. 1516.
35 Ferdinandus 1. 1526.
36 Maximilian. 1. 1563.
37 Rudolphus 2. 1572.
38 Matthias 2. 1608.
39 Ferdinandus 2. 1618.
40 Ferdinandus 3. 1625.
41 Ferdinandus 4. 1647.

Reges Poloniæ.

1 BOleslaüs 1025.
2 Meſco 1034.
3 Caſimirus 1058.
4 Boleslaüs 1082.
5 Uladislaüs Princ. 1102.

6 Boleslaüs 3. 1139.
7 Uladislaüs 2. 1145.
8 Boleslaüs 4. 1173.
9 Mieceslaüs 4. 1177.
10 Caſimirus 2. 1194.
11 Leſcus Albus 1227.
12 Uladislaüs 3. 1232.
13 Henricus 1238.
14 Uladislaüs 4. 1239.
15 Henricus Pius 1242.
16 Premislaüs 1. 1259.
17 Boleslaüs Pius 1279.
18 Boleslaüs 4 1279.
19 Leſcus Niger 1289.
20 Vvenceslaüs 1295.
21 Premislaüs 2. 1296.
22 Uladislaüs 5. 1333.
23 Caſimirus 3. 1270.
24 Ludovicus Ungarus 1384.
25 Hedvvig & Jagello 1434.
26 Uladislaüs 6. Junior 1444.
27 Caſimirus 1492.
28 Joan. Albertus 1501.
29 Alexander 1506.
30 Sigiſmundus 1548.
31 Sigiſmundus Aug. 1571.
32 Henricus 1574.
33 Stephanus Bathor. 1586.
34 Sigiſmundus Suecus obiit 1632.
35 Ladislaüs 7. ob. 1648.
36 Caſimirus.

Oſmanni ſive Otthomanni Turcarum Imp.

1 ERtucub Oſman Gaſi 1328.
2 Urchan Gaſi 1358.
3 Sulthan Murath. Gaſi
4 Sulthan Bajazith ob. 1404.
5 Eſmit Solimann. 1411.
6 Muſa Muhemet. 1414.
7 Sultã Mehemet. 1423.
8 Sultan Murath. 1430.
9 Mahomet I. Imp. Conſtantinop. 1453.
10 Bajazethes. 1512.
11 Sulthan Selimus, ob. anno 1520.
12 Solimannus ob. 1566.
13 Selimus 2. obiit 1575.
14 Amurathes ob. 1595.
15 Mahomet 3. ob. 1603.
16 Acmat puer ob. 1617.
17 Muſtaffa obiit 1623.
18 Amurathes ob. 1640.
19 Ibrahim occis⁹ 1648.
20 Mahometus IV.

Venetæ

Venetæ Reipub. Duces & Principes.

PAulatus Anafeſtus, electus primus Dux, 797. ob. 717.
2 Marcellus Tegalianus obiit 726.
3 Orleus Ypatus, ob. 737.
4 Theodatus Ypatus, 755.
5 Galla, 756.
6 Dominicus Monetarius, 757.
7 Mauritius Galbinus, 780.
8. Joann. Galbinus, 789.
9 Obelerius Anafeſtus, 809.
10 Angelus Patritiatius, 827.
11 Juſtinianus Patritiatius. 829.
12 Joannes Patritiatius, 836.
13 Petrus Tradonicus, 864.
14 Viſus Patritiatius, 881
15 Joann. Patritiatius, 887.
16 Petr⁹ Candianus, 887.
17 Petrus Tribunus, 911.
18 Urſus Badoarius, 920.
19 Petrus Candianus, 930.
20 Petrus Badoarius, 941.
21 Candian. Badoarius, 952.
22 Petrus Candianus, 970.
23 Petrus Urſeolus, 978.
24 Vitalis Candianus, 979.
25 Tribunus Memus, 991.
26 Petrus Urſeolus, 1009.
27 Otho Urſeolus, 1024.
28 Petrus Centranicus, 1028.
29 Dominicus Flabanicus, 1044.
30 Dominicus Contarenus, 1070.
31 Dominic. Sylvius, 1083.
32 Vitalis Valerius, 1096.
33 Vitalis Michaël, 1101.

34 Or

34 Ordelaphus Faledrus, 1120.
35 Domini. Michaël, 1131.
36 Petr. Polanus, 1150.
37 Dominicus Maurocenus, 1156.
38 Vitalis Michaël 2. 1173.
39 Sebaſtianus Zianus, 1181.
40 Aureus Malipetra, 1192.
41 Henricus Dandalus, 1205.
42 Petrus Zianus, 1227.
43 Jacobus Tepulus 2. 1248.
44 Marinus Maurocenus, 1252.
45 Reinerus Zenus, 1269.
46 Laurentius Tepulus, 1274.
47 Jacobus Contarenus, 1280.
48 Joannes Dandulus, 1290.
49 Petrus Gradonicus, 1302.
50 Marinus Georgius, 1303.
51 Joann. Superantius, 1321.
52 Franciſcus Dandulus, 1331.
53 Bartholomæus Gradonicus, 1342.
54 Andreas Dandulus, 1354.
55 Marinus Valerius, 1354.
56 Joannes Gradonicus Naſo, 1356.
57 Joannes Delphinus, 1361.
58 Laurentius Celſus, 1365.
59 Marcus Cornarius, 1368.
60 Andreas Contarenus, 1382.
61 Michaël Maurocen.
62 Antonius Venerius, 1400.
63 Michaël Stenus, 1413.
64 Thomas Mocenius, 1413.
65 Franciſcus Fuſcarus, 1457.
66 Paſcalis Maripetra, 1462.
67 Chriſtophor. Mauro, 1471.

Digitized by Google

68 Nicolaüs Thronus, 1473.
69 Nicolaüs Marcellus, 1474.
70 Petr. Mocenius, 1475.
71 Andreas Vendremius, 1477.
72 Jo. Mocenicus, 1484.
73 Marcus Barbadicus, 1485.
74 Auguſtinus Barbadicus, 1500.
75 Leonardus Lauredanus, 1521.
76 Antonius Grimanus, 1523.
77 Andr. Gritus, 1538.
78 Petrus Landus, A. C. 1545.
79 Franciſcus Donatus, 1553.
80 Marc. Antonius Triviſanus, 1554.
81 Aloyſius Mocenicus, obiit 1577.
82 Sebaſtianus Venerus, 1579.
83 Nicolaus Pontius, 1583.
84 Paſchalis Ciconia, 1595.
85 Marinus Grimanus, 1606.
86 Leonardus Donats, 1612.
87 Antonius Memmi, 1615.
88 Joannes Bembus, 1618.
89 Nicolaus Donatus, 1618.
90 Antonius Priulus, 1623.
91 Franciſcus Contarenus, 1625.
92 Joannes Correlius; 1630.
93 Nicolaus Contarenus.
94 Franciſ. Friceus.

Duces Sabaudiæ.

Bertoldus 1.
Umbertus.
Amadeus 1.
Umbertus 2.
Amadeus 2.
Umbertus 3.
Tomaſus.
Amadeus 3.
Bonifacius.
Petrus.
Philippus.

Amadeus

Amadeus 4.
Odoardus.
Amadeus 5.
Amadeus 6.
Amadeus 7.
Amadeus 8.
Ludovicus.
Amadeus 9.
Philibertus.
Carolus.
Carolus 2.
Philippus.
Philibertus 2. pulcher.
Carolus 3.
Emanuël Philibertus.
Carolus Emanuël.
Victor Amedæus.
Carolus Emanuël.

Vicarii de Ferraria.

AZzo Marchio d'Este, 1196.
Allebrandinus, 1212.
Azzo, 1216.
Rivaldus, 1249.
Obizzus, 1262.
Azzo 2. 1292.
Rivaldus 2. 1318.
Obizzus 2. 1355.
Aldobrandinus, 1362.
Nico. il Zoppo, 1377.
Albertus, 1389.
Nicolaus 2. 1393.
Aldobrandi 2. 1308.
Borso Dux Ferrariæ, 1450.
Hercules, 1471.
Alphonsus, 1505.
Lionellus, 1514.
Hercules 2. 1534.
Alphonsus 2. 1559.
Anno 1598. venerunt in potestatem Sedis Apostolicæ.

Marchiones & Duces Mantuæ.

LUdovi. Gonzaga, Gubernator. 1328.
Guidius, 1360.
Ludovicus 2. 1369.
Franciscus 1. 1387.
Joan. Franciscus Marchio, 1404.
Ludovicus 3. 1449.
Fredericus, 1449.
Franciscus 2, 1484.
Prim. Dux Frederic. 2. 1519.
Franciscus 3. 1549.
Guillelmus, 1550.

Franciſcus 3. 1549.
Guillelmus, 1550.
Vincentius 1. 1587.
Franciſcus 4.
Ferdinandus.
Vincentius 2.
Carolus.

Duces Mediolani.

JOann. Galeazus 1. Dux, 1395.
Joannes Maria, 1402.
Philippus Maria, 1412.
Franciſ. Sfortia, 1446.
Galeazus Maria, 1466.
LudovicusMaria, 1494.
Maximilianus, 1508.
Franciſcus 2. 1522.
Carolus V. Imp. 1535.
Philippus, 1566.
Philippus filius, 1598.
Philippus ejus filius, 1521.

Duces Urbini.

FReder. 1. Dux, 1443.
Guidobald. 1482.
Franciſc. Maria, 1503.
Guidobaldus 2. 1538.
Franciſc. Maria 2. 1574.

Duces Florentiæ.

ALexander Medices 1. Dux, 1530.
Coſmus, 1537.
Franciſcus, 1574.
Ferdinandus, 1587.
Coſmus 2. 1609.
Ferdinandus 2. 1621.

Duces Parmæ.

LUdovicus Farneſius 1. Dux, 1527.
Octavius, 1547.
Alexander, 1587.
Ranucius, 1592.
Odoardus, 1622.

Duces de Modena.

CÆſar di Caſa, 1598.
Aſphonſus.
Franciſcus.
Alphonſus III.

Magni

Digitized by Google

Magni Magiſtri Melitenſes.

GErardus.
Raymondus de Podio.
Augerius de Balben.
Arnaldus de Comps.
Gilbertus Aſſali.
Gaſtonius.
Gubertes.
Rogerius de Molnis.
Garnerius de Neapoli Suriæ.
Ermendargus Daps.
Godefrid. de Doyſſon.
Alfoni. de Portugallia.
Godefridus Lerat.
Guarinus de monte acuto.
Cerinus.
Bertrandus de Comps.
Petrus de Ville bridem.
Guillelm. de Coſtelno.
Ugo Revel.
Nicolaiis Lorgue.
Joannes de Villiers.
Oddo de Pinibus.
Guillelmus de Villaret.
Fulco de Villaret.
Mauritius de Pagnac.
Elius de Villanova.
Theodatus Gozonus.
Petrus de Corncliano.
Rogerius de Pinibus.
Raimund. Berengarius.
Robertus de Juli.
Joannes Ferdinandus.
Philibertus de Niliaco.
Antonius Fluvianus.
Joannes de Gaſtic.
Robertus de Millii.
Petrus Raimundus.
Jo. Baptiſta de Urſinis.
Petrus Daubosſon.
Emeric. Damboiffen.
Guido de Blancheford.
Fabritius de Carretto.
Philippus de Villiers.
Perinus de Ponte.
Deſiderius de Tolonæ.
Joannes de Homedes.
Claudius de la Sengie.
Joannes de Valetta.
Petrus de Monte.
Joannes Leveſque.
Hugo de Lubens.
Martinus Garzinſis.
Olophrius de Vinnuncurt.
Ludovicus Mendez.
Antonius de Paula.



Digitized by Google

INDEX RERUM,

Numerus paginam indicat.

A

ABaris, 62.
Abel, 3.
Abias, 39.
Abimelech, 27.
Abrahamus, 13. 15. 17.
Achaicum bellum, 133.
Achaz, 45.
Acræi mors, 416.
Acumina, 165.
Acus Nautica, 361.
Adamus, 2. 4.
Adolphus Naſſovius, 358.
Adrianus, 184. 185.
Æmilianus, 200.
Æneas, 31.
Æneas Sylvius, 377.
Æſopus, 62.
Agathocles, 108.
Ageſilaüs, 86. 95.
Agricola, 180.
Agrippa, 148. 166. 167.
Agrippina, 168.
Alaricus, 231.
Albertus Auſtriacus, 359. 419.
Albigenſes, 339.
Albuquercius, 384.
Alcibiades, 82.
Alexander, 97. 103. 104.
Alexander Bala, 130.
Alexander Parmenſis, 400.
Alexand. Pontifex VII. 451.
Alexandri hæredes, 106.
Alexandria, 105.
Alexander Mammeæ filius. 196.
Alexius Angelus IV. 344.

Alexius Comnenus, 326.
Alexius Comnenus II. 343.
Alexius Comnenus III. 344.
Alexius Ducas V. ibid.
Allobrogum bellum, 405.
Alphonſus Caſtus, *285.
Amanus, 77.
S. Ambroſius, 227.
Amedæus Victor, 431.
Amurates, 435.
Amphion, 26.
Anacharſis, 59.
Anacreon, 61.
Anaſtaſius, 251.
Ancus Martius, 53.
Andronicus, 343.
Andronicus Palæologus, 361.
Angli, 241. 423.
Angli Eccleſiæ vectigales, 278.
Angli martyres, 399.
Anglia Danis liberata, 318.
Angliæ civile bellum, 378.
Anglo-gallica bellica, 329. 334. 364.
Annibal, 125.
Annus Confuſionis, 146.
Anthemius, 246.
Antiochia, 110.
Antiochiæ terræ motus, 183.
Antiochus Cizicenus, 135.
Antiochus Deus, 115.
Antiochus Epiphanes, 126.
Antiochus Grypus, 135.
Antiochus Hierax, 116.
Antiochus Magnus, 117. 123.
Antiochus ſedetes, 134.
S. Antonius, 186. 215.
Aod Judex, 24.
Appii cenſura, 108.
Appollonius, 179.
Apoſtoli, 166.
Apuleïus, 191.
Arcadius, 228. 230.
Archelaüs, 154.
Archimedes, 121.
Areopagus, 22.
Argivorum regnũ, 17.
Argonautæ, 28.

Aria.

Digitized by Google

Aria, 436.
Arianiſmus, 217.
Arion, 55.
Arius, 186. 213.
Arminiani oppreſſi, 417.
Arnulphus, 298.
Ariſtides, 72.
Ariſtomenes, 51.
Ariſtoteles, 90. 107.
Ariſtophanes, 81.
Arſenius, 228.
Arſes, 101.
Artaxerxes longimanus, 75. 81. 92.
Artaxerxes Mnemon. 84.
Arthemiſia, 73.
Aſa, 39.
Aſſuerus, 75.
Aſſyriorum regnum, 43.
Athalia, 41.
S. Athanaſius, 218.
Athenæ victæ, 83.
Athenæ vexatæ, 85.
Athenæus, 190.
Athenienſium gloria, 74.
Athenienſium Levitis, 96.
Atrebatum, 435.
Attila, 239.
Avenio Pontificum ſedes, 360.
Avenionis Pons, 340.
Auguſtiniani, 339.
S. Auguſtinus, 228.
Auguſtulus, 246.
Auguſtus, 147. 148.
Avitus, 245.
Auletes, 141. 144.
Aurelianenſis Puella, 372.
Aurelianus, 203. 204.
M. Aurelius, 188.

B

BAbel turris, 9.
Babylon capta, 64.
Babyloniorum imperium, 48.
Bagoas, 100.
Balbynus, 198.
Balthaſar, 63. 441.
Bamba, 273.
Bannerius, 432.
Bardas, 293.
Baronius, 412.
Baſilia, 382.
Baſilius, 222.
Baſilius Macedo, 296. 311.
Batavi in Anglos, 449.
Belgici ordines, 396.

Beliſarius, 25. 256. 257.
Bellarminus, 420.
Bellum in Danos. 452.
Bellum cum Cypriis, 89.
Bellum Franco-Hiſpanicum, 429.
S. Benedictus, 260.
Ben-merodachus, 52.
Berengarius, 322.
S. Bernardus, 328.
Betlem Gabor, 414.
Bironii mors, 408.
Boëtium bellum, 91.
Boëtius, 255.
Bodilo, 271.
Bohemia, ibid.
Bohemicum bellum, 416.
Bombardæ, 368.
S. Bonaventura, 352.
Breda capta, 422. 431.
Breſæus, 443.
Brunechildis, 265.
Briſſacum captum, 431.
Bulgaris, 272. 292.
Burgundiones, 233.

C

CAdmus, 24.
Cœleſtini, 358.
Cæſar Imperator, 146. 147.
Caïnus, 3.
Cairus, 308.
Caius & Lucius, 154.
Calamitates publicæ, 190.
Calendarium reformatum, 399.
Caligula, 165.
Callinicus, 116.
Calojoannes, 335.
Calvinus, 395.
Camaldulenſes, 309.
Cambyſes, 67. 68.
Caniſia capta, 407.
Capucini, 387.
Caracalla, 194.
Cardinalis Infans. 436.
Carolomannus, 281.
Caroli Guſtavi mors, 452.
Crrolus Emanuël, 425.
Carolus V. Imp. 383. 390.
Caroli Angli mors, 447.
Carolus VI. Gall. Rex, 366. 368.
Carolus VIII. 382.
Carolus Andegavenſis, 351.

Ca-

Carolus Burgundus, 378.
Carolus Calvus, 294.
Carolus Claudus, 357.
Carolus Craſſus, 295.
Carolus Guſtavus Palatinus, 452.
Carolus Magnus, 286.
Carolus Martellus, 277.
Carolus Navarrus, 369.
Carolus Rex Anglia Exceptus, 453.
Carolus Rex Sueciæ, 410. 414.
Carthago, 29.
Carthuſienſes, 322.
Carus, 205.
Caſimiri Conſtantia, 448.
Caſimirus, 315. 448.
Caſſander, 107. 110.
Coſſiodorus, 253.
Caſtellæ regnum. 314.
Catalauni, 435.
S. Catharina, 211.
Catilina, 143.
Cato-Major, 124.
Caudinum fœdus, 107.
Cecrops, 21.
Cenſura Romæ, 79.
Ceraunus, 112.
Cheronæa pugna, 101.
Chriſtina, 450.
Childericus, 147.
Chriſtiani ſub Trajano, 182.
Chriſtianorum perſequutio, 171. 189.
Chriſtiani paſſi. 193. 207.
Cicero, 137. 144.
Cimbricum bellum, 138.
Cimon, 76.
Cinna, 153.
Ciſterſienſes, 322.
Claudianus, 233.
Claudius, 166. 203.
Clemens, 181.
Clemens Alexandrinus, 193.
Clemens V. 360.
Clemens VIII. 405. 411.
Cleopatra, 135.
Clodovæus, 253.
Clotildis, 254.
Cluniacum, 300.
Cnidia pugna, 87.
Codrus, 35.
Colonia Ubiorum, 156.

Co-

Coloniæ variæ, 28.
Colossus Rhodius, 109. 271.
Comes Suessionensis. 436.
Commodus, 191.

Concilia generalia.

Basilienſe, 371
Chalcedonenſe, 243.
Constantinopolitanū I. 125.
Cōstantinopolitanum II. 259.
Cōstantinopolitanum III. 272.
Cōstantinopolitanum IV. 296.
Constantienſe, 370.
Ephesinum, 236.
Florentinum, 373.
Jerosolymitanum, 168.
Lateranenſe I. 328.
Lateranenſe II. 334.
Lateranenſe III. 338.
Lateranenſe IV. 346.
Lateranenſe V. 385.
Lugdunenſe I. 347.
Lugdunenſe II. 355.
Nicænum I. 213.
Nicænum II. 282.
Tridentinum, 393.
Viennenſe, 362.

*

Condæi mors, 443.
Cometa, 416.
Conjuratio in Jacobum, 411.
Conjuratio in Philippum, 446.
Conon, 88.
Conradus, 300. 351.
Conradus II. 314.
Conradus III. 332.
Conradinus, 351.
Constans, 216.
Constans II. 269.
Constantinus Copronymus, 278. 282.
Constantini filii, 216.
Constantinus Magnus, 211. 215.
Constantinopolis condita, 214.
Constantinopolis capta, 376.
Constantinus Ducas, 325.
Constantinus VII. 302.
Constantinus VIII. 312.
Constantinus Monachus, 317.

Con-

Conſtantinus Pogonatus, 272.
Conſtantinus Porphirogenitus, 302.
Conſtantius, 208. 216. 219. 232.
Conſules Romæ, 69.
Corbulo, 169.
Coriolanus, 72.
Coſaccorum rebellio, 432.
Cremutius Cordus, 158.
Criſpus, 214.
Cræſus, 63.
Cromvellus, 449.
Cruciata Expeditio, 333.
Crux inventa, 214.
Crux viſa, 212.
S. Cunegundis, 313.
Curtracenſis pugna, 360.
Cyprus occupata, 144.
Cyprus Turcica, 397.
Cyprus veneta, 377.
Cyrus, 62. 67.
Cyrus minor, 84.

D

DÆdalus, 27.
Dagobertus, 269.
Dani Chriſtiani, 239.
Dania, 305. 422.
Danicum bellum, 440.
Daniël, 58. 60. 68.
Darius Codomannus, 101. 105.
Darius Hyſtaſpis, 68. 69.
Darius Ochus, 82.
David, 34. 35. 36.
Debora, 26.
Decemviri, 77.
Decius, 100. ibid. 199.
Delphini Viennenſes, 322.
Demetrius, 126.
Demetrius Moſchi filius, 410.
Demetrius Nicanor, 133.
Demetrius Soter, 130.
Democritus, 75.
Demoſthenes, 91. 107.
Dictator, 70.
Dido, 42.
Diluvium Deucalionium, 6. 22.
Diluvium Ogygium, 17.
Dio Caſſius, 197.
Diocletianus, 206. 208.
Diogenes, 104.
Dionyſius Areopagita, 163. 185.
Dion, 83. 94. 96. 184.

Dio-

Dionyſius Junior, 96.
Diviſio terrarum, 8.
Dola, 430.
Dominicani, 346.
Domiſianus, 178. 181.
Draco, 55.
Druydenſis pugna, 396.
Dunkerka, 443.

E

Ecclesiæ fortitudo, 346.
S. Eduardus, 308.
Elias, 40.
Elizabetha Hiſpana, 441.
Elizabetha Angla, 395. 409.
Eliſæus, 40.
Enguiennius, 442.
Enochia urbs, 3.
Epaminondas, 92. 93.
Ephraïm, 30.
Epictetus, 175.
Epicurus, 100.
Epiphanes, 130.
Equites Hoſpitalarii, 325.
Eſaïas, 45. 49.
Eſaü & Jacob, 17.
Eſdras, 77.
Eslexius Cæſus, 408.
Eſtenſes, 348.
Eſther, 77.
Eva, 25.
Euclides, 83.
Eudoxia, 237.
Evergetes, 115.
Eugenius, 227.
Evilmerodach, 60.
Eumenes, 108.
Euripides, 72. 83.
Europa, 24.
Eutyches, 236.
Ezechias, 49.
Ezechiel, 35.

F

Fabri ad Cremeram, 74.
Ferdinandus Mauros pellit, 380. 418. 431.
Ferdinandi tertii mors, 452.
Flandria, 295.
Flavia, 181.
Florentiæ Duces, 391.
L. Florus, 184.
Franciæ Civile bellum, 447.
Franci, 202.
Fran-

Francorum regnum, 234.
Franciſcani, 347.
Franciſcus I. 388.
Fredegundis, 264.
Friburgum, 440.
Fridericus II. 345.
Fulco Jeroſolym. Rex. 332.

G

GAlba, 175.
Galenus, 187.
Galerius, 206. 209.
Galli in Græcia, 112. 353.
Gallia Anglica, 372.
Gallicum bellum, 117. 144. 395.
Gallienus, 202.
Gallus Cæſar, 217.
Gedeon, 27.
Geneva liberata, 409.
Genſericus, 239. 245.
Genüenſe bellum, 421.
Germanicus, 157.
Germaniæ pax, 445.
Gigantes, 5.
Goliath, 35.
Gonſalvus magnus, 383.
Gordianus junior, 198.
Gordianus ſenior, 197.
Gothi, 198.
Gothi victi, 256.
Gracchi, 136.
Græci diviſi, 87.
Græciæ ſplendor, 78.
Græcorum regnum, 109. 139.
Gratianus, 223.
Gravelingua, 440.
Gregorius VIII. 401.
S. Gregorius magnus, 264.
S. Gregorius Nazianzenus, 121.
S. Gregorius Taumaturgus, 197.
Guillelmus Nothus, 321.
Guelphi & Gibellini, 332.
Guebrianus, 438. 439.
Guſtavus Adolphus, 414. 425. 426.
Gyges, 50.

H

HÆretici cæſi, 398.
Harcurtius, 432. 442.

Hasto Moguntinus, 300.
Helena, 30.
Heli, 32.
Heliodorus, 124.
Heliogabalus, 195.
Helvetii, 359.
Henoch, 5.
Henricus Auceps, 301. 313.
S. Henricus, 312.
Henricus Niger, 318.
Henricus II. Gall. Rex, 393. 413.
Henricus III. 398. 402.
Henricus IV. 319. 341.
Henricus V. 327.
Henricus VIII. 387.
Henricus Luxemburgius, 362.
Henricus Magnus, 402.
Henricus Orangius, 422.
Heraclius, 267. 269.
Hercules, 28. 30.
Herodes, 149. 152.
Herodotus, 72.
S. Hermenegildus, 265.
Hesiodus, 43.
Hieronymus, 227.
Hilarius, 219.
Hippocrates, 79.
Hispani Mauros vincunt, 350.
Hispani in Picardiam, 430.
Hispanica Classis, 402.
Hispaniæ Regnum, 234.
Homerus, 37.
Honorius, 230.
Horatius, 149.
Hosius, 218.
Hugo Capetus, 310.
Hungaria Christiana, 313.
Hunnericus, 245.
Hunniades, 375.
Hussitæ, 371.

I

Jacob, 18.
Jacobus Scotus, 406.
Jacobus Angliæ Rex, 409. 421.
Jahel, 26.
Jani Templum, 116.
Janus,

Janus, 25.
Ibrahimus Cæſus, 446.
Iconomachi, 276.
Idolatria, 11.
Jephte, 29.
Jeremias, 53. 57.
Jeroboam, 38. 39.
Jeroſolimæ Clades, 177.
Jeroſolymitanum Regnum, 323. 340.
Jeſus-Chriſtus natus, 150.
Jeſus Nomen ſortitus, 151.
Jeſus fugiens, 152.
Jeſus in Templo, 155.
Jeſus in Baptiſmo, 158.
Jeſus Moriens, 160.
Jeſus Reſurgens, 160.
Jezabel, 40.
Ignis Græcus, 172.
Imperatores Romani, 120.
India, 381.
Inducíæ cum Batavis, 412.
Innocentes Cæſi, 152.
Innocentius, 440. 450.
Inſomnes Monachi, 244.
Interpretes 70. 111.
Joachim, 54.
Joanna Neapolitana, 368.
S. Joannes Baptiſta, 159.
S. Joannes Chryſoſtomus, 229.
S. Joannes Damaſcenus, 277.
S. Joannes Eleemon, 266.
S. Joannes Evangeliſta, 180.
Joannes de Temporibus, 331.
Joannes Palæologus, 365.
Joas, 41.
Jobus, 19. 23.
Jonas, 42.
Jonathas Macchabæus, 130.
Ionica Emigratio, 36.
Ionicum bellum, 69.

Joſa

Joſaphatus, 40.
S. Joſeph, 155.
Joſephus, 18. 20.
Joſias, 35. 54. 180.
Joſuë, 23.
Jovianus, 221.
Iphicrates, 92.
S. Irenæus, 193.
Irene, 282.
Iſaac, 16. 17.
Iſabellæ mors, 428.
Iſacius Angelus. 344.
Iſacius Comnenus, 319.
Iſocrates, 79.
Iſraëlitarum Servitus, 20.
Iſraëlitici regni finis, 22. 45.
Iſthmici ludi, 24.
Italiæ ſtatus, 302.
Jubal, 4.
Jubilæum, 404.
Judaïcum bellum, 172.
Judæi liberi, 66. 185.
Judæi ſervati, 122.
Judas Macchabæus. 129. 130.
Judith, 50.
Jugurthinum bellum, 136.
Did. Julianus. 192.
Juliacenſis hæreditas, 412.
Julianus Apoſtata, 219.
Julius Cæſar, 138.
Julius Mazarinus Card. 452.
Juſtinianus, 256. 259.
Juſtinianus Rhinormetus, 373.
Juſtinus Hiſtoricus, 187.
Juſtinus junior, 280.
Juſtinus ſenior, 254.
Juſtus Lipſius, 412.
Juvenalis, 179.

L

Lactantius, 215.
Ladislaï mors, 446.
Lælius, 131.
Lathurus, 136.
Latini victi, 71.
Lazarus pictor, 290.
Lediguerius, 421.
Leo I. 243.
Leo XI. 411.

Leo Armenius, 289.
Leo Iſaurus, 276.
S. Leo magnus, 240.
Leo Philoſophus, 297.
Leo Porphyrogenitus, 281.
Lerinenſes Inſulæ, 430.
Leucata, 430. ibid.
Leuctrica pugna, 92.
Licinius, 211.
Ligua Gallica, 401.
Linguarum confuſio, 9.
Lipſiaca pugna, 426.
Livia, 148. 158.
Longobardi, 258. 266.
Longobardicum regnum, 261.
Lotharingia, 291. 428.
Lotharius, 290.
Lotharius II. 330.
Lucanus, 171. 174.
Lucianus, 191.
Ludovicus de Haro, 452.
S. Ludovicus, 349. 352.
Ludovicus III. 299.
Ludovicus XI. 379.
Ludovicus XII. 382.
Ludovicus XIII. 406. 420. 424. 438.
Ludovicus XIV. 432. 450.
Ludovicus Balbus, 295.
Ludovicus Bavarus, 368.
Ludovicus Pius, 288. 294.
Lugduni incendium, 170.
Lugdunum, 148.
Luſitani, 435.
Lutherus, 386.
Lycurgus, 41.
Lyſander, 87.

M

Macedoniæ regnum, 43.
Macedonicum bellum, 122.
Macedonius, 218.
Macchabæi, 129.
Macrinus, 194.
S. Magdalena, 164.
Magdeburgi excidium, 425.
Magnentius, 217.
Magorum adventus, 151.

Maho-

Mahomedes maurus, 305.
Mahometes, 268.
Mahometes II. 379.
Majorianus, 245.
Mala publica, 244.
Manasses, 50.
Manes, 205.
Manfredus, 351.
Manlius Capitolinus, 91.
Manlius Torquatus, 95.
Mantinæa pugna, 93.
Mantuanum bellum, 424.
Manuël Comnenus, 336.
Marathonia pugna, 71.
Marcomanicum bellum, 188.
Marcus Curtius, 94.
Maria, 149. 167.
Maria Angla, 394.
Maria Medicæ, 406. 438.
Maria Nivernensis, 451.
Maria Stuarta, 401.
Maria Theresia, 453.
Marianum bellum, 140.
Martialis, 179.
S. Martinus Papa, 270.
Massilia, 58.
Matthias Corvinus, 376. 414. 417.
Mauri ad Salsum victi, 365. 413.
S. Mauritius, 263. 422.
Maxentius, 211.
Maximianus, 206.
Maximinus II. 197. 211.
Maximus, 224. 225. 244.
Magalopolitanum bellum, 94.
Memnon, 104.
Menander, 109.
Mercurii facinora, 407.
Messalina, 163.
Messana, 51.
Mentor, 98.
Michaël Balbus, 290.
Michaël Calephates, 316.
Michaël Curopalates, 287. 294.
Michaël Palæologus, 357.
Michaël Paphlago, 316.

Michaël Parapinaceus, 326.
Michaël Porphyrogenitus, 293.
Michaël Stratioticus, 318.
Midas, 26.
Milleræus, 432.
Milo, 66.
Minimi, 377.
Minos, 24.
Mitridaticum bellum, 139.
Mommorantii mors, 427.
Monœci Princeps, 436.
Moſes, 21. 23.
Mundus reparatus, 7.
Muſicæ notæ, 52. 315.

N

NAbuchodonoſor, 54. 57. 59.
Narſes, 258.
Navarræ regnum, 301.
Neapolitana ſeditio, 444.
Nchemias, 78.
Nemrod, 9.
Nero, 169. 170. 173.
Nerva, 181.
Neſtorius, 236.
Nicephorus Botoniates, 326.
Nicephorus Logotheta, 287.
Nicephorus Phocas, 306.
Ninivæ, 10.
Ninus, 10.
Ninyas, 15.
Niobe, 25.
Noë, 5. 8. 11.
Noëma, 4.
Normanni, 291.
Norlingana pugna, 429.
Normanni in Calabria, 314. 321.
Normannia, 296.
Novitianus, 300.
Numa, 49. 52.
Numantia, 135.
Nuptiæ regum, 415.

O

OChus, 93. 99.
Octavia, 171.
Odoacer, 250.
Odenatus, 202.
Oedipus, 28.
Olivarius, 446.
Olybrius, 246.
Olympici ludi, 29.
Olympiades, 44.
Orangij mors, 444.
Orbitellum, 443.
Orbis novus, 381.
Origenes, 195.
Orpheus, 27.
Osmanes, 419.
Ostenda obsessa, 408.
Otho, 175.
Otho II. 308.
Otho III. 309.
Otho Magnus, 304
Othomannus, 362.
Othoniel, 23.
Ovidius, 156.

P

PAlestinæ Expeditio, 341.
Papenhemius in Rustico, 423.
Papyrius, 106.
Parienſis Academia, 285.
Pariſij, 247.
Parlamentarii, 448.
Parmæ Duces, 392. 429.
Parthicum bellum, 145.
Parthicum regnum, 115.
Paterculus, 164.
S. Paulinus, 228.
S. Paulus, 163. 173.
Paulus V. 411. 419.
S. Paulus Eremita, 200.
Pausanias, 75.
Pax cum Græcis, 89.
Pax in Europa, 452.
Pelagius Hæreticus, 233.
Pelagius Martyr, 302.
Pelagius Rex, 276.
Peloponneſiacum bellum, 80.
Pelops, 25.
Pentecoſte, 160.
Perpinianum captum, 437.

Per

Digitized by Google

Perſeus, 25. 127.
Perſeus Philippi, 23.
Perſicum regnum, 65. 196. 384.
Perſius, 174.
Pertinax, 191.
Petrarcha, 364.
Petronius, 172.
S. Petrus, 166. 167. 173.
Petrus Aragonius, 356.
Phalaris, 61.
Pharus, 111.
Philadelphus, 110.
Philippicus Bardanes, 275.
Philippus Auguſtus, 348.
Philippus II. Hiſpan. Rex, 403. 419.
Philippus, 91. 95. 98. 101. 117. 126. 199.
Philo, 165.
Philopator, 117.
Philopœmon, 109. 125.
Philoſtratus, 190.
Philoxenus, 90.
Phocas, 265. 266.
Phœmonoe, 26.
Phœmicium bellum, 98.
Photius, 297.
Phyſcon, 135.
Pindarus, 72.
Pipinus, 280.
Piraticum bellum, 142.
Piſiſtratus, 62. 63.
Placidia, 232.
Platæenſis pugna, 73.
Plato, 81. 90.
Plautus, 122.
Plinius, 178. 182. 184.
Plotinus, 199.
Plutarchus, 184.
Poëtæ Iambici, 52.
Poëtæ in Italia, 116.
Polonia, 271.
Polonia Chriſtiana, 304.
Polonia vexata, 451.
Polybius, 131.
Pompeius, 137. 143.
Popæa, 172.
Porphyrius, 203.
Porſenna, 70.
Portugallia, 323. 335.
Præmonſtratenſes, 328.
Pragenſis pugna, 418.
Prodigia, 279.
Pſeudo-Philippus, 132.

Ptolemæus, 106. 122. 186.
Ptolomæus ultim. 145.
Pugna ad Iſſum, 104.
Pugna ad Neuportum, 405.
Pulcheria, 237. 242.
Punicum bellum. I. 113.
Punicum 2. 118.
Punicum 3. 132.
Pupienus, 198.
Pyramides, 41.
Pyrrhus, 110. 113.
Pythagoras, 64.

Q

Quintius Cincinnatus, 91.
Quintilianus, 179.
Quintus Curtius, 169.

R

Raimundus Lullus, 357.
Ramirus, 292. 331.
Ravennæ exarchatus, 262.
Ravennæ pugna, 384.
Regulus, 114.
Rhetorum Vicus, 417.
Rhodus obſeſſa, 109.
Richelius Cardinalis, 422. 437.
Ricimer, 246.
Robertus Rex, 364.
Roboam, 38.
Rocroium, 438.
Rodolphus, 354. 414.
Rollonormannus, 301.
Roma Chriſtiana, 212.
Roma Condita, 44.
Roma à Gallis Capta, 89.
Romæ Fortitudo, 120.
Romæ Pontifex redditus, 367.
Romanus Argyrus, 315.
Romanus Diogenes, 325.
Romanus Junior, 306.
Romanus Lacopenus, 303.
Romuli mors, 49.
Ronſardus, 390.
Roſa, 442.
Rupella capta, 423.
Rupertus, 370.

S

Sabæ Regina, 57.
Sabaudia, 329.
Sabaudiæ Duces, 310.
Sabaudic. bellum cum Mantuano, 415.
Sacrum bellum, 97.
Saladinus, 340. 342.

Salaminca pugna, 73.
Salomon, 36. 37.
Salſulæ, 432.
Samaria, 39.
Samniticum bellum, 99.
Samſon, 31.
Samuël, 33.
Sapientes ſeptem, 60.
Sappho, 56.
Sara, 15.
Saraceni in Hiſp. 275.
Saraceni in Italia, 291.
Sardanapalus, 42.
Saturninus, 138.
Saül, 34. 35.
Scanderbegus, 374.
Scenici Ludi, 94.
Scipio, 121. 124. 136.
Scipio Æmilius, 131.
Scoticum regnum, 235.
Scotus, 359.
Scriptores, 242.
Sebaſt. Portugal. Rex, 399.
Sedecias, 55.
Sejanus, 157. 159.
Seleuc. Philopator, 124.
Sellmus, 386.
Semiramis, 13.
Seneca, 171. 174.
Sennacherib, 46.
Sericum, 260.
Sertorius, 142.
Servile & Spartacum bellum, 141.
Servius Tullius, 61.
Seſoſtris, 38.
Sethus, 4.
Severus, 192. 193. 246.
Sforția, 375.
Siculum bellum, 82.
Sicyoniorum regnum, 10.
Sidonius, 148.
Sigiſmundus, 413. 427.
Silius Italicus, 174.
Simeon, 151.
Simonides & alii, 63.
Simon Monfortius, 348.
Simon Stylita, 238.
Sinæ, 448.
Societas Jesu, 387.
Smolenſcus capta, 450.
Soc. Jesu reſtituta, 409.
Sociale bellum, 140.
Socrates, 75. 86.
Sodomiæ incendium, 16.
Sol regreſſus, 46.
Solimannus, 392.
Solon, 59. 62.
Solyma captâ, 56.
Sophocles, 72. 83.
Sorbona, 349.

Sparta condita, 19.
Spartani in Perſas, 86.
Spartanum bellum, 90.
Spartæ Reges, 34.
Spurius melius, 79.
Stanislaüs, 323.
Statius, 179.
Stephanus, 161.
Steſichorus, 56.
Stilico, 230.
Suetonius, 184.
Suſanna, 56.

T

TAcitus hiſtoricus, 184.
Tacitus Imperator, 204.
Tamerlanes, 369.
Tarentinum bellum, 112.
Tarquinius Priſcus, 56.
Tarquinius Superbus, 66. 71.
Teglaphalaſar, 44.
Templarii, 329. 363.
Templi conſecratio, 37.
Templi profanatio, 129.
Terentius, 131.
S. Thereſia, 400.
Teribazus, 90.
Terræ motus, 423.
Tetricus, 204.
Teutonicus ordo, 342.
Theatini, 386.
Thebanum bellum, 29.
Themiſtocles, 74. 76.
Theodora, 292.
Theodoricus, 252. 255.
Theodoſius Junior, 225. 227. 235. 237.
Theophilus Iconomachus, 290.
Theophilact. Patr. 303.
Theſpis, 66.
Thionvilla, 439.
Thomas Cantuarienſis, 339.
S. Thom. Aquinas, 352.
Thraſibulus, 88.
Thucydides, 74.
Tiberius, 153. 156. 158. 164.
Tiberius II. 262.
Tillius, 426.
Timoleon, 96.
Timotheus, 92.
Tiſſaphernes, 87.
Titus, 178.
Titus Livius, 156.
Tobias, 45.
Toraſius, 423. 430.
Torſtenſonius, 438. 442.

Totila,

Totila, 257.
Trajanus, 181. 182. 183.
Trajectum captum, 427.
Triballi in Philippum, 100.
Trisagion, 238.
Troja, 23. 30.
Tryphon, 134.
Tubalcain, 4.
Tullius Hostilius, 52.
Turci, 213. 366. 418.
Typographia, 374.
Tyranni XXX. 201.
Tzmisces, 307.

V

Valdenses, 339.
Valens, 121. 222.
Valentinianus I. 121. 223.
Valentinianus II. 224. 238. 242.
Valerianus, 201.
Valerius, 99.
Vallis telina, 420.
Vallis umbrosa, 315.
Valsteinus Dux, 426. 428.
Venceslaüs, 367.
Veii capti, 347.
Veneti, 347. 411.
Veneti in Palæstina, 330. 411.
Veneti Victores, 449. 451.
Venetum bellum, 441.
L. Verus, 188.
Vespasianus, 176. 177.
Vesuvius, 178. 426.
Villæreus, 443.
Vinea, 8.
Virgilius, 142.
Vitellius, 176.
Urbanus VIII. 421. 440.
Urbes Conditæ, 51.
Uscochi pugnant in Venetos, 415.

X

Xenophon, 85.
Xerxes, 71. 75.
Ximenes, 381.

Z

Zamoyscius, 406. 408.
Zeno, 115. 148.
Zenobia, 202. 204.
Zopyrus, 68.
Zoroaster, 13.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google